

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

continet III tabulas illuminatas.

CIM 7 / 8111

CIM 7/8111

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [3] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [4] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [5] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [6] - -

BELGIVM VETVS.

BELGII vocabulum, quo Cæsar non semel in suis de bello Gallico Commentariis utitur, diu multumque suos torsit lectores. Horum namque una pars, urbem à Cæsare, eo designari existimant, quam alii, inter quos Guicciardinus & Marlianus *Beauvois* in Gallia; alii *Bavais* in Hannonia interpretantur, inter quos sunt B. Vigenereus & patrii nostri Annales. Doctissimus Goropius Bellovacos populos sub eo notatos voluit. Sunt qui Cæsarem credunt Belgium pro Belgica, ut Livius Samnium pro Samnitum regione usurpasse, cujus sententiæ Glareanus est. Ioannes Rhellicanus dicit partem ea Galliæ Belgicæ comprehensam, quam autem, non nominat. H. Leodius tradit eam quæ circa Hannoniam, in qua dictum *Bavais*. Sed omissis horum omnium opinionibus, ipsum Cæsarem de suo Belgio loquentem audiamus. Is lib. 5. ubi de distributione in Belgica Legionum ait, hæc verba: *Ex quibus unam in Morinos ducendam C. Fabio Legato dedit; alteram in Nervios, Q. Ciceroni; tertiam in Essuos, L. Roscio; quartam in Rhemis, cum T. Labieno, in confinio Trevirorum, hiemare jussit: tres in Belgio collocavit: his M. Crassum Quæstorem, & L. Munatium Plancum, & C. Trebonium, legatos præfecit. Vnam legionem, quam proxime trans Padum conscripserat, & cohortes V. in Eburones.* Paulo supra eodem libro, ubi de Britannia agit, hæc leguntur: *Maritima pars (Britanniæ) ab iis incolitur, qui prædæ ac belli inferendi caussa ex Belgio transierant, qui omnes fere ex iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt.* Hic primum liquido videre est, Cæsarem sub Belgio non unam civitatem, sed plures comprehendere; deinde non totam Belgicam eo notare; cum Morinos, Nervios, Essuos, Rhemos & Eburones, quos omnes ipsemet (ut & cæteri idonei scriptores) aliis in locis, Galliæ Belgicæ populos nominat. Luce ergo clarius est, Belgium Belgicæ partem esse, quam autem, non æquè clarum. Non esse autem circa *Bavacum* (sive *Bavais*) Hannoniæ, ut Leodio videtur, ex eo constat, quod hoc in Nerviis situm, quos ipse Cæsar à Belgio excludit. Nec etiam circa Bellovacos fuisse credam, sed eam potius Belgicæ partem, quæ mari vicinior est & versus Septentriones exporrecta, ubi nempe confluentia maximorum fluminum Rheni, Mosæ & Scaldis, quorum ostia facilem descensum in Oceanum & inde in Britanniam præbebant. Vero quoque similius est, eos mare tranisisse, qui eo assueti, hujus littora & fluviorum ripas habitabant, quam illos qui intima regionis incolebant, quibus Oceanus horror erat. Qui itaque, ex Belgio in Britanniam migravere, littoralia tantum littoralibus mutavere.

De Belgii sive Belgicæ nominis origine, non eadem etiam apud omnes sententia. Sunt qui à patrio sermone *Belgen* seu *VVelgen*, quod peregrinum significat, derivent. Alius magnæ eruditionis vir à *Belgen*, seu *Balgen*, quod irasci & pugnare notat. Annales vernaculi à Belgis, civitate ejus primaria. Sed nec in ea constituenda conveniunt, cum alter eam nunc *Bavais* in Hannonia oppidulum; alter *Veltsick* pagum circa Oudenardum interpretatur. A civitate Belgis (quæ nusquam tamen apud probatos auctores, Geographos, neque Historicos nominatur) qui Belgicam nominari credunt, eis suffragatur Isidorus libro Originum XIII. cap. IV. ubi hæc: *Belgis autem civitas est Galliæ, à quâ Belgica provincia dicta est.* Eadem ante hunc Hesychius; Βελγαῖος ὁπὸ πόλεως Βέλγης. Idem Honorius in imagine Mundi. Iustinus libro XXIV, ex Trogo nominat Belgium (Bolgium Pausanias) quendam Gallorum ducem, à quo eos nomen traxisse verisimile est iis, qui Berosо, aut potius Pseudoberoso fidem tribuunt; is enim scribit, *Belgicos* (sive Bolgicos) appellari à Belgio (aut Bolgio) Celtarum Rege. De Belgi civitate nos quædam in nostro Thesauro. Hæc autem sub judice relinquamus. Nunc Belgicæ quædam Veterum testimonia his subnectere, corollarii loco, non injucundum ducimus.

Cæsar Belli Gallici lib. I. Gallia est omnis divisa in tres partes, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostrâ Galli appellantur. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ; propterea quod à cultu atque humanitate Provinciæ longissimæ absunt, minimeque ad eos Mercatores sæpe commeant, atque ea, quæ ad effœminandos animos pertinent, important, proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni; spectant in Septentriones & Orientem solem. Et lib. 2. Reperiebat (*Cæsar*) plerosque Belgas ortos esse à Germanis, Rhenumque antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque qui ea loca incolerent, expulisse, solosque esse, qui patrum nostrorum memoria omni Gallia vexata, Teutones, Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuissent; qua ex re fieri, uti earum rerum memoria magnam sibi auctoritatem magnosque spiritus in re militari sumerent. Sueton. in Tiberio lib. 9. In bello Germanico XL. millia deditiorũ trajecit in Galliam. A. Hirtius 8. Bell. Gall. Belgæ quorum maxima virtus. Strabo lib. 4. Belgæ saga ferunt, comam alunt, braccis utuntur circa extentis. Loco tunicarum utuntur veste fissili manicatâ usque ad pudenda & nates demissa. Lana eorum aspera est, ad ipsam prope pellem detonsa; ex ea densa saga texunt, quas *lanas* vocant. Armatura illis proportione, gladius longus ad dextrum dependens latus, scutum longum, lanceæ pro proportione, & *meris* (*materis* alii legunt) tragulæ genus; nonnulli etiam arcubus utuntur & fundis; habent & lignum pili forma, quod non à mento, sed è manu torquetur, longius etiam, atq; sagitta, quo maxime utuntur ad aucupium. Humi decumbunt etiamnum plerique: sedentes in toris cibum capiunt. Cibus plerumque in lacte est, & omnis generis carnis, maxime suillis, tum recentibus tum salitis. Sues etiam in agris pernoctant, altitudine, robore & celeritate præstantes, à quibus, si quis non adsueverit, accedenti non minus est, quam à Lupo periculi. Domos è tabulis & cratibus construunt rotundas, magno impositо fastigio. Tam copiosi autem sunt iis pecudum & suum greges, ut sagorum & salsamentorum copiam non Romæ tantum suppeditent, sed & plerisque Italiæ partibus. Pleræque eorum respublicæ ab optimatibus gubernantur; antiquitus unum quotannis Principem, itemque unum belli ducem multitudo deligebat. Romanorum mandatis fere parent. Peculiare hoc habent in Conciliis; si quis dicenti obstrepat aut tumultuetur, lictor accedit stricto cultro, minis adhibitis tacere eum jubet, idque iterum ac tertio facit; eo non cessante, tan-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7-8111:2, [8] - -

dem à fago ejus tantum amputat, ut reliquum sit inutile. Id eis cum compluribus aliis barbaris commune est, quod contraria nostris moribus ratione virorum & mulierum officia habent distributa. Galli quo magis ad Septentrionem & Oceanum vergunt, eo sunt magis bellicosi. Primam laudem Belgis tribuunt, divisis in xv. gentes (xxxi. ego ex Cæsare numero.) Solique adeo Belgæ Germanorum, Cimbrorum ac Teutonum impressionem sustinuerunt. Quanta hominum copia apud eos fuerit hinc colligi potest, quod olim ccc. millia hominum arma ferre valentium apud Belgas sunt censa (hunc numerum auget quadraginta septem millibus Cæsar in principio Belli Gallici lib. 2.) Sunt qui Gallos trifariam dividunt in Aquitanos, Belgas & Celtas. Belgæ Oceano propinqua tenentes, usque ad ostia Rheni, Diod. lib. 5. Natio, ut plurimum ad Arctum sita, regio frigida, ut quæ hiemis tempore pro aqua nivibus oppleta exsistat. Glacies quoque immensa adeo regionem occupat, ut flumina congelata sint pervia transeuntibus non solum paucis, sed exercitibus quoque cum curribus atque impedimentis. Plutarchus in Cæsare: Postquam vero renunciatum est, Belgas Gallorum potentissimos, & qui tertiam totius Galliæ partem tenerent, contractis multis hominum armatorum millibus, bellum moliri, magna adversus eos celeritate contendit, &c. Appianus de Gallicis. Cæsar Belgas adgressus, in fluvii cujusdam transitu tam multos interficit, ut usum pontis præberent congesta cadavera. Ammianus lib. 15. Horum (Gallorum) omnium apud veteres Belgæ dicebantur esse fortissimi, ea propter, quod ab humaniore cultu longe discreti, nec adventitiis effeminati delitiis, diu cum Transrhenanis certavere Germanis. Dion 55. Batavi equitandi arte pollent. Dion 39. Morini & Menapii habitant non in urbibus, sed in tuguriis & in montibus densissimis silvis obsitis (*Arduennæ nempe, quæ olim multo major.*) Florus lib. 3. Sequens, longeque cruentior pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium. Plinius xxxv. cap. xx. In Belgica provincia candidum lapidem serra, qua lignum, faciliusq; etiam secant, ad tegularũ & imbricũ vicem; vel, si libeat, ad quę vocant pavonacea tegendi genera, & hi quidem sectiles sunt. lib. xvi. cap. xxxvi. In Belgis calami coma contusa & interjecta navium commissuris ferruminatur textus. lib. x. cap. xxii. A Morinis anseres Romam usque pedibus venisse scribit. l. 12. c. 1. Platanus jam ad Morinos usque pervecta, ad tributarium etiam pertinens solum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant. lib. xv. cap. xxv. In Belgica & Rheni ripis, Lusitanis Cerasis principatus datur. lib. xv. cap. xiv. *ubi de genere vario malorum:* A conditione castrati feminis, quæ *Spadonia* appellant Belgæ. lib. xix. cap. 5. Gelduba appellatur castellum Rheno impositum, ubi generositas siseris præcipua. lib. xvii. cap. vi. Vbios gentium solos novimus, qui fertilissimum agrum colentes, quacunque terra infra tres pedes effossa & pedali crassitudine injecta arenacea, lętificent. M. Varro Rei rusticę l. 1. c. 9. In Gallia Transalpina intus ad Rhenum, aliquot regiones accessi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma nascerentur, ubi agros stercorarent candida fossitia creta. (*marga hæc apud Plinium*) Ausonius de Gelbi flumine, se in Mosellam exonerante:

Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Strideneſque trahens per lævia marmora ſerras.

Silius Italicus lib. 10.

Vt canis occultos agitat cum Belgicus apros,
Erroreſque feræ ſollers per devia merſa
Nare legit.

Virgilius Georg. 1.

Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.

Lucanus lib. 1.

Et docilis rector roſtrati Belga covini.

Martialis in Xeniis.

Caretana mihi fiet, vel maſſa licebit
De Menapis, lauti de petaſone vorent.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [9] - -

GERMANIA INFERIOR Sive BELGICA HODIERNA.

BELGIUM sive Germania inferior ob incolarum virtutes quondam longe lateque celebratum in septendecim provincias dividitur partim quia Principes totidem titulis insigniti fuerunt, partim etiam ob alias rationes; nam in communibus harum provinciarum congregationibus non solebant sub ejusmodi ordine comparere, sed pleræque illarum associabant se aliis communitatibus, Exempli gratia: Ducatus Limburgensis cum suis appendicibus, item Marchionatus sacri Romani imperii Antwerpiensis suffragebantur Brabantia Ducatui, illique tributa pendebant: Zutphaniensis Comitatus quartum Geldriæ membrum constituebat: Econtra Tornacum & tota Tornacensis Provincia, Item *Rÿssel, Dovay & Orchies* (membra sunt & civitates Gallo-Flandriæ) particularia habebant vota & quæque pro sua parte contribuebat: eadem modo factum est cum *Valenciena*, quod tamen Hannoniæ civitas & membrum est. Mutata etsi nonnihil harum provinciarum summa una cum suis partitionibus, nihilominus seriem antiquorum titulorum Principum hodieque adhuc odservatorum breviter prosequemur.

Ducatus in his sunt quatuor, inter quos primus Brabantiæ, Geldriæ, Limburgensis & Lutzenburgensis. Comitatus sunt septem, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Zutphaniæ & Namurcum. Tertius in ordine ob eminentiam est Marchionatus Sacri Rom. Imperii Antwerpiensis. Quartum locum Dominia sibi vendicant Frisia, Mechlinia, Trajectum, Transisulania & Groningiū. Hæ provinciæ plerumq; uno vocabulo Germania inferior sive *Nederland* appellantur respectu situs cum sint reliquis regionibus humiliores.

Hispani, Itali & alii populi occidentaliores appellant has Fiandra & incolas *Flandres* (per inordinatum dicendi modum) nempe partem pro toto usurpantes; siquidem Fiandria propre loquendo, una ex his provincia est Flandria dicta.

Terminos habet Inf. Germania à Septentrionibus Oceanum Germanicum; ab Ortu Frisiam Orientalem, Westphaliam, Colonienſem agrum, Juliacensem Ducatum, Trevirensem Episcopatum; à Meridie & Occasu Galliæ regnum. His finibus adhuc, includuntur Cameracensis Archiepiscopatus, Leodiensis Episcopatus cum aliis quibusdam partibus ad Hasce provincias non pertinentibus.

Ambitus Inferioris Germaniæ quintam Italiæ partem excedit, estq; mille circiter milliarium Italicorum, vel trecentarum & quadraginta leucarum Belgicarum. Oppida in ea numerantur ducenta & octo mœnibus cincta, ex quibus maxime celebria, opulenta & potentia sunt Amstelodamū, Middelburgum, Rotterodamum, Lovanium, Antwerpia, Bruxellæ, Sylva-ducensis civitas, Mechliniū, Lutzenburgum, Noviomagum, Gandavum, Brugæ, Tornacum, Insula, Atrebatū, Valenciena, Montes in Hannonia, Dordrechtum, Harlemū, Delfiū, Lugdunum-Batavorum, Gouda, Namurcium, Zutphania, Leovardia, Trajectum, Daventria, Groningia & alia, quæ singula suis locis describemus. Adhæc centum & quinquaginta loca, quæ quod iisdem cum oppidis immunitatibus fruantur, illis annumerari solent. Pagos numerant sexies mille, trecentos & ultra, præter ignobiliores vicos. sunt præterea infinitæ Toparcharum ac Nobilium Dynastiæ ac dominia, civilibus pariter ac criminalibus judiciis donata. Arces & propugnacula plurima passim sunt, vel vetera, vel belli Belgici tempore exstructa, quibus suus cuiq; vel Regio, vel Ordinum Federatorum nomine præficitur Gubernator & præsidiarius miles.

Si formam situmque provinciarum omnium spectes, non inconcinne *Leoni* comparaveris, quam ob causam in quibusdam tabulis Geographicis sub imagine picti Leonis exhiberi solent, allusione non inconcinna, cum pleræque hæ provinciæ, earumque insigniores urbes Leones diversi coloris insignibus suis repræsentent, quæ quidem insignia, tunc sibi vendicasse dicuntur, cum sub famosissimo Duce Godefrido Bullionæo Europæi Principes in Orientem adversus Mahometistas exercitus mitterent. Forma autem Leonis Belgici ita se habet, ut caput constituant Groninga, Frisia Occidentalis & Transisalania, collum mare internum, quod *de Zuyderzee* vocant & Trajectensis provincia; pectus referat Gallia, dorsum omne, littora Hollandiæ, Zelandiæ, Flandriæ, Grevelingam usque: pes anterior dexter Limburgum & Valckenburgum habet, sinister Lucenburgum: Venter Brabantiam, Mechlini-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

Germania Inferior.

niam, Namurcum, Hannoniam: pes vero posterior dexter Artesiam; sinister Artesiæ & Hannoniæ partem.

Situs præcipuis Europæ partibus valde peropportunus; nam versus Septentrionem non nisi quinq; vel sex dierũ, itinere distat à Dania, qua cum plurima nobis intercedunt commercia. Ad Meridiem Franciæ Lotharingiæque perpetuo nexu adhæret. Ad Ortum terminatur Germania, ad quam frequens & quotidianus mercantium aditus; ad Occasum vicinã habet Britanniam, in quam paucarum horarum spatio traiicitur, eadem fere Hiberniæ ratio. In Norwegiam insuper, Sueciam aliasque Septentrionis regiones facilis ex his terris lecto Germaniæ Littore navigatio, uti & in Lusitaniã & Hispaniam. Etenim Olyssippone decem plus minus dierum itinere in has oras trajicitur.

In ea parte, quæ cis Rhenum in Gallico solo est, pronuntur Toxandri, inter Mosam & Flandriam ad Oceanum; inde Menapii Brabantiæ pars & Geldriæ ad Rhenum usq; Morini adhæc pars Flandriæ inter Oceanum & Legiam amnem; Atrebates aliique. In altera parte, quæ trans Rhenum in Germania sita est, fuere quondam Frisii á Rheni ostio ad ostium usque Amisiæ amnis vulgo *de Eems*; in Septentrionali Hollandia, Frisia Occidentali, Groningensi agro & parte Trajectensis Provinciæ: Bructeri in Transisalana provincia; Marsaci circa Amersfortiam, inter Rhenum & Isalam amnes. Hos omnes L. Drusus imperitante Augusto Cæsare subegit. Illos, qui in Gallia, Iulius Cæsar perdomuit. Manserunt inde sub imperio Romano, maxime qui cis Rhenum; donec id Theodosio imperante ab exteris gentibus direptum. Tunc enim varii Germanicæ populi, alii subinde atq; alii huc immigrarunt, quorum cum quidam postea in Galliam, nonnulli vero in Britanniam insulam commigrarent, incolæ in priscam, creatis sibi regulis, libertatem sese vendicarunt. Inde temporis successu septendecim provinciis definiri cœpit Inferior Germania, quarum aliæ Ducum, aliæ Comitum, aliæ etiam Dominorum titulo rectores acceperunt. Procedente tamen tempore, alia alii provincia per rectorũ matrimonium juncta est; donec tandem ad unum dominum pervenerint. Is primus fuit Carolus Burgundiæ Dux cognomento audax, pater Mariæ, quæ Provinciarum omnium domina hæreditaria Maximiliano Austriaco nupsit, à quibus devolutum earum regimen ad Philippum Austriacum filium, qui ducta uxore Joanna Ferdinandi Regis, Arragonum filia, fatali his terris matrimonio, eas Hispaniis annexuit. Natus ex his Carolus v. Imperator, cui successit Philippus II, sub quo à Principe suo magna & quidem potissima Belgicæ pars defecit: nam cum incolæ jam inde à Carolo v vim atque injuriam sibi fieri, privilegiaque, quibus satis libertati suæ provisum erat, eripi quærerentur; vim vi repellere, armisq; libertatem avitam defendere decreverunt. Inde diutinum illud tot annorum bellum. Pars Hispanorũ armis succubuerunt; pars in pristinam libertatem se vindicavit. Hinc in duas partes Belgica, sive inferior Germania divisa est. Provinciæ Hispanorum imperio subditæ sunt istæ. Brabantia, Limburgum, Luceburgium, ac dimidia pars Gelriæ, cis Rhenũ ac Vahalim in veteri Belgica sita; dein Flandria, Artesia, Hannonia, Narmurcum, Marchionatus S. Imperii & Mechlinia. Reliquæ sub una Republica Ordinum Fœderatorum nomine tituloq; armis constanter & feliciter hucusque libertatem defenderunt.

Flandriæ magnitudo

Flandria omnes Christiani Orbis Comitatus superat, ager fertilis, pascuaque læta. Insulas habet adjacentes *Cadsant*, Oostburg, Bierfliet, Ordinibus Federatis jam parentes. Urbes ejus præcipuæ sunt: Gandavum vulgo *Gent* caput hujus Provinciæ, inter majores Europæ urbes computata, Caroli v incunabulis nobilitata. Brugæ vulgo *Brugge*, primas ob pulchritudinem & amœnitatem sibi vendicant. Sequuntur Tornacum, Gallis *Tournay*, Germanis *Dornÿck*; Cortracum, Gallis *Courtray*, Germanis *Cortrÿck*; Duacum *Douay*; Insulæ Gallis *l'Isle*, Germanis *Rijssel*; Iperæ *Iperen*; Neoportus *Nieuport*, *Sluisa*, *Duynkercka* pyratica toto belli Belgici tempore insignis, Ostenda triennali Hispanorum obsidione celebrata; Grevelinga in finibus Galliæ.

Artesia.

Artesiæ caput est Atrebatium, Germanis *Atrecht*, Gallis *Arras*: Fanum D. Audomari, vulgo *S. Omer*; Tervanna insignis quondam urbs, postea vero à Carolo v. expugnata ac funditus eversa.

Hannonia.

Hannoniæ caput est Montes, vulgo *Mons* Gallis, Germanis *Bergen*. Secunda ab ea Valentianæ, Gallis *Valenchienes*, Cameracũ, Germanis *Cameryck*, Gallis *Cambray*, cum agro suo singularem provinciam conficere videtur, quæ dicitur Cambrensis.

Namurcum.

Namurcum, Gallis *Namur*, Germanis *Namen*, caput est provinciæ cognominis, urbs ædificiis magis valida quam splendida.

Luceburgum.

Luceburgium Ducatus nihil insigne habet, præter Luceburgium unde provinciæ nomen.

Limburgum.

Limburgii itidẽ caput est Limburgium urbs, minus inter reliquas 17. Provincias clara. Falcoburgium ac Dalẽ duo Comitatus, portiones sunt Limburgensis Ducatus.

Antwerpia.

Primaria Brabantiæ urbs est ANTWERPIA, Gallis *Anvers* Germanis Inferioribus *Antwerpen*, Superioribus *Antorf*. Emporium quondam totius Europæ celeberrimum, nunc etiam totius terrarum Orbis splendissima, arce sua maxime nobilis. Bruxellæ magnifica urbs rectorum Belgii Hispanici sedes. Silva-ducis, civitas hactenus situ ac opere invicta, nuper auspiciis Ordinum Hollandiæ, ductu & moderamine Frederici Henrici Principis Auriaci expugnata. Lovanium Musarum Sedes. Præterea *Breda*, *Sevenberga*, *Berga ad Zomam*, *Liera*, *Herentals*, *Diesta*, *Tienen*, nuper à Gallis misere attritum & *Gemblours* haud ignobilia sunt oppida.

Mechlinia.

Mechlinia Germanis *Mechlen* & Gallis Malines, quæ unam provinciam conficit, inter nitidissimas Belgicæ merito numeratur. De cætero est in Brabantia Ducatus Arschotanus, Marchionatus Bergæ ad Zomam; Comitatus *Hochstraten* & *Megem*, Baronatus Bredæ, Diestæ ac Grimbergæ.

Zelandia.

Zelandia in insulas complures dissecta est, quarum nobiliores Walachria vulgo *Walcheren*: Scaldia vulgo *Scouwen* & Bevelandia Austrina alias *Zuyt Bevelant*. In Walachria urbs primaria est Middelburgum, celebre emporium, excipiendis mercibus Gallorum, Anglorũ, & Scotorum oportunũ. Secunda est Vlissinga, ubi proximus est ex Gallia ac Britannia appulsus. *Vera* Scoticarum mercium emporium. In Schaldia insula est Zirizæa, oppidum satis nitidum & amœno situ positum. In Bevelandia est *Goesa*.

Hollandia.

Hollandia ob frequentia in varias mundi partes commercia totius Belgicæ celeberrima potentissimaque dividitur in Septentrionalem & Australẽ. Septentrionalis *Hollandiæ* pars crebris lacubus interfusa *Waterlant* incolis vocatur. Princeps dignitate est totius Hollandiæ urbs Dordracum, in ipsis lacuum, quos Mosa Vahalisque efficiunt, undis sita, vini Rhenani frequenti mercatu nobilissima. At maxima potentissimaque est omnium Amstelodamum, opulentissimum ad Oceanum Germanicum emporium. Lugdunum Batavorum omnium Belgicarum, nedum Hollandicarum, platearum nitore, laudatissima. Delphi Gulielmi Principis Auriaci cœde famosa civitas. Roterodamum natalibus Erasmi Roterodami clara, secundum ab Amstelodamo emporium. Haga Comitis nobilissimus totius Europæ vicus, multisq; urbibus præferendus, Comitum quondam Hollandiæ, nunc Concilii Federatarum Provinciarum sedes. Sunt præterea nobiles urbes Harlemum typographiæ (ut volunt) inventrix, Gouda, Geertrudis Mons, Alcmaria, Edamũ, Horna, Monickedamũ, Purmerenda, Enckhusa. In insulis Australibus est Briela, & jã collapsa Geervlietia. Septentrionali Hollandiæ adjacent Insulæ duæ

Texela

Texela & Flielant navium ſtationibus celebres. Eſt & in Hollandia Comitatus *Egmont* & Baronatus, Brederodiorum, *Vianen.*

Trajectum *Trajectenſis* Provincia nomen accepit à capite ſuo Trajecto ſive Ultrajecto. Urbs eſt ampla atque magnifica, Epiſcoporum quondam Friſiorum ſedes. Eſt & Amerſfortia haud ignobile oppidum.

Gelria. *Gelriæ* Ducatus in duas hodie ſecatur partes; quarum altera Hiſpanici; altera Fœderatorum juris eſt. Hiſpanicæ Gelriæ caput eſt Ruremunda, ſedes Epiſcopalis & conventus Iuridicus; dein *Gelre*, quæ nomen Ducatui dedit: poſt eam Venloo. Geldria Fæderata inter tres potiſſimum dividitur portiones, quarũ Velavia de Veluwe, urbes habet Arenacum, vulgo Arnhem, caput in hac parte ac ſedes olim Ducum, nunc conventus, juridici totius Provinciæ: Harderwicum & Elburgum. Batavia altera pars, hodie *de Betuwe*, veteris Bataviæ nomen retinet, in hac ſunt Comitatus *Buren* & *Culenburg*, eodemque pertinent urbes Bommelia & Noviomagus. Tertia pars antiquæ Gelriæ eſt Comitatus Zutphanienſis, quæ provinciis ſeptendecim annumeratur; nomen habet à capite ſuo *Zutphen.* Sunt præterea hic valida munimenta. Grolla, Bredefort, Lochemum.

Tranſiſſalania. *Tranſiſſalania* nomen habet à ſitu trans Iſſalam flumen; dividitur in tres partes, *Saland*, *Twente* & *Drente.* Tota provincia celebratur tribus quondam liberis civitatibus. Daventria, Campen, Swolla. Sunt præteræa duo hic nobilia propugnacula, *Steenwyck* & *Coevorden*, quorum illud ſatis egregie oppidum.

Friſia. *Friſia* quæ Occidentalis cognominatur vulgo *Weſtfrieſlant*, caput habet Leovardiam urbem Splendidam ac magnificam, ubi conventus juridicus totius provinciæ, præfectorumque ſedes: Sequitur Harlinga, Franekera, Sneca &c.

Groninga. Groningenſis provincia à Groninga urbe ſatis ampla ac munita nomen habet. *Delfziel* locus verſus Germaniam munitiſſimus.

Et quanquam præſtaret ut de regimine harum provinciarum aliquid attexeremus videlicet: De præſide aut Gubernatore totius Belgii; de conſilio Statuum; De conſilio privato & Finantiarum ut vocant; de conſilio Cameræ rationalis: De conſiliis Provincialibus; de militia Belgica; de dominiis ſeu bonis patrimonialibus Principis & de modo convocandi Status; attamen cum iſta regiminis facies, poſt abdicatum Hiſpaniarum Regem ſummopere mutata eſt & indies adhuc ſub vacillanti fortunæ ſolio ventilatur, lectorem ad ea legenda & invenienda remittimus ad Guicciardinum qui copioſiſſimus ſuo tempore in iis deſcribendis fuit, ſiquidem tum alius harum provinciarum erat ſtatus quam nunc temporis. Feſtinamus igitur ad alias harum provinciarum commoditates deſcribendas.

Piſcium commoditas Magnam utilitatem præſtat halecum captura, quæ non in ullo omnino flumine, non in mari mediterraneo non etiam in Hiſpanico, aut ullo omnino mari, præterquam in ſolo iſto ſeptentrionali Oceano inveniri ſolet, quarum lucrum eſt mille unus & quadringenta ſeptuaginta aureorum millia. Secundum genus eſt aſellorum majorum Belgis *Cabeljau*, Gallis, poſtquam ſale conſperſi ſunt *Molue.* Capiuntur autem & falliuntur in totum annum, eam profecto copia ut ex eorum piſcatu quingena quotannis ad hunc tractum redeant aureorum noſtratium millia. Tertium denique genus piſcium eſt Salmonum, quem in Hollandia quidem & in Zelandia numquã non fere invenias, at præcipua tamen ejus captura, Aprili, Majo & Iunio menſibus, quo tempore tanta ſalitur eorum copia, ut in longe majorem ducentis aureorum millibus, ſummam iſtius piſcationis ratio quotannis excreſcat.

Mercatores Belgici. In Belgio inveniuntur ſtrenui mercatores adeoque omnis generis mercimoniorum peritiſſimi ut negotiatione potiſſimum & opificiis tota pene Provincia nitatur. Quod apparet inprimis ex tam variis egregiorum pannorum generibus, tapetibus nempe ad miraculum pulchris, ſaiis, oſſettis, ſemi-oſſettis, Linteis, fuſtaneis aliiſq; diverſi generis ſimul & pretii mercibus, quæ non in omnem ſolum Europam, ſed & Africæ multas partes, adeoque in ipſas uſque tam Orientales quam Occidentales Indias, Hiſpanienſi & Luſitanica via hinc exportantur.

Aëris bonitas. Aër craſſior humidiorque eſt, ſalubris tamen & digeſtioni admodum proprius, ac generandis cujuſque generis rebus vel imprimis idoneus, adeo quidem, ut niſi indigenæ in victu eſſent immoderatiores, nec curam valetudinis negligerent, futuri ſint longævi, cujus rei exemplum præbet Campania tractus Brabantiæ, ubi agro ſterili parcius viventes & laboribus aſſueti agricolæ diutiſſime vivunt. Æſtas hic peramœna ob caloris temperiẽ; Hiems longior, tempeſtuoſior, & flantibus Borea, Hyperborea, Euro, Vulturno, frigidior.

Soli commendatio. Solum ubiq; eſt planum, & in quo pauciſſimos admodum offendas colles; montes vero pauciores, niſi quod in Ducatu Lucenburgenſi & provincia Namurcenſi ac Hannonia frequentiores occurrant. Eſt & pluribus in locis ſabuloſum, ut in Flandriæ & Brabantiæ quibuſdam tractibus. Univerſim tamen (ſed pro regionis cujuſque ingenio plus minus) laudabile ac fœcundum, tritici aliarumq; ſegetum feraciſſimum, ita ut frumento, hordeo, ſiligine, ſecali, lino & cannabi abundet. Propter frequentiam incolarum fit, ut aliunde ſegetes importari neceſſe ſit, nec alendis civibus ſuis ipſa ubique ſufficiat, minime vero in Hollandia. Gignit inſuper tellus fructus arboreos varii generis, pyra, mala, pruna, ceraſa, mora, perſicatã præcocia, quam ſerotina, juglandes, avellanas, meſpila. Amygdala, ficus, mala medica, citrea, punica, ferre, recuſat, ob caloris inopiã, quæ tamen tranſmarinis navigationibus ex Hiſpania copioſe advectatur. Vites paſſim habet, ſed nec copioſas, nec idoneas colligendis vinis, ob uvam raro percoctam. Rubia tinctorum hic abunde colligitur præcipuæ in Zelandiæ, Hollandiæque inſulis.

Arbores habet omnis fere generis, quercus, fagos, fraxinos, cerros, platanos, populos, ſalices; at magis ad focum, quam exſtruendis ædibus idoneas, quales è Norwegia & Weſtphalia petere ſolent. Sunt & hic tiliæ fronde & forma ulmis ſimiles, etiam ſpecies quædam populi albæ, quã *Abeelen* vocant, eas copioſe gignit Brabantia. Aromata non fert, nec quas habet herbas veterum medicinales ea hic pollent facultate, qua in Græcia & Italia. Olerum vero ac hibernarum, quarum in acetariis aliiſque menſarum deliciis uſus eſt, propria hic ſedes, tum vero & varii generis bulbi ac radices, pulchriores hic ſunt & fortaſſis etiam meliores, quam in Italia. Fert cucurbitas, cucumeres, carduos altiles, aſparagos & id genus hortenſia, roſas floreſque omnigenos. Etiam, ſi æſtates faverint, melones ſufficit mediocriter bonos. Nulla hic, ſaltem in frigidioribus terræ partibus animalia valde venenoſa, uti viperæ, aſpides, ſcorpii, aliaq; ſerpentium Italiæ nota genera. Bufones habet & lacertas aquaticas & hirundines. Ad pharmacorũ vero confectionem & conſimiles uſus adfatim huc venenorum exoticorum importatur adeo quidem, ut & theriaca, mithridatium Orientis exemplo hic confici ſoleant. Agrorum pratorum, paſcuorum amœnitate nulli regioni cedit. Ubique digeſtas in quincuncem arbores videas, & renidentes hinc inde fructus. Paſcua tum ob glebæ indolem, tum ob humoris copiam ex humili terræ ſitu ſcaturientem, pinguia. Domeſtici atque cibarii pecoris, bubalis tamen exceptis, genera regiones abunde ſuppeditant. Boves Friſia & Hollandia magnos potiſſimum alunt. Donatus aliquando fuit Mechliniæ Comiti Hoogſtratano Friſius bos pondere bis mille quingentarum & viginti octo librarum Brabanticarum. In Hollandia anno CIↃ IↃC XXX in ſpectaculum circum ductus fuit bos ter mille librarum Hollandicarum. Nutriverat illum Brabantia,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

bantia. Equos præſtantes Friſia mittunt & Hollandia Borealis. Lanæ hujus regionis duriores paulo ſunt Hiſpanicis & Anglicis, quod ex pratorum paſcuorumq; humiditate fieri exiſtimant. Non generatur hic ſal, ſed nitidior redditur, non alumen, non ſulphur. Nec fodinas habet alicujus momenti. Fontes rari & non niſi in montoſis locis. Lacus, ſtagna, paludes non tantum ad aquarum uſum, ſed & ad piſcium capturam valde frequentes, potiſſimum in Hollandia.

Fluvii. Fluminibus irrigatur Germania inferior præſtantiſſimis. Præcipua ſunt Rhenus, Moſa, Scaldis & Amiſia. Minora, Moſella, Iſala, Liſa, Aa, Dola, Deſa, Demera, Vidrus, Scarpa & alia permulta. Rhenus gemino fonte ex monte Adula, quem hodie S. Gothardi appellant, profluit, ac ad Orientem Solem contendens, quarta ſupra Curiam Epiſcopalem urbem leuca alveum geminum conjungit, ac unico hic vocabulo contentus ſtatim ſit navigabilis. Inde vero ad ſiniſtram flectens in arcum ſe contorquet & veluti ſemilunam atque hoc modo inter altiſſimos montes per ampliſſimam quandam vallem verſus Septentrionem deſcendens, in vaſtum illum Coſtantienſem ſeu Brigantinum & hinc rurſus in Cellenſem lacum effunditur. de quo alibi latius non ſolum diximus, ſed ejus curſum à capite uſque ad calcem deſcripſimus.

Moſa ex monte Vogeſo profluit, quē Vademontium hodie nuncupant, in finibus Lingonum, non longe ab Araris atque Matronæ fontibus prætervectus fanum S. Theobaldi incipit navigiorum eſſe patiens. Inde Verdunum tranſit & ab eo in Cæciam vergens Moſonem & Maſerjacum, vulgo *Maſieres* pergit, unde rurſus ad Septentrionem deflectens, luſtrat Carolomontium, Bovinas, Dinantum, Namurcum, ubi recepto Sabi jam major atq; ſuperbior ad Aquilonem convertitur & Hujum ingreſſus Leodicum & Trajectum (ad Moſam) perfluit, atque hoc modo Brabantiam à Clivia Gelriaque diſpeſcens, Stochemium, Maſacum, Ruremundam & hinc Venlonam ſe confert. Ubi ad Occidentem converſus & aliquot milliaria progreſſus Cuyquio, Gravia, Raveſteinio & Meya luſtratis ad Herverdiam Vahali ſe miſcet, rurſuſque abillo diſjunctus prope arcem Loveſteinium denuo illi ſociatur, & adſcito mox nomine Mervæ, amplo ſinu fertur Dordracum, quod prætergreſſus rurſus Moſæ nomen apud Iſelmundam adſciſcit & laxior factus Maëſlandiam Brielamque inter, magna rapiditate in Oceanum excurrit.

Naſcitur *Scaldis* in Picardia, tractu Veromanduorum, juxta *Beaurevoir*, in vicinia Caſtelletti, ex eodem, quo Somona & Sabis, flumine originem trahens. Cameracum primo, mox Valentianas attingit, ubi navigabilis fieri incipit. Inde Condatum, & recepto mox fluvio Scarpa Fanum S. Amandi alluit. Unde ad Septentrionem flexo curſum Tornacum interſecat, hinc Aldenardam & hinc Gandavum, ubi recepto Livia ſimul & Liſa fluviis. Teneramundam ingreditur & recepto hic Tenera ſiniſtro cornu prætervehitur Rupelmundam, moxque auctior factus magnificam Splendidamque Antverpiam, qua in longum oræ ejus adjacet, lambit. Quam prætervectus alluenſque arcus hinc in Flandriæ; illinc in Brabantiæ ripa exſtructas in duos ſe amnes, facto divergio, dividit, quorum alter aſſumpto *Honta* nomine, inter Flandriæ Sluſam & Walachriam Zelandiæ inſulam in Oceanum excurrit: alter ad Septentrionem deflectens & Bergozomium eminus prætерlapſus Zelandiæ inſulas variis veluti brachiis interſtinguit, & in Orientalem partem *Beooſterſcheld* dictam, & Occidentalē *Beweſterſcheld*, partitur, interquas ad Oceanum porro contendens, amiſſo inter Schaldiam & Walachriā nomine, eidem ſe miſcet.

Amaſis primordia ſua ex Weſtphalia arceſſit circa pagum, cui nomen eſt Viedeburgum, & in Caurum ſtatim contendens, prætерlabitur Varendorpiū. Hinc Monaſterio urbi factus vicinior Greviam, Rhenam, Elbergam & Lingam, Meppam, Heſſopium, Haram, Langiū, Berſelium, Scarpenbergam, Reidam, Bachbantium, Metelinum aliaq; loca prætervectus, Iemercum tandem allabitur, locum clade Comitis Lodovici Naſſovij celebratum, unde ad Occaſum converſus magnum efficit lacum, ad cujus dexteram ſitum eſt oppidum Embda, ſupra quod immenſo ore in Oceanum Septentrionalem effunditur. *Moſella* (ut etiam de minoribus fluviis dicam) haud procul Baſilea oritur, inter omnes Vogeſum, & Novi Caſtri, Lotharingiam interſecans Metim adit, inde permeans Luceburgenſem regionem, Theonvillam, luſtrat donec Treveros prætervectus, tandemq; amplior violentiorque factus ad Confluentes, *Coblents* vocant Rheno ſe abdit. *Iſala* in confiniis Cliviæ ortus, prope Duyſburgum foſſam Druſianam recipit, & porro Zutphaniam, Daventriam & Campas alluens in lacum Flevum excurrit. *Liſa* in Arteſia naſcitur ad Liſburgum pagum, cui nomen ſuum impertit, haud procul à Terovana & Ariam oppidum præteriens, Armenterium, Viroviacum & Menenum alluit, hinc Cortracum fere medium ſcindit, & Deinſam prætерlapſus Gandavum ingreditur, ubi in Scaldim effunditur, vario laudabilium piſcium genere nobilis. *Aa* naſcitur in finibus Morinorum & Fanum S. Audomari alluens Gravelingam contendit, ubi in Oceanum intrat. *Dola* Lovanium & Mechliniam irrigat, tandemque in Scaldim exit. *Deſa* in terra Leodicenſi ortus Buſcumducis adit, inde Moſæ permiſcetur. *Demera* prope Tungros ortus, Bilſam & Haſſelam tranſit, & deinceps Dieſthemium, Sichemium & Aroſchotum pervagatus Dolæ ſe permiſcet. *Vidrus*, Belgice *de Vecht* dictus, naſcitur in Weſtphalia & interfluit Comitatum Benthemienſem, Hardenbergam, Ommam, & tandem Haſſelium alluens in Flevum excurrit. *Scarpa* duplici fonte in Arteſia ortus, utrumque torrentem mox permiſcens integer Atrebatum pervenit, longoq; mox curſu Duacum aliaſque urbes adiens Scaldi abſorbetur.

Habet prætereа hæc Regio ſylvas & nemora. *Arduennā* ſilvam hic ſtatuit C. Cæſar, quam idem tradidit à Rheno fluvio per fines Treverorum ad Nervios & initiū Rhemorum pertinere, & millibus paſſuum amplius cccc, patere in longitudinem, attingere Menapios, Eburones, Advaticos uſque ad Scaldim. Hæc noſtro tempore multo eſt minor, neque 90 milliaria exſuperat. Sunt & aliæ, Mormautium in Hannonia, Sylva D. Amandi & Fagniacenſis ibidem: Sogniacenſis in Brabantia: Niepa & Nonna in Flandria, *Septem Saltus*, *Seven Wolden* in Friſia: Oceanus Hollandiæ, Flandriæ, Friſiæ latus verberat, reliquiſque provinciis navigationes commodas præbet. Magna ejus hic eſt vis, ubi ventis tempeſtatibuſque concitatus terris incubat, & quidem tanta, ut agros, campoſque, pagos urbeſque mergat. Exemplo ſunt non ſolum Zelandiæ aliquot tractus mari abſorpti, ſed & Hollandiæ Dordracum ac Gertrudis-bergam inter, & annuæ fere ejus in Friſia irruptiones inundationeſque, adverſus quas tantum incolarum profectum eſt induſtria, laboribuſque aggeres illi obiicientium, ut niſi inſolitæ ac ſupra modū horrendæ tempeſtates ſuperveniant, conſpirantibus inter ſe Cauro, ac immenſo maris æſtu, vix damnum ullum metui poſſit.

Scatent vero hæ omnes ſylvæ variorum in uſum venationis genera feris, quales nimirum cervi, damæ, caprioli, apri, lepores, cuniculi, taxi: quin & glires quoque & erinacei, quorum omnium carnes ſuaves quidem & delicatæ, Italicis tamen, præſertim quod lepores attinet, cedunt. Neque deſunt prætereа lupi, vulpes, muſtelæ, ſed è contra adſunt & canes, grandes illi quidem, ac præferoces, & cum noxiis illis feris pellendis, tum & in reliquos venatorum uſus perutiles, quorum optimi tamen ex Anglia nobis ſuppetunt. Eſt autem & peculiare quoddam hic canum ſagacium genus, quos Itali nominant *Segugos*, ea indole & virtute, ut operæ pretium ſit eos attingere: maxime cum & Silius Italicus, inſignis jam inde ab Neronis ævo poeta, ærorum cum laude qui-

Sylvarum utilitas.

dem

dem, libro decimo de bell. Punico. faciat mentionem. Duæ ergo sunt canum istorum species; alii enim mediocres, alii quidem minores, sed iidem & pulchriores, ac auribus fere ad terram demissis; utrique autem eo ingenio & sagacitate, ut statim atque conspexerint feram vel ejus vestigia odore perceperint, tanta aviditate per saltus, sepes, valles & montes ea prosequuntur, ut non ante quiescant quam vel feram invenerint vel venatori suo designarint; quocirca magnis etiam pretiis exteri eos canes licitantur, quos in alias oras hinc avehant.

Aves feræ. Habet & perdices etsi non ex earum genere, quas Florentini *coturnices* dicimus: præterea phasianas, turtures. In summa omnes hic fere invenias avicularum plus quam mediocrium species; nominatim vero alaudas, quorum ingens est numerus, quæque bonitate simul & suavitate Anglicanis fortasse non cedunt. Pavones etiam, cygni, ardeæ, ciconiæ, anseres, anates, gallinæ Africanæ, Indicæ, Cimbricæ & nostrates magnitudine & bonitate laudabiles in magna copia visuntur; sicut & columbarum, tam ferarum quam domesticarum varia genera. Tanta insuper in Batavis avium aquaticarum copia, tam variæ species ut non solum spectatores sed & ipsos aucupes cum animi voluptate afficiant.

Forma Incolarum. Indigenæ hujus terræ forma ut plurimum sunt venusta, corpus iis quadratum, ac justo temperamento aptaque compositione decorum, & inter alias quidem membrorum proportiones, pulchra valde tam viris quam fœminis crura. Statura in universum sunt justa, quam multi tamen excedunt præsertim in Hollandia & Frisia, ubi corpore fere prægrandi & supra modum proceros. A primordiis Belgæ semper fuerunt addicti religioni, quæ etiam inter primos Galliæ & Germaniæ populos inventi, qui salutari Christianorum fidei dederunt nomen, faciente Divo Materno Ticinensi primo Tungrorum Episcopo jam inde ab anno Christi centesimo primo, quam & religiosissime semper tenuerunt & maxima veneratione prosecuti sunt.

Virtus Belg. in bello. In bello tam maritimo quam terrestri, sive id equitatu gerendum, seu peditatu valde fortes, præsertim ubi ducem aliquem nacti acrem & strenuum, quales vix unquam is desunt. Accedit & summa rerum maritimarum peritia qua fit, ut navibus suis, quarum infinitus pœne est numerus, omnes fere mundi plagas adeant atq; perlustrent & equidem sine defatigatione quocunque anni tempore cum ventis quibusvis & procellis colluctantes.

Homines docti. Eruditorum & in omni pene disciplinarum genere versatissimorum hominum magnus hic quoque numerus, unde & olim fuere hodieque sunt complures, iisque celebres valde scriptores. Nec minorem variarum linguarum cognitionem habent tam domi nati, seu qui peregre aliquando profecti, præsertim quarum in Europa omni plurimus est usus, res & laude simul & admiratione dignissima,

Ingenii solertia. Ingenium Belgis sedatum & in omni sorte plerumq; tranquillum. Fortuna cæterisque rebus terrenis utuntur prudenter, & pro re nata; nec facile perturbantur, quo ipsum vel ex eorum sermonibus atque adeo vultu facile colligas; vix enim nisi extrema senecta canescunt. Quod si qui in iis atræ bili magis obnoxii, & ut sic dixerim Saturnini, dolori plus satis indulgent, ii videlicet, quod ferendo sint impares, mox vincuntur & contabescunt. Viri in universum non nimis ambitiosi, ista ut multos videas, qui postquam industriam suam aliquot annos exercuerunt, ac vel publico aliquo munere, vel mercatura, vel alia denique honesta ratione sufficienter auxerunt rem, cognatis & propinquis dent locum, laboribus corpus & animum laxent, ac in otium sese, laudabili prorsus exemplo, recipiant, facultatum aliquam partem ædificationi, cui impense dediti, partem rursus agrorum aliorumque proventuum emptioni impendentes.

Mulierum Belg. laus. Mulieres, præter insignem formæ præstantiam, qua communiter quidem uti jam dixi, excellunt, compositissimis quoq; sunt moribus, & nativa quadam venustate gratiaque decoræ, quod fit, quia inde à pueritia, recepto quodam & usitato patriæ more, libere statim & familiariter cum quibusvis versentur, unde & in sermone & in cæteris vitæ commerciis, liberæ, promptæ, audaces.

Victus frugalitas. Domesticus & solemnis familiarum in Belgia victus parcus admodum & frugalis. Potus fere cervisia ex aqua semel atque iterum cocta; tum farre, hordeo, tritico & lupo salictario capta quadam & peculiari mixtura, confecta. Creber illis usus lactis, pane ut plurimum victitant secalicio. Saliunt inde quotannis, pro familiæ quidem & facultatum modo, unum aut alterum bovem, tum & totidem sues: hinc caseo, butyro, altilibus, piscibus sale conditis & arboreis fructibus penaria sua tam largiter instruunt, ut magnam anni partem indidem victitent, ac non nisi perraro quidquam à macellariis præstinent, quæ parsimonia nonnunquam, tamen excedit.

Artes. Artes Mechanicæ nusquam magis quam hic vigent non sordidæ illæ & vulgares, sed nobiliores. In picturis excellunt quam maxime uti nostro ævo palmam meruere Goltzius, Rubenius, aliique.

Academiæ. Academiæ Belgicæ sunt Hispanicæ quidem ditionis *Lovanium* & *Duacum:* Confœderatarum Provinciarum Lugdunum-Batavorum, *Franekera*, & nuper erecta *Groninga.*

c et d

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [14] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [15] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [16] - -

DESCRIPTIO
BRABANTIÆ
GENERALIS.

Quare Lotharingiæ titulus Brabantiæ præferatur.

INTER Ducatus in his septemdecim provinciis positos, præcipuus quidem est BRABANTIA, quamvis harum Provinciarum Principes in suis generalibus titulis Brabantiæ titulum non prima fronte, sed præteritis illis Lotharingiæ ponunt, quod ab antiquis temporibus usque ad hanc nostram ætatem observatum fuisse satis ex hoc constat; cum Serenissima Hispaniarum (piissime memoriæ) titulo sic inchoavit: *Nos* ISABELLA CLARA EUGENIA *Hispaniarum Infantissa, Dei Gratia Archiducissa Austriæ, Ducissa Lotharingiæ, Brabantiæ & Lucemburgii*, &c. Et quidem ex causa Lotharingiæ, quod Latine scribentibus est Lotharia, sive, ut alii, Lotharingia: Teutonice *Lottrijck:* Gallice vero *Lottier*, vel *Lorraine:* Itali Gallos sequuti vocant *Loreno*. Sed notandum, omnes hasce utcunque corruptas voces ab Lothario derivari, Imperatoris Lotharii filio, Caroli Magni nepote. Qui Imperator Lotharius, scribente Paulo Æmilio, aliisque auctoribus, tactus Zelo religionis, monachismum professus est anno Christi 886, renignato tamen prius, & inter tres quos habebat melioris sexus filios distributo maximo suo imperio, ac Lothario quidem jam dicto cessit ex parte Burgundia, simul cum universa, quam tunc vocabant, Austrasia, qui tractus ab ipso Lothario, licet alii velint ab ejus patre, Lotharingia postmodum dictus; & Lotharingiam strictius sumptam, Brabantiam, Hannoniam, Geldriam, Cliviam & alias terras fuit complexus. Possedit vero hanc sic late diffusam terram Carolina stirps, usq; dum Carolus III, Galliæ Rex, cognomento Simplex nimium sane simpliciter, cederet eum Henrico I Imperatori anno scilicet Christi 924. Atque hinc factum, ut post aliquot tempus Imperator Otto II advocaverit Carolum, Galliæ Regis Lotharii fratrem, quem ut alienaret ab Rege, creavit Lotharingiæ Ducem, sed accisis mirum in modum limitibus, & concessa Colonienſi & Leodicenſi Ecclesiis non contemnenda ditionis illius parte. Fuere autem ex illa, quæ antea cuicunque etiam magno Regno par, deducti & velut membratim ab corpore suo avulsi complures Ducatus & Comitatus. Lothario aliquanto post vita functo successit Ludovicus V, postremus Carolinæ stirpis Gallorum Rex, qui & ipse intra annum, sine liberis, fato concessit. Quare Carolus Lotharingus, ceu legitimus Regni hæres, ad recuperandum id, jam tum ab Hugone Capeto occupatum, contendit, sed cum Gallis esset parum acceptus, quibus scilicet videbatur plus æquo in Germanos propensus, infelici est usus fortuna: prælio enim adversus Hugonem commisso, succubuit, ac non multo post cladem, proditione Asselini, Episcopi Laudunensis & Paris Franciæ, in ipsa urbe Lauduno comprehensus, inde Aurelianum adductus & in carcere tandem extinctus est. Hic Carolus tres post se relinquebat filios, qui omnes pueritiam necdum egressi patrem sequuti sunt. Post horum obitum, novum, propter eandem Lotharingiæ causam, inter Imperiales & Gallos, exortum est bellum. Tandem vero post varios ultro citroque transactiones Henricus II Imperator Ducatum hunc contulit Godefrido Arduennensi, adjunctis illi Valentianis & alio quodam dominio, jure clientelari & beneficiario Sacri Imperii nomine possidendis. Godefrido successere per aliquod tempus varii sui agnati; donec Imperator Henricus V privaret hoc ipso Ducatu Henricū Ducem Limburgi, qui possidebat eum concessu Imperatoris Henrici quarti & Lotharingiam omnem circa annum Christi in duas partes divideret, quarum Superiorem hodie Lotharingiæ nomine celebrem & ab gente Vallencontana possessam, Diderico conferret, postremi illius Godefredi nepoti: Inferiorem vero quæ tunc Brabantia Godefrido Barbato, Comiti Lovanienſi. Hic per lineam sequiorem descendisse videtur ab ultimo illo Carolo Lotharingio, fuisseque ut ore simul & stylo asserunt primus qui inter Comites Lovanienses adsciverit, vel si mavis resumserit titulum Ducis Brabantiæ sive Barbantiæ, non omisso interea Lotharingiæ, cum in utramque superiorem nempe & Inferiorem prætenderet jus. Atq; hinc est, quod hodie ejus successores titulum illum Lotharingiæ sive Lothariæ Ducis retineant, hodie vero nihil nisi inanis titulus ab ea supereſt. Et parum facit ad rem, quod aliqui Genapum, Brabantiæ Gallicanæ pagum objiciant atque in eo curiam quandam feudalem & criminalem constituant, quod sine omni habita consideratione frivolum est, siquidem hic locus sub ipsa Brabantia comprehensus proprium Ducatum constituere non potest. Et hæc, quantum ad hunc Lotharingiæ titulum, testimonia sufficiant.

Nominis origo unde.

BRABANTIA quando & unde nomen sibi adsciverit, summopere ambigitur. Sunt qui scribant etymon hoc derivari ab famosissimo quodam Brenno, infestissimo olim Romanis hoste; alii vero derivant ab urbe quadam Brabantia, jam pridem ut asserunt, diruta, de qua tamen nullibi apud ullos historicos tale quid scribitur. Alii volunt derivari a Salvio quodam Brabone ex Arcadia orto cui Cæsar neptem suam desponderit qui Cæsarem usque in has oras sequutus esset: alii a Bratuspandio Bellovacorū metropoli originem nominis traxisse commentantur. Sunt denique doctissimi quidam viri qui serio affirmant nomen factum Brabantiæ ab Godefrido Barbato, quem dicunt, post recuperatam Lotharingiam inferiorem, abdicasse titulum illum Comitatus Lovanienſis, sibique de suo cognomento adsciviſſe titulum Barbantiæ quod in Brabantiam (transposita antepenultima litera in syllaba *Bar*) inde migravit. Ego vero cum ex aliis multis Scriptoribus, tum ex Paullo Æmilio, Brabantiæ nomen didici esse multo antiquius. Ioannes Lemairius, in volumine suo Illustrationum Galliæ, historiam illam de Salvio Brabone testimonio suo confirmans, adeoque Geneologiam ejus & successores enumerans, ubi ad Carolum Martellum deventum est, (qui erat quartus in Ordine Brabantiæ Dux & avus Imperatoris Caroli Magni, & non admodum diu post annū 700 elapsum regnavit magna cum nominis celebritate) testatur legisse se in antiquissimo quodam Codice manuscripto, apud Brabantos invento, hoc ejusdem Martelli Epitaphium:

Ecce Brabantinus Dux quartus in orbe triumphat,
Malleus in mundo specialis Christicolarum:
Dux dominusq; Ducum, Regum, quoque rex forte sprevit,
Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.

Cui subjicit postea epitaphium illud Pipini, Martelli ejusdem filii:

Iste Brabantinus Dux quintus Austrasiorum,
Ex Duce fit tandem Rex, primus germinis hujus.

Unde plurifariam elucet nominis hujus antiquitas. Fieri tamen potest, ut Godefridus ille Barbatus non quidem



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [16] -

Descriptio Brabantiæ generalis.

dem terræ dedit nomen, sed veterem titulum Ducis Brabantiæ resumpserit, omissum fortassis ab decessoribus ob causas in Lotharię descriptione expositas.

Termini. Brabantia versus Septentrionem terminatur Mosa flumine, quo partim a Geldris, partim ab Hollandis distinguitur; ab Austro adjacent illi, Hannonia, Comitatus Namuri & Diœcesis Leodicensis; ab Ortu est idem fluvius Mosa, quo disjungitur rursus ab alia Gelriæ parte; ad Occidentem partim Scaldis est, quo separatur a Flandris, partim cum Comitatu Alostano cohæret. Quod ejus magnitudinem attinet, viginti fere atque duabus leucis in longitudinem patet, sumpto dimensionis initio ab Gemblaco, quod ad Austrum est, oppido, versus Septentriones *Gertrudobergum* usque: in latitudine vero inciendo ad Ortum abinde *Helmonda* versus Occasum & *Bergozomium*; qua nimirum latissima leucas habet præterpropter viginti, circuitus ejus octoginta plus minus leucarum est.

Aëris & cœli ratio. Clemens ubiq; & salubre Brabantiæ cælum, ager planus ac majori ex parte frugum ac fructuum fertilis; licet enim natura Campania sterilis; tamen humanus cultus & improba quædam industria, multis pecorum gregibus & crebra stercoratione ita luculentur defectum hunc explet, ut & bonus reddatur tractus & fertilis. Est deinde Brabantia non lacubus tantum, paludibus, stagnis; sed & eximiis & utilissimis fluviis passim irrigua, quorum præcipui Mosa & Scaldis supra nobis descripti. Nemoribus etiam & sylvis sufficienter instructa inter quas maxime nobiles *Soigniacensis*, *Zaventerlea*, *Grootenhoutium*, *Grootenheista*, *Meerdalia* quas alibi etiam attigimus. Imprimis vero pulcherrimis urbibus, oppidis, arcibus, pagis, aliisque magni nominis Dynastiis illustris. Urbes & oppida in hac ditione numerantur viginti & sex muris cincta: *Lovanium* nempe, *Bruxellam*, *Antwerpiam*, *Buscumducii*, quæ capitales, ut vocant & primariæ ditionis totius urbes: sequuntur hinc *Thenæ*, *Lewia* & *Nivella*, quę capitales minores: inde *Arescotum*, *Bergozomium*, *Mega*, *Breda*, *Diesthemium* & *Trajectum ad Mosam* oppida eminenti quadam dignitate; denique *Stenoberga*, *Lira*, *Vilvordia*, *Gemblacum*, *Iudonia*, *Hannutum*, *Bergozomium*, *Landa*, *Hala*, *Sichemium*, *Herentalium*, *Eindovir*, *Helmonda* & *Gravia*. Inveniuntur in eadem Brabantia decem, & octo oppidula, quæ etsi muris non cincta, propter alias tamen conditiones suas & qualitates, accipiuntur tractāturque eodem cum illis gradu, paribus gaudent privilegiis & libera passim audiunt municipia, quod nimirum nundinarum illis & mercatus liberum jus. Ea sunt *Ostervicum*, *Orschotum*, *Turnhoutum*, *Hoogstrata*, *Dusslia*, *Walhemium*, *Merela*, *Asca*, *Turnia*, *Duysburgū*, *Isca*, *Hulpia*, *Wavria*, *Brenna* quam volunt allodialē, *Gennapum*, *Gela*, *Arendoncum*, *Domalia*. Pagi autem turriti, eo quod in Campania rariores, numerum septengintorū non excedunt, sed plurimi inter eos insignes & variis dignitatum titulis præcellentes, quales *Fanum D. Odenrojæ*, *Boxtelia*, *Rosendalia*, *Hucquela*, *Lilloo*, *Grimberga*, *Goesbeca*, *Revesium*, *Levodalia*, *Wesemelia*, *Cranendonckum*, *Cuquia*, *Bouterse-mium*, *Iaucæa*, *Sombrevium*, *Gozelisia*, *Hilverembeca*, *Walwicum*, & alii.

Oppidula.

Pagi.

Incolarum natura. Incolæ ibidem nati plerumque læti, animosi & humani quæ naturę insitiva qualitas ad mortem usque illis adhæret, siquidem senio decrepiti vires amittunt, at non suam illis innatam animi hilaritatem. Quare in proverbium abiit: Brabantinus quo senior eo dementior. Hodie eorum natio summopere mutatur, præsertim in urbibus ubi magna Italorum, Hispanorum aliarumque gentium extranearū copia visitur, cum quibus illis consuetudo & conversatio magna, quo fit, ut omni industrię genere imbuantur. Brabantia regimen hodie aliter se habet quam dum vixit uterq; *Albertus* & *Isabella* Archiduces Austrię, Duces Brabantiæ, &c. quod indies magisq; mutationi subjicitur, & perpetua belli libra libratur, nunc ad illam mox ad hanc partem inclinante.

Urbes & oppida.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [19] - -
PUBLIC DOMAIN

BERGOZOMIUM
MARCHIONATVS,
HOOCHSTRATANUS
COMITATVS,
Et Baronatus Breda, & Regio,
vulgo Ryen dicta.

Nominis ratio.

BERGA, quam & *Bergozomium* vocant antiqua dynastia seu Baronatus est, sed Marchionatus postea dignitate, ab Carolo V, Imperatore ornata anno salutis 1533; sita est in colle ad fluviolum Zomam unde & ad differentiam cognominum tum hic tum alibi locorum (veluti *Berga in Henegow* & *Bergen in Norwegen*) teutonice dicitur *Bergen op Zoom*. Opidum in extremis Brabantiæ ad occasum finibus positum, mari ita propinquum est, ut non immerito dici possit maritimum. Portu insuper nobile, Antwerpia terrestri quidem itinere sex iisque prægrandibus, Middelburgo vero Zelandiæ via maritima octo circiter leucis abjunctum est, oppidum hodie non contemnendum. Sed longe olim celebrius, cum ejus nundinæ variis privilegiis insignitæ negotiatoribus quãplurimis ceu Hispanis, Gallis, Anglis & Scotis frequentarentur. Cui felicitati postea obfuit Antwerpiæ majestas, cujus fulgor lumen omne illi præstrinxit, uti sol stellarum. Flandriam a Meridie habet; Hollandiam a Septentrione; Zelandiam vero ad Occidentem. Unde facile colligitur, quantum ejus sit in bello, quod Hispanum & nos inter geritur momentum; nostrarum enim cum sit partium non solum securitatem affert Hollandorum & Zelandorum commerciis, verum etiam militum nostrorum excursionibus Brabantiam longe lateque aperit. Quod si adversarum esset partium eadem commercia & Hollandorum in Zelandiam, & Zelandorum in Hollandiam navigationes quam maxime infestaret, utpote media inter hanc & illam posita. Finitis induciis Archidux Isabella, exercitus duce Ambrosio Spinola ante aliquot victoriis partis claro, ejusdem urbis obsidionem aggressa est anno 1622, Iulii 18, captaque primum a Ludovico de Velasco Equitum magistro Steenberga, castra propius ad urbem admovit. Nostri dum tueri sua sagatunt; civitatem, advocato e castris Mauritianis ac vicinis Zelandiæ locis milite, muniunt commeatu, omnique apparatu bellico instruunt. Pugnatum acriter. Hispanus dum desperationem in consilium adhibet, munitionesque suburbanas velut furibundus oppugnat, frustra est, ac desideratis quamplurimis suorum ne pedem quidē toto obsidionis tempore promovit; nostris, quam primum occupaverant stationem, pertinaciter fortiterque defendentibus. Tandem cum nihil a suis promoveri cerneret Spinola jamque in procinctu cum numeroso exercitu copiisque Mansfeldii & Christiani Brunsuicensis adesse Mauritium, audiret castra movit Antwerpiamq; repetiit tertio Octobris die, qui dies pariter duarum & Leidæ ac Bergarum liberatarum fama gloriaque illustris apud Fœderatos Hollandię populos habetur. Proximo deinde anno 1628 mense Iunio operi se accinxere Ordines Hollandię cœptaque exstrui Castella tria. Primum *Mourmont* dictum, in gratiam Domini *de Mourmont*, ad hanc ipsam rem a Zelandiæ Ordinibus delegati: Alterum *Pinsen* in memoriam Pinsii Gubernatoris, ob egregiam inibi ab illo præstitam operam: Tertiũ *de Rover*, de nomine Consulis Dordraceni Roverii ab Hollandiæ Ordinibus ad hanc curam quoque missi.

Tria Castella *Mourmõt, Pinsen & Rover.*

Belli in Bergozomium apparatus.

Ipsa quoque Steenberga qua misere ob furorem belli attrita, novo iterum vallo propugnaculisque munita fuit, ut jam diutinam fortassis obsidionem ferre possit. Distat hæc a Tola urbe virgis Geometricis 2544. Breda 8421. Adjacet illi ad ripam Castellum validum quinque propugnaculis formidabile. Fuit olim oppidũ valde potens mirabili prorsus & famoso portu insigne. Paret Principi Arausino.

Non procul Steenberga visitur quod vulgo *Princeland* indigitant, ubi insignis tractus visitur cum nonnullis amœnis pagis non ita pridem stipatus tanquam noviter inventus. Anno 1631, undecimo Septembris die Comes Ioannes de Nassaw cum Principe Barbançon magnis cũ copiis omni militari opere instructis veluti pontonibus aliisque scaphis per canalem qui dicitur *Saftinger-gat* Romerswaliam prætervectus in hunc districtum venit & cum Hollandiæ navium bello destinatarum Ordinibus conflixit. Sed nebula surgente crassissima adversarum partium pontones & scaphę ab Hollandis profligatę fuerunt captis 4000 millium militibus cum omnibus pontonibus & navibus, apparatu & commeatu; Comite Ioanne Nassovio & predicto principe Barbançon aliisq; paucis in hoc districtu *'t Prince-land* vulgo se salvantibus.

Princeland.

Sevenberga sita est ad eundem Mervam & Gertrudoberga & Breda æquali trium leucarum intervallo abjuncta. Oppidum satis lautum quodque olim in ditione Illustris viri Cornelii de Bergis, quo defuncto, delatum est ad Illustrissimum Comitem Arembergium. Hodie neutralitati addicta non parum utrinque infestatur.

Sevenberga

Breda sita est ad fluviolum Mercam Hoogstrata quidem

Breda.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [21] - -

Bergozomium Marchionatus, &c.

dem tribus; Buſcoducis autem ſex iiſque prægrandibus; Antwerpia deniq; octo ejuſdem menſuræ leucis abjuncta. Oppidum ſane pulcrum, amœnum, quodque inter alia quædam pulcherrimi operis ædificia, ſplendidiſſimum habet illud regium prorſus Dynaſtæ ſui palatium, ſumptuoſe admodum & magnifice extructum & duplici undique foſſa, arcis plane in modum, circumdatum. Quod ſi foret omnibus numeris abſolutum, merito cenſeri poſſet inter pulcherrima Belgii hujus prætoria, conditum autem & ædificatum eſt non ita multis ab hinc annis ab Henrico Comite Naſſovienſi, Dynaſta Bredano.

Gaudet oppidum dignitate & titulo Baronatus, eſtque lucenlenta imprimis & magni momenti ejus ditio', cujus juriſdictionem agnoſcunt pagi complures ampliſſimi, præter vicos quoſdam minores. Annexum deinde eſt ei oppidum territoriumque Stenobergenſe, una cum Roſendalia municipio & Oſterhoutio nobili & antiqua Toparchia, veteri arce conſpicua. Hanc civitatem anno 1624 vigeſimo octavo Auguſti Ambroſius Spinola obſidione cinxit & invaſit numeroſo exercitu, fruſtra illi renitente Principe Mauritio. Celebratur vehementer ob cereviſiæ præſtantiam, quæ ante obſidionem longe lateque per Hollandiam & alios diſtrictus magna cum copia diſtrahebatur.

Hoogſtra-ta. *Hoogſtrata* oppidulum eſt mediocre, ſed murorum expers. Antwerpia ſimul & Berga pari ſex leucarum ſpatio diſſidet. Carolus quintus eam Comitatus beneficio ornavit. Comites Hoogſtratani e clariſſima gente Lelainia ſedem habebant in aliqua validiſſima arce Hooſtrata ad leucæ plus minus trientem abjuncta.

Aliquot amnis interjectis, cum Antwerpiam & Bergozomium inter, medio fere itinere, Archidux Iſabella Santflietam propugnaculis cinxiſſet & in ipſis Scaldis æſtuariis munimenta exſtruxiſſet, ac ejuſmodi cœptis ad novam Bergopzomii obſidionem vel callide præludere vel Imperium ſuper Scaldi flumine habere & Lilloam & *Liefkens-hoeck* ab Hollandia disjungere videretur, Ordines Fœderati anno 1627 poſt captam Grollam, de impediendo urbis iſtius præſidio, ſi forte hoſtis illud moliretur, acriter conſultarunt. Nec quicquã melius ſuccurrit, quam tres paludes, quæ Steenbergã inter, & aliud ad Septentrionalem Brabantiæ oram oppidum Fœderatorum juris, interjacent, foſſa conjungere, & terna qua maxime ſuſpecti aditus ponere Caſtella & ſic omnem exitũ illis præſcindere. Quod & fecerunt, ſiquidem omnia ibi circumquaque exſtructa fortilitia & prupugnacula excepta Santflieta propemodum deſtruxerunt vel occuparunt prioribus mutatis nominibus.

Lillo tribus leucis Antwerpia diſſita, quondam venuſta *Lillo.* Dynaſtia ob continua Martis ſtipendia in fortilitium aliquod mutatum paret Ordinibus Hollandiæ.

Regiuncula *Ryen* Bergam & Antwerpiam interſita, *Ryen.* collibus magna parte inæqualis & ſterilis inſtar ericeti, oppidis non ſtipatur ſed pagis quibuſdam *Capelle*, *Voltwyck*, *'s Graven-Weſel* & aliis.

Majoratus *Heerentals* jacet inter Antwerpiam & *Herentals.* Liram, octo circum veſtitur pagis: ideoque a Philippo II Hiſpaniarum Rege in Comitatum erectus, quondam fuit Cardinalis *Granvelle*.

Oelen etiam Comitatus titulo inſignis eſt & prope *Oelen.* Heerentalium jacet in varios circumjacentes pagos imperium exercens.

Rivuli hic inveniuntur admodum pauci quorum no- *Amnes.* mina ſunt *Vliet*, *Marck*, *Scheynd*, *Neta* & alii.

De Marchionatu Antwerpienſi ſingularem tabulam exhibebimus.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [22] - -
PUBLIC DOMAIN

DESCRIPTIO CASTELLI Ad SANTFLITAM.

Ex Clariſſ. Viri. HUGONIS GROTII

Hiſtoria de obſidione Grollæ.



Apta Grolla Princeps Auriacus menſe Octob. anno 1627 Zutphania digreſſus, Arnhemum Velaviæ caput unde Gelriæ regimen, inde Hagam Hollandiæ & communis Federatorum dominii ſedẽ, curam transfert ad ea quę tum hoſti ad Scaldim parabantur. Is amnis apud Veromanduos ortus Cameracum tranſit, factuſque apud Valentinianas navium patiens, Scarpa admixto auxior, flexo magis ad Septentrionem curſu Tornacum Aldenardamque Flandriæ urbes adit, inde Gandavi multis ſimul receptis aquis, præcipuis Liſa Liviaque in Ortum ſe vertens Tenerimundę ac Rupelmundæ ſua dat nomina. inde quod Tenera Rupelaque amnes iis in locis majori ſe infundunt. Tot auxiliis inclytus Antwerpiam ditiſſimam quondam urbem, & nunc quoque veteris fortunę veſtigia retinentem, dexter allabitur, neq; longe duobus Batavorum Caſtellis quaſi clauſtris premitur, quorum quod in Brabantica ripa *Lilloo* habet nomẽ, portu ante hac adibatur, quo nunc oblimato habetur firmius; alteri in Flandriæ ora *Liſquenshouc* vocabulum eſt. Hucuſque continuus eſt Scaldis, qui mox inter Santflietam Brabantiæ, Saftingum Flandriæ vicos ſcindi incipit, unoque alveo nomen retinens, & in conſpectu Bergarum ad Zomam ſeptem horarũ itinere ab Antwerpia, accepto Zoma, qui oppido illi nomen dedit, provectus inde longius, Zelandiam dividit in eam quæ ad Occidentem Scaldis dicitur, in qua Walachria inſula Middelburgo, Fliſſinga, Veria oppidis nota & Bevelandia Septentrionalis, auſtraliſq;, & eam quæ ad Orientem Scaldis, in qua præcipua inſula ab ipſo flumine nomen habens Scaldia cui oppidum Zirizæa, tum minores aliæ. Eſt alius ad lævam alveus cui Honta nomen, Ottonum Imperatorum quondam opus, auguſtum olim, ut veteribus documentis conſtat, ſed quod late aperuit & ſinum ſibi fecit invectus Oceanus. Is Bevelandiam auſtralem cui caput Goeſa, deinde Walachriam à Flandria diſpeſcit. Dextro latere paulo infra Bergas ad Zomam alius rurſum alveus Voſmarii habet nomen & Tolæ Zelandorum inſulæ, in qua oppidum cognomine dextra prælapſus Flaccæo (is maris ſinus eſt ingentes continens Hollandici juris inſulas, Vornenſibus quondam Putteniſque toparchis in ceſſas) infunditur. Totum hunc ego tractum à Flandria ad ea uſque Hollandiæ quæ Moſam ultra ſunt, perpetuas fuiſſe terras, argumento habeo æqualem oræ utriuſq; littoris procurſum, ſi non reſpicias interfuſum mare, & quod Romanorum nullæ inſulæ illic memorantur. Quantum tam longi temporis vices mutare potuerint, documẽto ſunt memoriæ noſtræ propiora, ex queis diſcimus plurima terrarum diluvio merſa, rupta quæ cohæſerant; alibi revecto per æſtus quem amnes detulerant limo, terras aut emerſiſſe novas aut veteres redditas, annitente hominum ingenio varia per opera quæ cænum detinerent, aquas excluderent exhaurirentque non alterius uſpiã populi majore ad has res induſtria; nec ſecula tantũ, ſed anni, menſes, dies faciem mutant, prout amnes ſe huc vel illuc torſere, prout æſtuum impetus aut ſtatus, aut ventis excitus eminentia operuit, aut latentia nudavit, multæ ubique præter illas notas minores inſulæ, multa brevia, multa quæ dubites utro nomine appelles, incerti juris, ut acceſſit aut abiit mare, cujus vices Scaldis Gandavo tenus ſentit. Germanos Zelandicas quondam inſulas quaſvis dixiſſe reperio; poſtquam plures in unum imperiũ coaluere, quod ſingularum fuerat proprium, corporis factum eſt, maxime ex quo pulſis Flandris qui Walachriam & proximam ſibi vendicaverant, victores Hollandiæ Comites, diſtincto jure ac peculiari Comitatus titulo, has terras tenuere. Zelandorũ pars primis in Albanum motibus Hollandis ſe junxerat, initio à Fliſſinga, cui alia ſponte acceſſere, Middelburgũ fame coactum, Gens mari valida, magniſque præliis conſecuta, ut non alias magis Hiſpani timerent; donec ſub Requeſenio Zirizæa in Regis poteſtatem redacta res arctas fecerat, ni Hiſpani per ſeditionẽ intoleranda cœptantes, Belgico-germaniæ toti neceſſitatem impoſuiſſent jugendi arma, ſibi, expulſis undique, vix Belgarum extima ad receptum reliqua feciſſent. Ex eo Zelandia firma atque hoſti intenta poſſeſſio, auctæque vires ex quo Antwerpia Parmenſi capta cũ libertate maris uſum & mercandi commoda amiſit. Sed ingreſſu novi ſeculi, Auguſtinus Spinola, adductis ab Italia longis navibus damna & formidinẽ intulerat; donec oppoſitę ejuſdẽ generisante hac Oceano incognitę naves, ſępe & bellicę veteres ventis ſubito augeſcentibus adjutę parum tutas agitato mari alias evertere. Mox cum oppido Cluſa captũ quicquid earũ navium reſtabat, adjectoq; Iſendico proxima illa Flandriæ ora Zelandis pro munimento objecta, nullo ſuper metu, niſi ſiquid ex Hulſtano agro, cuinõ portus, non naves, leve admodũ audebatur. Poſt id transfugæ ſpem fecerant, invadi poſſe Bevelandiam auſtralem & aperte ad Irſicã aquarum ſepto, & profoſſis quę obſtabant, oppidum Goeſam atque ei proxima mergi; partẽ vero Inſulæ Hontæ adſitam etiam retineri, defenſam quippe ſuis aggeribus, qui olim in pace ſtructi ad coërcendam eluviem, nunc pro belli munimento erant valituri. Anni effluxerant dũ expectatur tempus idoneũ quo exhauſta preſidio Goeſa nudã inſulam præberet, quod evenit dum Principem & exercitum muniendæ Grollę cura retinet, & audita pridem per exploratores hoſtium conſilia ſui vetuſtate per oblivionem venerant. Ergo Antwerpię contracta vis ſcapharum & quæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [23] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [24] - -

Descriptio Castelli ad Santflitam.

alia navigia plano alveo facile vadis insidunt, pars adacta per æstuarium quod retro Lilloum multis uliginosi soli fruticibus obumbratur, pars curribus eodem pervecta, quinquaginta omnis, bis mille instructæ militibus per mersa terrarum inter Scaldim Hontamque Bevelandiæ australi accedunt, captato tempore quo maxime vacuus ager, ad solennem Goesæ mercatum provectis inhabitantiumque plerisque. Sed mare sperato citius recedens inter eos qui advenerant & Bevelandiæ australis aggerem medium fecerat spatium quod gravi cœno tenax nec scaphis nec pedibus transiri facile; attamen egressi scaphis gradum inferebant, cum militum pauci emissi oppido humenti extra aggerem solo semet ostentantes & in ipso aggere vexilla quibus ad publicas voluptates indigenæ uti solent, pro signis militaribus collocata, falsa imagine verum metum fecere. Interim conciti plures festinabant, nullo religionis discrimine, cum Romanensibus plena sit regio, communi cunctis sua defendere. Queis illi visis, cum se scaphis reddidissent apud Rillandiam unam ex minoribus insulis exspectant æstus, qui hærentes levaret reditum, & proprio Scaldis alveo subvecti insulam advenere modicam, & tantum pecori nec multo pascendo utilem, proxime sub eum locũ in quo Scaldis Hontæque divortium esse diximus, Hogewervæ huic insulæ nomen est, cujus parte dextera quod fluit Scaldis Aggerem, altera Cromflitam vocant. Hic 4 Augusti die, castellum excitavere, mox & propius Aggerem receptum quo trajectus muniretur, initia premendi undique Lilloi. Navis Zelandorum quæ unica illic præsidio erat in transvectos haud multum noxæ dederat, dum proni procumbunt; scaphas tantum rapuerat quatuor hominum inanes, refertas ferramentis. Plures naves è Zelandia submissas machinæ è Brabantica ripa atque insula retro egere. Sed quæ pro Berga ad Zomam excubare jussæ facile locum tenuerunt. Simul Santflitæ Castellum magna mole ac specie (propugnacula ei septem destinabantur) aggeri veteri, qui firma terrarum ab alluvionibus dividit, adsitum, aliaque in itinere Antwerpiam, partim in quæ diximus consilia; partim continendis militum excursibus à Bergis ad Zonam, & parandis quæ utilia, si quando ejus oppidi obsidium placeret; quo fine & fossa duci cœpit à Castello crucis quod non longe Antwerpia est, Stabroucum ac porro Santflitam versus, qua commeatus tuto ac levi impensa transirent. Sed hos conatus & fortuita & hostium molitiones haud parum turbavere: nam primum Octobris secundo die in Santflitiana munitione improvisus ignis tuguria & quicquid flammam alere natum inerat, absumsit. Infra Lilloum æstuaria complura ex Scaldi introrsum fusa alluviones variæ interrumpunt, proximum ex his Blaugarium dicitur, unde agger novus ad Lilloum pertingit. In eo aggere & inter æstuaria Batavi cuncta munimentis implent, quo & hostem arcerent & amni latius incumberent. Quod imitatus hostis & ipse in ultima ora quę Santflitæ objacet, ubi æstuarium Stofa nomine, castellum locat, sed & huic & cæteris Hispanorum operibus, ipsi etiam aggeri veteri qua Strabrucum fert, multum nocuere fluctus, præcipiti jam anno violentiores. Ac Princeps cuncta quæ ibi gerebantur edoctus, insulam quæ maxima inter Stofam ac Blaugarium æstuariis circumfusa amni imminet, justo castello cui propugnacula 4. & intra fossam munitiones duæ occupari & propius recepto flumine contrahi ejus spatium ac militari aggere ambiri jubet. Imperio succedsus adfuit, quanquam qui Santflitam magnis cum copiis tenebant & tormentorum jactu & præliis operi intentos incursabant.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [25] - -
PUBLIC DOMAIN

DESCRIPTIO
VRBIS
BERGARVM ad ZOMAM,
STEINBERGÆ
&
Novorum ibi Operum.



IN alia tabula Marchionatus Bergenſis typum exhibuimus, nunc ſolummodo ejus urbis territorium ſeu potius diſtrictum, cum annexis illi hinc inde Caſtellis ad hoſtium inſultus & impetus noviter in defenſionem inventis, deſcribemus. Eſt itaque Territorii Bergenſis ea pars in qua ipſum oppidum BERGA ſita eſt, quæ totius Brabantiæ ad Occidentem ora extrema & quaſi inſtita conſpicitur, admodum montoſa & variis diſtincta collibus, à quibus utique nomen accepit. Videntur ideo errare Geographi, qui aquagium ſive foſſam illam, quæ parentum noſtrorum memoria ducta eſt (ut ceſpites è Bernardicis fodinis in urbem commodè ſubvehi queant) *Zoom* fluvium inſcribant, & ab eo civitatem nomen traxiſſe velint; nunquam enim Zoom fluvius exſtitit, & civitas idem quod hodie nomen, ſemper obtinuit, etiam cum aquæductus ille nondum eſſet, quem, quà per urbem labitur, non fluvium ſed Crecum ſive cloacam appellant indigenę; extra urbem vero non aliud, quam Aqueductus nomen accipit. Non male igitur montem Zomii, vel *Berg-op-Zomium* eam quis vocet, eadem ratione, qua montem Hannonię dicimus. Si enim Iulius Cęſar Helvetiorum, Gallorum & Germanorum nomina ita Latine exprimat, ut veſtigia linguę vernaculę non obſcurè exſtent, qualia ſunt Ambiorix, Orgetorix, Caromandus &c. non video quid obſtet, quo minus idem nobis liceat. Eſt autem Bergopzomium Brabantię Ducatus civitas, Dominii quondam titulo contenta, ſed poſtea Marchionatus honore à Carolo V Imperatore inſignita. Avorum noſtrorum memoria variis undique mercatorum generibus hujus urbis emporium fuit frequentatum, quos tamen Antwerpiæ celebritas hinc avocavit. Situ media jacet Brabantiam, Flandriam, Hollandiam Zelandiamque inter, quas undequaque aſpectat, ideoque urbs eſt magni momenti ob ſitus ſui qualitatem, magna commoda ſeu damna utrique parti præſtans ſi alterutra harum eam vel tenent vel amittunt; facit enim ſecuritatem Hollandorum & Zelandorum commerciis eorumque militibus longe lateque aperit excurſiones in Brabantiam; mox omnem hanc libertatem conſtringit & commercia Hollandorum in Zelandiam, Zelandorum in Hollandiam properantia prohibet, ſi adverſæ fuerit partis. Portum habet commodum ſatis terras hinc inde in Auſtralē & Septentrionalem oram ſecans, qui cum longiore cervice ab urbe excurrat, ad ſecuritatem navigantium, ſi forte metuenda ſit obſidio, duo accepit munimenta, alterum à parte Auſtrali, Caſtellum Auſtrale dictum, idque majus, propugnaculis prominentibus & lorica inſuper foſſiſque validum. Alterum ab oppoſito ſitu Septentrionale appellatum, idque ſi quantitatem ambitumque ſpectes, minus. Ipſa urbs teſtudini non abſimilis, quæ maxima ſui parte ventricoſa eſt, cetera collum & cervix. Præter propugnacula mœnibus continua, ſuas quoque ad remorandos hoſtium impetus loricas habet, opera inſuper forficata, cornuum inſtar prominentia, ut nihil ad ejus defenſionem ac tutelam, quod ab ingenioſis caſtrorum architectis excogitari poſſit, omiſſum credi queat. Præter veterem portum, etiam ductus alius ab urbe brevior in ipſum Caſtellum Auſtrale, ut ſi forte ab obſidentibus occupari contingeret priorem, reliquus adhuc ſit aditus in urbem, exituſque per poſteriorem. Ædes habet pulcherrimas, plateas, foraque ampliſſima, Nundinarium nempe & Piſcatorium & Frumentarium. Templum inſuper fornicato opere ornatiſſimum. Magnifica quoque ipſa Marchionis aula. Cœnobium Veſtalium cognomento Divitum, in Noſocomium mutatum eſt; quod enim extra urbem fuit & ægris recipiendis dicatum, belli furor, ut plura alia, vaſtavit. Belli Belgici initiis ab Hiſpanorum ſtetit partibus, quo tempore parum abfuit, quin à Zelandis qui jam muros ad Auſtralem molam conſcenderant, caperetur. Pace vero inter Belgicæ Ordines Gandavi inita & mox rupta, dedente ſeſe Germanorum præſidio, quod Hiſpanus im-

Nominis controverſia

Obſidiones variæ.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 6111:2, [27] -

posuerat, in Ordinum Fœderatorum potestatem venit. Post captam Antwerpiam Ordines Elisabetham Angliæ Reginam de auxiliis interpellant, quæ omnibus federatis Provinciis Dudlæum Leicestriæ Comitem præficit, sub hoc Berg-op-Zomii Præfectura Philippo Sidnæo, Anglo, Equiti, Hiberniæ Proregis filio, commissa est. Post hunc Gulielmo Druræo qui anno 1588 obsessam à Duce Parmensi urbem fortiter cum Morgano asseruit, & eundem obsidionem solvere coëgit. Ex eo sæpius ab hoste stratagematibus tentata, aliquando etiam in summũ adducta discrimen, Dei Opt. Max. beneficio, Præfectorum cura, civium magnanimitate perstitit invicta, quamvis Ambrosius Spinola victoriis clarus eam magna obsidione aggressus sit, victa imprimis Steenberga propius ad hanc urbem castra sua admovit, sed frustra. Magna tum temporis enituit virtus Ryhovii Gubernatoris, nec non Famarsii & Hendersonii Tribunorum militum, quibus concessæ erant partes tuendi munimenta extra urbem recens exstructa, hostiumque munitionibus contigua.

Aliquot annis interjectis cum Archidux Isabella denuo obsidionem callide cœptis suis inter Antwerpiam ac Bergopzomium præludere videretur Ordines fœderati anno 1627, capta Grolla, de impediendo hujus urbis obsidio, si forte hostis illud moliretur, acriter consultarunt. Proximo itaque anno qui vicesimus octavus fuit supra millesimum sexcentesimum, mense Iunio, operi se accinxere Hollandi, cœptaque exstrui castella tria. Primum fuit, quod ab arenis *de Sant-straet* vocarunt; Secundum in ipsis arenosis collibus; Tertium horum duorum maximum cui ad majus robur objectum opus forficatum; huic vero operi opus lunare. Ne vero operantes turbarentur ob hoste, missus eo cum copiis præter alios Pinsius Gubernator Reesæ, qui castra sua in propinquo locavit, hostiumque conatus, qui jam ad turbandas operas adventabant, castrorum suorum præsentia non solum elusit, verum etiam plane sustulit.

Munitionum causa.

Castellatria.

Ipsa quoque Steenberga post perpessam illam obsidionis cladem novo vallo propugnaculisque iterum munita fuit, quibus facile hostium insultus quatumvis impetuosos arcere potest.



DESCRIPTIO DISTRICTVVM ARCKEL, HAEGLANT,

Pays de Roman aliarumque ditionum & Dominiorum in Brabantia.

ARKELENSIS ditio sita est inter Mechlinium & Liram. Lira posita est ad flumen Nithan, duabus & prægrandibus quidem leucis Antwerpia, totidemque Mechlinia dissita, oppidum situ & industria munitissimum, pulchrum, amœnum, & benignis valde, humanis ac moderatis civibus habitatum. Gaudet anniversariis nundinis & mercatu boario celebri valde & quæstuoso, ut qui inde à D. Ioannis, usque ad D. Martini, uno hebdomadatim die, quotannis continuetur, ingenti interea, adeoque mirabili boum numero distrahi solito. Conficiuntur ibidem & panni & aliæ quædam id genus merces.

Sichemiũ. *Sichemium*, vel (ut alii dicunt) Sichenen quasi Sieckheim, nomen videtur habere ab ægrotorum multitudine hic in aliqua domo hospitantiũ ad Demeram, abjacet Diesthemio uno milliari, quod est Principis Auriaci.

Diesthemium. Non procul Sichemio ad eundem amnem visitur civitas Diesthemium, Hala tantum unius, Tillæmonte vero trium leucarum itinere dissitum. Duas habet Cathedrales Ecclesias, quarum una S. Sulpicio sacra; altera vero S. Ioanni. Baronatus Diesthemensis valde vetus est, cujus domini ab multis annis retro Vice-comites sive Burggravii Antwerpiæ fuerunt. Hodie agnoscit Dominum Fredericum Henricum Principem Arausinum, cujus nimirum majoribus, permutatione facta cum Duce Cliviæ in vicem oppidi *Hensbergen* obvenit.

Hala. Diesthemio proxima est Hala, quæ & Halena Latine scribentibus dicitur, posita est ad jam dictum torrentem Getam; & quia sita est in extrema parte Brabantiæ, Leodicensi terræ vicina, nec admodum longe à Geldria, sæpius bello atteritur, in cujus damnum luculentis admodum privilegiis à Principibus suis ornata est.

Thena. *Thenas*, seu Tillæmontem vulgo *Tienen*, sitas ad flumen Gotham, qui haud procul inde exortus, eas interfluit, unde porro Halam provectus, in Demeram tandem aquas suas exonerat. Distat autem hoc oppidum Lovanio pariter atque Centronibus pari trium leucarum intervallo, estque amplum satis & grande. Quin tẽporibus paulo magis remotis, fuit maximi nominis & commerciis florida civitas, idque cum legitur passim, tum vel ex eo colligitur, quod ter ejus pomœria fuerint producta: asserente nonnemine priusquam Buscoducum adipiscereturhanc dignitatem, Thenas fuisse quartam inter primarias urbes Brabantiæ. Diruta vero pluries & crudeliter lacerata fuit atrocibus bellis cum alias in ambitu unam itineris horam complecteretur; hodie manet magna ex parte deserta & habitatoribus vacua; quatenus tamen habitatur, non est aspernenda. Insigne in ea & memorabile sane Collegium Canonicorum est, ædeDivo Germano Parisiensium olim Antistiti, sacra.

Lewia sita est ad torrentem Gesam, qui haud longe ab oppido in fluvium Getam influit. Distat Centronibus quidem una; Thenis vero duabus vel circiter leucis: oppidulum validum, probeque adversus hostiles insultus munitum, quia videlicet limitaneum & Eburonum conterminum agro, unde & capitalis minoris dignitate ac privilegiis fruitur. In eo est magnus ille Prioratus, quem vocant Ordinis D. Augustini, cujus Prior unus est è duodecim Antistitibus Brabãtinis. Est præterea collegium Canonicorum in æde pulcherrima Divi Leonardi. Extra portam amplissimus & pulcherrimus lacus est, ad quem asserunt olim fuisse validam arcem, limitaneum in Eburones propugnaculum, cujus etiamnunc quædam supersunt vestigia. Coquitur in hoc oppido & quidem ea luxurie, ut in alias passim oras distribuatur, præstantissimum quoddam genus cervisiæ, bonitate etiam vinum interdum vincens. Habet quatuor grandes portas & unam parvam, novem pontes lapideos & tres limitanea rura. *Lewia.*

Lovaniũ. *Lovanium* prima & vestutissima urbium Brabanticarum sub Normannica tempora conditum censet Cl. Lipsius, & ab ipso situ, lingua nostra sumpsisse nomen. *Est* inquit, *in hac urbe ad Orientem Collis & silva quam* Loven *etiamnunc vocant*, & Loberg & Lobosch. *Est & subjecta planities ad flumen quam vetus lingua* Veen *dixit. Ergo Lovanium, sive ut vetus & vera vox* Loven *dictum, quasi* Loven, *humida planities ista Loæ subjecta.* Sita est urbs in ubere admodum solo, ut cum judicio majores eam studiorum atque Musarum sedem delegerint; habet enim, quod inter alia ejus ornamenta familiam ducit, celeberrimum illud omnium facultatum & artium Athenæum, quod instituit anno à Christo nato CIↃ CCCC XXVI Joannes IV Brabantiæ Dux, & perpetuo censu multisque insuper privilegiis à Martino V Pont. Max. approbatis donavit. Philippus II Hispaniæ Rex, Brabantiæ Dux &c.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7-8111-2, [36] -

Descriptio districtuum Arckel, &c.

Viri clari. stipendia Professoribus auxit & Theologicas lectiones aliquot adjecit. Prodiit hinc Adrianus sextus Pont. Max. ortu Ultrajectinus. Claruerunt hic in Theologia Ruardus Tappart, in utroque jure Gabriel Mudæus, in Medicina & mathematicis Gemma Frisius. Habet nobilissima templorum, Monasteriorum, Conventuum ædificia, inter quæ eminent, primaria ædes D. Petro sacrata & curia. Fuit olim Lovanium comitatus; etsi autem hodie declinasse videatur, primi tamen Brabanticæ terræ quadrantis caput est, reliquas urbes præcedens, prima enim Principi juramentum præstat & vicissim ab illo suscipit, primum in negotiis votum habet, præterquam in subsidiariis Regis petitionibus, in quibus Antwerpia, cujus propter potentiam plurimum interest, prima sententiam dicit.

Bruxella. *Bruxella* nomen habet ab arce quam Senones Angliæ populi olim exstruxerunt: mirabili prorsus est situ, partim in plano, partim in ædito posita, solo ampla & gemino mœnium ambitu clara; digniſſima certe maximo Principe sedes, felicissimo enim terreno circundata & leucæ tantum quadrante abest sylva Sogniacensis, venationibus insignis. Domus urbanæ ut plurimum elegantes & adfabre structæ, ædificia Numinis cultui sacra non solum pulchra, sed & sumptuosa, primarium D. Michaeli Archangelo olim, nunc D. Gudulæ consecratum. Palatia Procerum varia & splendida. Palatio Regio adhæret vastum & peramœnum, *Parcum* vulgo appellant, muris undiquaque circumdatum cui includuntur aliquot domus, catadromi, sphæristerium, horti, Labyrinthus, piscina, quidam colles, valles, silvulæ, prata &c. Bruxella ortus est stupendum illud Naturæ miraculum Andræas Vesalius, Medicus Regius, Chirurgus & Anatomius præstantissimus. Hic est perpetua sedes Cancellariæ Brabantiæ, necnon supremæ curiæ rei clientelaris & aulæ regalis ejusdemque Magistratuum, ac Consiliorum, unde merito urbs regia nominatur.

Opera publica.

Nivella. *Nivella* tertia est ex præcipuis Brabantiæ civitatibus quinque leucis Bruxellis dissita; in qua magna contexitur tenuissimorum linteorum abundantia, situs occasione firmissima, sex portis & quinquaginta plateis condecorata.

Vilverdia assidet flumini Zennæ, medio fere inter Mechliniam & Bruxellam itinere, quarum utraque pari duarum leucarum intervallo abjungitur, oppidum situ magis quam arte communitum. Arcem habet satis antiquam, anno CIↃ CCC LXXV conditam. Adservantur in ea & Authographa privilegiorum Brabantiæ, & annexis ei Dominiis à Principibus suis & hisce rursus à Pontificibus, Imperatoribus aliisque supremis Dynastis concessorum. *Vilverdia.*

Gemblacum vulgo *Gembloux*, Namura circiter tribus, Nivella quinque & quidem minoribus leucis distat. Fuit olim Comitatus, & cum in Abbatiam conversa veterem illam dignitatem amisit. Est in hoc cœnobio celeberrima Bibliotheca, in qua plurimi libri veteres manuscripti adservantur. *Gemblacum.*

Iudonia, quam & Geldernacum appellant, sita est ad torrentem Giam, & Gemblaco quatuor leucis abjuncta. Vetustam hic videre est arcem, in qua ob egregiam cœli temperiem, tradunt Duces Brabantiæ liberos suos in puerili ætate educandos quondam curasse. *Iudonia.*

Hanutum Iudonia distat duabus, iisque prægrandibus leucis amœna undique valle, valde fertili circumseptum. *Hanutum.*

Landa, Brabanticarum, ut quidam asserunt, urbium vetustissima Tillæmonte atque Hannuto pari duarum leucarum intervallo abjuncta est. Præterea visuntur adhuc Abbatiæ, Cœnobia, Canonicatus, celebres ditiones & grandes pagi hac tabula comprehensi: veluti Marchionatus *de Trasignies*; ditiuncula *As*; regiuncula *Gaesbeck*; Marchionatus *Westerloo* & Majoratus *Campenhout*, *Vilvorden*, *Geel*, *Cumtich*, *Grez*, *Incourt*, *Iandrain*, *Gestanimont*, *Orp*, *Mont S. Wybert*, *Hulpen*, *Genappe* &c. Comitatus vero *Grimberg*, *Tillier*, *Walheim*, *Rivieren*. *Landa.*

Præcipui fluvii Brabantiam irrigantes sunt Neta & Demeca, Bruxellensis Trajectus vulgo *de Brusselschevaert*, *Eyck*, *Senne*, *Ische*, *Ianethye*, *Dyle*, *Gete*, *Velpe*, & alii amnes. *Flumina.*

Sylvas habet *Sonienbosch* quæ omnium in Brabantia maxima, extendit se ad portas usque Bruxellenses plena ferarum omnigenarum, peculiare Ducis & Nobilium refrigerium; *Meerdael* prope Lovanium conspicitur cum aliis nonnullis. *Sylvæ.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [31] - -
PUBLIC DOMAIN

MECHLINIA

DOMINIUM.

Regimen Majorum.

MAgna Dominia Inferioris Belgii fuerunt Frisia, Groninga, Transisalania, Vltrajectinum & MECHLINIA. Hæc fuit olim, ut remotiora omittamus, sub ditione Illustrissimæ gentis Bartholdiæ, quæ cum legitimis destitueretur hæredibus, post varias tandem contentiones & bella, alter urbis semissis obvenit Episcopo Leodicensi; alter Comiti Geldriæ. Hi quam possiderunt plurimos annos urbem anno 1333. vendiderunt Nivernensi Comiti Flandriæ, pretio trecentorum millium vel circiter scutatorum, unà cum juribus & prætensionibus universis. Hæc res magnarum litium materiam dedit, nolente videlicet Ludovico Nivernensi agnoscere Brabantiæ Ducem feudi istius patronum, etsi habitum ante, ut ferebatur pro tali à prioribus urbis dynastis. Tandem post longas dissertationes tixasq; initum fuit matrimonium inter Ludovicum Malanum & Margaretam Ioannis tertii Ducis Brabantiæ filiam natu secundam. Etsi autem ne sic quidem omnino contendendi esset finis, tamen eo pse matrimonio factum est, ut ditiones domus Brabanticæ cum iis quæ Flandricæ essent, coaluerint. At Philippus Bonus Mechliniam à cæteris ditionibus separavit, voluitq; distinctum esse à cæteris dominium. Tale vero in hunc usq; diem perseverat. De nominis origine nihil certi constat. Narrat in Itinerario Abrahamus Ortelius, extitisse olim ad Sacellum Divi Rumoldi, medio inter Antwerpiam atq; Bruxellam itinere, diversoria quædam, ubi diverterent viatores apud Michaëlem quendam, Brabantis *Machiel*, qui cum celebraretur passim & inclaresceret, loco postea fecerit nomen & urbi ibidem exstructæ.

Nomen.

Situ.

Est autem oppidum antiquum, & inter Belgii præcipuas civitates, situ admodum peroportuno & mira cæli temperie nec non aliis multis in usum humanum commoditatibus insigne. Transit urbem Fluvius Dilia, qui satis amplus, marino æstu ad leucæ spatium Mechliniam superante, valde intumescit, usq; adeo, ut in complures ramos & veluti alveos dividatur, pluribus intra urbem pontibus stratus satisq; multas in ea efficiens insulas, templorumq; & domuum privatarum distinctas commodè areas. Vnde quæri solet non nunquam, utrum ne flumen tam multiplici flexu urbi se accommodaverit, an vero urbs se flumini ejusq; flexibus aptaverit. Quæ quæstio ita solet decidi, homines industrios & sagaces magna imprimis arte & architectura ipsam naturam quodammodo superasse, sibiq; & usibus suis tam oportune providisse. In meditullio fere Brabantiæ sita est & triangulari aspectu, Antwerpiam, Lovanium, Bruxellamq; intuetur, à quibus pari fere quatuor milliarium intervallo abest. Distincta tamen & singularis est ditio. Quare & matres plurimæ partui vicinæ, ut liberi amplissimis Brabantiæ privilegiis fruantur, Mechlinienses territorium deserunt & brevissimo sese itinere, pariendi causa in Brabantiæ confinia se conferunt. Vrbs non solum ampla est & elegans ædificiorum splendore ac plateārum nitore, sed & munita valide. Accedit ad robur, quod circumfundi undiq; aquæ possint. Distinguitur in septem Paræcias, sumptuosis magnificisq; templis insignes. Primaria sive Cathedralis Divo Rumoldo dicata est, ædem habens eximiæ magnitudinis, etsi nondū perfectā. Turris ejus conspicuæ est altitudinis, ex qua in plurima undiq; civitates, pagos & amœnissimos agros patet prospectus. Selectæ in ea & sonoræ Campanæ, quæ dulcissimo clangore horarum instantiis præludunt. Erectum est ante non ita multos annos templum hoc in Ecclesiam Cathedralem, & totius tractus in Archiepiscopatum, cujus Spiritualis Iurisdictio longe lateq; diffusa. Præter illas habet Mechlinia alia plurima tam virorum quam feminarum cœnobia præcipuumq; illud D. Francisci, cui elegantia, capacitate & amplitudine nullum in universo Belgio præstare creditur. Habet & Divæ Claræ amplum quoq; & nitidum nec ulli Ordinis ejus cœnobio cedens. Videre hic est cœnobium Petzenburgense, nobilissimi Ordinis Equitum Teutonicorum. Sunt & palatia hic multa & domus publicæ, pulchriores nec non horti & viridaria non amœna minus, quam spatiosa. Etsi vero gravissimo tristissimoque casu attrita valdeq; afflicta fuerit, tamen hodie in pristinum statum rediisse visa est. Casus hic fuit: Septimo Idus Augusti anno 1546. exorta horrenda tempestate, cælo delapsum fulmen turrim ferit, haud procul ab ea porta, quam Arenariam vocant. In hac turri repositi erant bis mille & amplius cadi tormentarii pulveris, quibus accensis disjecta fuit turris funditus ita quidem, ut ne vestigium quidem superfuerit. Eadem flamma urbis fossas etsi latas & profundas per sexcentos, & amplius passus exsiccavit, pisces q; arsos & semicoctos quaquaversum sparsit. Dirutæ ædes vicinæ, etiam illæ quæ 300. passibus aberant. Qui vero per aëra volitabant lapides, procellæ instar ac nimbi maxima ubiq; damna dabant. Eodem casu cc. & ultra hominum extincti, 100. circiter mutilati. Fuitq; tam ingens fragor, ut Antwerpiam usq; & Bruxellam veluti continuo terræ motu perciperetur. Præter minora quædam & subalterna septendecim maxime numerantur collegia sive sodalitates artificum, quibus & ad Senatū accedere & deliberationibus ejus intervenire jus & facultas est. Excellunt in hoc ordine pistores, cetarii, tinctores, coriarii, zythephæ sive coctores cerevisiæ & laniones, quorum omnium tantum est pretium & existimatio, ut è singulis horum collegiis singuli eligantur quotannis Scabini. Constituunt quippe Magistratum supremum sex Scabini nobiles & totidem Artifices. Amplissimum vero est collegium Coriariorum, ut quod oppidanorum fere quadrantem facit suas habens seorsim habitationes, capacissimas illas variis aquæ vivæ canalibus aliisq; ad operas istas necessariis luculenter instructum. Sodales ipsi compluribus iisq; insignibus privilegiis donati sunt; inter cætera autem venandi & aucupandi potestate. Conficitur in hac urbe maxima pannorum tenuissimi præstantissimiq; fili vis, quæ tanta olim fuit, ut supra ter mille lanariorum officinæ numeratæ hic fuerint. Quo rerum successu insolentiores eo proruperunt vesaniæ, ut arma in reliquos cives sumpserint & cum iis manus conseruerint: Desiderati hac pugna lanariorum complures, & privilegiis suis magna ex parte sodalitas excidit. Etsi autē exinde non parū hujus collegii autoritati discesserit, eo tamē hodie est loco, ut magnum vulgo & primarium oppidi sodalitium audiat. Etiam linteā hic texuntur ejus

Archiepiscopatus

Opificum collegia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [32] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [33] - -

probitatis & pretii, ut non facile uſquam præſtantiora invenias. Conficiuntur & omnis generis tincturæ. Conflantur hic aheneæ machinæ tanta & dexteritate ſimul & bonitate, quanta alibi uſquam terrarũ. Campanæ itidem, aliaq; ex ære adfabre facta. Eſt & hic Principis armamentarium, in quo machinæ bellicæ & alia militiæ impedimenta aſſervantur. Celebris eſt Mechlinia natalibus Ioannis Gocchii & Ioannis de Arundine, item Nicaſii Woerdani, qui etſi à tertio inde ætatis anno amiſiſſet oculorum aciem & uſũ, eos tamen in literis fecit progreſſus, ut, narrante Trithemio, Iuris utriuſq; Doctor creatus fuerit, & cum Lovanienſi, tum in Colonienſi Athenæo ſumma cũ laude docuerit. Mechliniæ quoq; natus eſt Chriſtophorus Longolius, vir ob rarã & exquiſitã doctrinã aliaſq; nõ paucas virtutes per omnem Europam clarus Perhibet huic teſtimonium Eraſmus Roterodamus, in Epiſtola ad Damianum à Goës, in qua affirmat, Longolium hunc fuiſſe purum putum Hollandum, patriamq; illi aſſignat Schoonhoviam, attamen ipſe Longolius, oratione aliis inſerta ſcriptis & ſenatui Mechlinienſi intitulata, palam teſtatur patriam ſibi eſſe Mechliniam. Hæc etiam Rembertum Dodonæum dedit, Medicum & Mathematicum inſignem ſcriptis Botanicis clarum.

Nobilitas. Frequens hic Nobilitas, majorq; quam alibi familiarum eminentium numerus. Educati hic Principes maximi, Philippus primus Hiſpaniarum Rex & Carolus ejus filius, poſtmodum Imperator, quia iis temporibus ordinaria illic & ſolemnis aulæ Burgundicæ fuit ſedes. Obiit hic Margareta Caroli amita, Belgicæ Gubernatrix.

Mechlinienſium privilegia. Duobus potiſſimum gaudet privilegiis. Prius eſt, quod immunes ſint ejus cives per univerſam Belgicam à vectigalibus & oneribus, quibus mercimonia gravariſolent. Poſterius eſt, quod bona ipſorum, ut vocant immobilia, non ſolum in Brabantia, ſed per omnes inſuper provincias ab iis ſubſidiis libera ſint, quæ Principi ſubminiſtrari conſuevere. Utrumq; à Carolo Audace impetrarunt, ob officia ipſi præſtita.

Ordines. Ordines hujus Dominii conſtant duobus membris, Magiſtratu & Populo. Sedem habet in hac urbe Magnum concilium regium ab eodem Carolo inſtitutum anno Chriſti 1473. *Parlamentum.* Conſtabat olim xxxv. perſonis incluſo Principe, inde Cancellario, duobus præſidibus, quatuor equitibus, ſex ſupplicum libellorũ magiſtris, octo ſenatoribus Eccleſiaſticis & duodecim Doctoribus, ſive Licentiatis, ut vocant, ſecularibus hodie conſtat uno duntaxat Præſide, ſedecim Senatoribus, duobus Graphiariis, octo Secretariis & aliquot minorum gentium adminiſtris. Provocant ad hoc concilium Mechlinienſe, præter Mechliniam, Flandria omnis, Arteſia, Hollandia, Middelburgum Zelandiæ; ditio Namurcenſis, Lucenburgenſis, Valentianenſis: Equites item aurei velleris, prima, uti loquuntur, inſtantia coram hujus Concilii tribunali citantur, ſuntq; decreta ejus peremptoria, nec ullatenus retractantur, niſi quod *Reviſio* permittatur.

Sub ipſa urbe, qua Antwerpiam itur, ampliſſimum quoddam & memoratu dignum occurrit cœnobium, arcis pene ad formam conſtructum & muris late diffuſis circundatum. In hoc ædes eſt pulcherrima, D. Alexio Ordinis Præſidi ſacra. Degunt hic ut plurimum, mille quingentæ, nonnunquam mille ſexcentæ virgines ſacræ, unius ejuſdemq; omnes profeſſionis, ut refert Guicciardinus. *Cœnobium Monialium.*

Duabus Mechlinia leucis, ſub ejuſdem urbis dominio, ſitus eſt pagus ampliſſimus Heiſtium, vertici montis impoſitus, una cum ſeptem minorum gentium viculis, quorum alii ad montis radices, alii circum eum viſuntur Heiſtioq; ſubjiciuntur. Hujus luculenta quoq; eſt ditio, iiſdem cum Mechliniæ urbe privilegiis fruens.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [34] - -
PUBLIC DOMAIN

DESCRIPTIO
SYLVÆ-DUCIS,
Cum reliquis ſibi adhærentibus.

INTER quatuor primarias Brabantiæ civitates, quartum ſive extremum locũ obtinet *Sylva-Ducis*, vuglo *Buſcum-Ducis*, Gallis *Bois le Duc*, aut contractis vocibus *Bolduc*; habetq; quadranti ſuo ſubjectas quatuor regiones ſive potius membra, Campaniam nempe, Pelandiam, Maëſlandiam & diſtrictum Oſtervicanum. Continẽtur ſub ejus quadrante civitates *Helmonda*, *Eindovia*, *Mege*, *Raveſteinum* & *Gravia*, una cum aliquammultis pagis. Nomen nacta videtur ab amœna Sylva, in qua Duces Brabantiæ ſe recreare ſoliti fuerunt tempore Alexandri Pontificis Maximi & Frederici I Barbaroſſæ. Originem ſuam repetit ab anno CIↃ CLXXXIV, quo a Godefrido Lotharingiæ Duce, ejus nominis tertio (ut volunt) circa aggerem Ortidunum vallum duci cœptum, quod anno 1196 ab Henrico Godefridi filio una cum foſſis perfectum; unde quidam hunc Henricum urbis autorem faciunt, & natale urbis ad hunc annum referunt. Forma urbis primum rotunda fuit, tribuſque portis a tribus præcipuis Brabantiæ urbibus Lovanio, Bruxella, Antwerpia, ornata, quæ poſt pomœrium productum aliis uſibus ſunt dicatæ, manente hodie nominũ levi memoria. Sita conſpicitur ad fluviolum *Deſam*, duabus quidem ab Moſa, quatuor Raveſteinio, Antwerpia vero duodecim leucis remota. Paruit quondam Epiſcopo Leodienſi. Poſt diſceſſum vero Philippi II Hiſpaniarum Regis ex Belgio, novi ſunt inſtituti Epiſcopatus a Paulo IV Pontifice Maximo, quo etiam dotata fuit hæc civitas, & cum aliis quinque Epiſcopatibus ſubjecta Archiepiſcopatui Mechlinienſi. Sylvæ-ducis primus Epiſcopus fuit *Franciſcus Sonnius*, in hanc urbem magna cum ſolemnitate introductus anno 1562, decimo octavo Novembris. Pomœrium urbis aliquoties productum anno 1318, a portu S. Crucis, quæ quondam Bruxellenſis audiebat, ad finem plateæ Vuchtiæ ad uſque Ortidunum, indeque ad portam pineam, concluſaque hoc ambitu via Hinthamica & Vuchtia, licet etiam ante ſuburbia vallo variis locis ſepta fuerint, & multis annis poſt, muri adjecti. Ad extremum producti fines anno 1453, & variæ partes adjectæ; licet anno demum 1514 Hinthamenſis, & biennio poſt Vuchtenſis fines legantur muro lateritio circumdati, hinc verſus Antwerpiam, inter Meridiem & Occidentem; illinc verſus Graviam, inter Aquilonem & Orientem; ita ut nunc longe aliam formã a primitiva induerit, utpote triquetra, tribus in longum ſpatiis excurrens tanto gyro, ut vix ſeſquihoræ ſpatio ab expedito pedite ambiri poſſit. Muros habet firmiſſimos, cum ſeptem vaſtis propugnaculis, foſſas altitudine & latitudine eximias, Dommelæ & Aadæ allapſu. Portas habuit ſeptem, quarum duæ ſuperioribus annis clauſæ, quinque hodie patent. Plures canales urbem permeant, quidam etiam navium feraces, ſuper quos ſtrati pontes lapidei 51, lignei 38, privati pene totidem. Primarium templum eſt D. Joanni ſacrum, anno 1280 fundatum, ſecundum huic eſt B. Virginis, fundatum anno 1318, choro ſummo & organo ſic decoratum, ut vix in Europa ſplendidius oſtentari poſſet. Habet præter Noſocomia & Xenodochia, ſeptem delubra. Annis aliquot retro ſex, operoſa eam obſidione cinxerunt Fœderati Ordines, pluribus exſtructis hic illic arcibus, munimentis, ductiſque per loca paludoſa aggeribus, ſingulari induſtria, ſumptibuſque immenſis. Tandem fruſtra cum potentiſſimo exercitu oberrante hoſte, ac Velaviam vaſtante, intra quintum menſem expugnatum, ductu & moderamine FREDERICI HENRICI, Auraſiorum Principis.

Origo nominis.

Creveceur, fortiſſimum eſt fortilitium, ſeſquimiliari circiter Buſcoduci diſtans, paſſum eſt varias obſidiones, hodie Fœderati Hollandiæ illud poſſident. *Creveceur.*

Gravia exiguum eſt oppidum, ad ſiniſtram Moſæ ripam poſitum, Raveſteinio quidem duabus minoribus, Buſco-ducis vero quatuor grandibus leucis abjuncta. Metropolis eſt tractus Kuyckienſis, cum ſitu tum munimine ſic munitum, ut inter fortiſſima Belgii propugnacula habeatur, propterea magni nominis eſt & momenti. Hodie illud tenent Hollandiæ Ordines: quod autem ad ejus dominium, obedit Principi Auraſino FREDERICO HENRICO. Quondam ante tumultus belli Belgici ab Hiſpaniæ Rege mercatus fuerat WILHELMUS Princeps Auraſinus, clientelari quidem jure, ſed cum Ordinum tamen Brabantiæ, ſine quorum ſuffragiis Duci patrimonium ſuum neque vendere, neque obligare ullatenus fas eſt, conſenſu. *Gravia.*

Raveſteinium, ad ſiniſtram Moſæ ripam, Graviam inter & Megam poſitum, ac pari duarum leucarum intervallo ab utraque abjunctum, oppidulum eſt & concinnum, & ampla ſic ſatis juriſdictione conſpicuum, validaque inſuper arce munitum, etſi muris orbatum, qui ultimis inter Carolum V & Cliviæ Ducem bellis ex pacto fuere diſjecti. Dynaſtam habet Ducem Clivenſem, Brabantiæ tamen Ducem velut feudi Patronum agnoſcentem. De hac ditione latius alibi egimus in deſcriptione Clivenſi. *Raveſteinum.*

Mega etiam Comitatus titulo clara eſt, ſita ad ripam ſiniſtram Moſæ, tribus a Buſco-ducis vel circiter leucis, opidum ſatis lautum, ac dominio juriſdictioneque illuſtre, cujus ultimi Comitis cognata nupta uni e filiis Domini Barlemontii, quæ priori marito extincto, nupſit poſtea Principi Chimacenſi, deniq; Duci Arſchotano. *Mega.*

Helmondam alluit fluvius *Ada*, opidum tribus Eindovia leucis abjunctum, & eleganti arce conſpicuum. In hac degit vir quidã primarius e nobiliſſima gente Cortenbacquia, oppidi hujus Dynaſta, & eo nomine Vice-Comes ſive Burggravius Vurniæ atq; Duysburgi. *Helmonda.*

Eindovia ſita eſt in tractu Campaniæ, oppidum lautũ & munitum, ad flumen *Dommelam*, quatuor Buſco-ducis abjunctum leucis, & tractus, quem dixi, metropolis. Ædem habet D. Catharinæ ſacram, & in ea Canonicorum collegium. Dynaſtam agnoſcit Comitẽ Buranum. *Eindovia.*

Præcipuum omnium fluminum, has regiones irrigantium, eſt *Moſa*, magnas commoditates adferens vicinis ſibi diſtrictibus: reliqui ſunt amnes *Runna*, *Berſa*, *Dommela*, *Aa*, *Schepta*, & alii.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [35] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [36] - -

COMITATVS HORNANUS.

COMITATVS Hornanus, qui etſi Imperiale & ſubalternum feudum, veterem tamen Comitatum Lotſenſem in terra Leodicenſi velut ſuperiorem agnoſcit. Nihilominus tam arcte Brabantiæ implicitus atque annexus eſt, ut præteriri a nobis non debeat; præſertim cum ejus Dynaſta, propter alias ditiones, quas in hoc Belgio poſſidet, fiduciarius Regis Hiſpaniæ ſit, eumque agnoſcat Patronum. Dico igitur, *Hornam* arcem eſſe cis Moſam, Ruremundæ non incelebri Geldriæ urbi propinquam, & non Comitatus ſolummodo dignitate, ſed prælauta etiam ditione, cui ipſa nomen ſuum impertit, illuſtrem. Eſt autem in ejus confiniis *Werta*, oppidum luculentum, validaq; admodum arce conſpicuum, & diſtinctum ac ſingulare dominium, ubi & ordinaria Comitũ ſedes, tribus nempe a Ruremunda leucis. Perlabitur *Wertam* rivus non adeo procul inde ſcaturiens, & ſupra *Hornam* ad *Neram* pagum in Moſam ſeſe exonerans. Complectitur autem hic Comitatus, præter *Weſſemium* & jam dictum *Neram*, etiam alios quoſdam pagos & Toparchias, quæ luculentam ditionem invicem conſtituunt.

Viri illuſtres.

Orti ſunt Dynaſtæ Hornani ex illuſtriſſima ſtirpe Montmorancia, ſanguinis Gallici, e qua gente & Annas Montmorancius prodiit, Magnus antehac Regni Gallię Comes-ſtabuli, ſive Magiſter Equitum. Dedit autem & alios viros illuſtres, quales ultimus Hornæ Comes *Philippus*, magni nomins & famæ vir, Eques aurei Velleris, Admiralii maris, & Catholici Regis Capitaneus, qui inter ſtrepitus Ducis Albani decollatus, & e medio ſublatus fuit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [37] - -
PUBLIC DOMAIN

DISTRICTUS
SILVÆ-DUCENSIS.
Vulgò
De Meyerye van 's Hertoghen-Bosch.

SILVÆ-DUCENSIS meminimus prima fronte in Orientalis Brabantiæ descriptione, non obstante quod etiam titulum illi prefiximus Sylvæ-Ducis. In hoc tamen differt, quod ista tabula contineantur Comitatus Hornanus, districtus Kesselensis, Cuykiensis aliaque Dominia; Hæc vero solummodo vicinus districtus Sylvæ-ducensis, vulgo *de Meyerÿe van 's Hertogenbosch* exhibeatur, cujus vicinitas tota humilibus agris, pascuis incincta est, qui maximam anni partem rigui, hyeme autem alto cœno & vasta uligine pene impervii sunt, præter quam ad Vuchtensem plagam, quæ Africum adspicit, ubi ager paulo editior surgit. Ideoque hic duo castella superioribus annis ab Hispano adjecta, quorum illud quod urbi propius S. Antonii dicitur, ad Dommelæ ripam situm, circiter clxxx perticis Rhenolandicis ab extimo oppidi propugnaculo juxta portam Vuchtensem, quatuor prominentibus propugnaculis & latissima fossa aliique vallis & operibus permunitum. Alterum quod Isabellæ nomen præfert, ad cornu ericeti Vuchtensis, quinque validissimis fortalitiis, duplici fossa, vallis quoque & operibus, quæ hodierni belli usus seu necessitas invenit ita munitum, ut oppidi invicti instar haberi possit. Distat à minori castello tantum perticas Rhenolandicas Lxx. Ad Ortum autem ab oppido circiter ccxxxv. situm est & tertiũ Castellum, quod *Petteler-schans* dicitur, quinquangulare & totidem validis muniminibus, lata fossa, & extra illam alto vallo & adhuc fossa incinctum. Atque hæc quidem oppidi securitati extra pomerium adjecta. Ipsum oppidum, lata fossa & profunda cingitur, cujus aquæ duobus locis ingenti mole objecta concluduntur; duo valida propugnacula adjecta vallo, ubi Diesa ex oppido elabitur, totidemque ad Vuchtensem portam; plura autem juxta & ad Hintensem, & ubi Aa fluvius urbem subintrat. Denique nihil pœne factum reliquum, quod ad urbem permuniendam nuperus belli usus adinvenit. Et si quid ab Hispano aut negligentia aut ignorantia peccatum, id nunc à Belgis abunde corrigitur.

Arces.

Regimen hujus urbis est primo penes duos prætores, eosque fere claris natalibus ortos, quorum unus de civilibus, alter de criminalibus causis cognoscit; licet interdum utriusque munus uni mandetur. De utriusque causis jus dicunt Scabini, primæ in hac urbe dignationis. Qui primum quidem tantum septem fuerunt & ad annum 1336, anno exacto, festo Sancti Remigii novos sibi substituerunt: post, ipsis haud invitis & ultro cedentibus, Princeps Provinciæ quotannis Scabinos creavit. Carolus V. Imperator binos adjecit anno 1525. His indulto Principis permissum anno 1335, accedente Prętoris assensu, multas pecuniarias, quæ delinquentibus infliguntur, augere, minuere, mutare, vectigal potorium & annonarium, pro re nata usque ad 46 solidos vel augere vel minuere. Carolus quintus anno 1531 vetuit ulla immobilia bona in Districtu Sylvæ-Ducensi gravari aut alienari, nisi coram Scabinis aut Tribunali, & in loco ubi bona censusque siti sunt. Cognoscunt autem ad requisitionem partium de personis & bonis civium atque incolarum; Ad sententiam quoq; eorum recurritur non tantum à Tribunalibus subalternis totius territorii, sed & à Landen vetustissimo Brabantiæ oppido; item à Dormalen limitaneo Brabantiæ vico & Vice-comitatu &c. Habet præterea urbs Consules suos & Iuratos, uti fere in aliis urbibus. Ad Senatoriam autem dignitatem non assumuntur nisi indigenæ, & toto anno in urbe habitantes, nec nisi elapso biennio fere ad eandem resumuntur. Porro Scabini hi & Consules constituunt primum magni Senatus membrum · Senatorii autem & Consulares secundum, Tertium Tribuni & jurati opificum. Hi cum diu incerto numero fuissent, à Carolo nuper anno 1525. definiti fuerunt, statutumque ut essent ferrariorũ, ærariorum, & cultrariorum Decani III, jurati XI. molitorum & olearium Decani tres, jurati octo; Pistorum Decani quatuor, jurati octo; aciculariorum Decani tres, jurati decem; frumentariorum Decani quatuor, jurati sedecim; Lanionum Decani tres, jurati sex; piscariorum & cetariorum Decani tres, jurati sex; sutorum & Coriariorum decani quatuor, jurati duodecim; institorum decani tres, jurati viginti octo; lanificum decani duo, jurati octo;

Regimen politic. & civile urbis Sylvæ-ducensis.

Opificum ordo & institutio.

m sarto-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7-8111:2, [39] -

ſartorum & mercatorum laneorum decani quatuor, jurati viginti octo; pellionum decani duo, jurati ſex; Chirotecariorum & ligulariorum, decani tres, jurati duodecim, capſariorum, ſcriniariorum, carpentariorum & vietorum decani tres, jurati decem; tinctorum decani duo, & totidem jurati.

Forma moderna Sylvæducenſis urbis.

Forma hujus oppidi, prout nunc ſe habet, fere triangularis eſt & ob varios munitionum ſupradictarum meandros ab expedito pedite vix unius horæ ſpatio ambiri poteſt; complectitur enim ambitus illius cum ſeptem propugnaculis majoribus, ſeptem millia paſſuum. Ambitur Deſa, Dommela & Aa fluviolis, ſitu ſuo, paludibus & arte, ut ſupra narratum eſt à nobis; adeo munitum hoc oppidum, ut in expugnabile hactenus creditum fuit; nihilominus anno 1629. vi illud expugnavit Fredericus Henricus Princeps Auraicus. Conficitur in hac urbe innumerabilis optimi temperamenti cultrorum numerus infinitus, & incredibilis acicularum multitudo; plurimi panni e lana & ingens linteorum vis. Sede Epiſcopali ſplendet, cui dignitate hactenus præfuit Ophovius. Templum Cathedrale habet D. Ioanni Conſecratum, Splendidum ſatis & ſumtuoſum.

Quas regiones ſibi ſubditas habet Buſcumducis.

Quantum ad hujus diſtrictus juriſdictionem attinet, Subditas ſibi habet quatuor Regiones Campaniam, Pelandiam, Maeſlandiam & diſtrictum Oſtervicanum. & oppidula Helmondam, Eyndoviam, una cum multis pagis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [40] - -
PUBLIC DOMAIN

DUCATUS LIMBURGENSIS.

LIMBVRGENSI Ducatui nomen haud admodum antiquum est, ac nescio an multo ante Annum Salvatoris M.L. fuerit auditum, quo tempore ut Geldrorum docent annales, Wolfrandus Abbas Prumiensis cum Henrico LIMBVRGI Comite de jure certavit. Conregionales illi sunt ad Occasum Leodium & Trajectum, ad Mosam, percelebres ambæ civitates; ad Boream Ducatus Iuliacensis; ad Ortum urbs Imperialis Aquisgranum & Monasterium S. Cornelij; ad Meridiem Comitatus Francimontius & Aquæ Spadanæ. Totus iste Tractus ut æstate ob varietatem loci & oculorum aspectum est jucundissimus, ita hieme admodum ingratus; toto enim illo tempore gelu horret, & ob sui altitudinem quibusdam in locis nix magnam partem æstatis perdurat. Ager omnium rerum ad hominum necessitatem facientium (vino ob cæli inclementiam excepto) feracissimus. Optimũ enim profert trititicum & far ex quo panem candidissimum conficiunt. Nec minus hordeum ex quo ob vini caritatem cervisiam incolæ coquunt, quam tam sitienter tantaq; aviditate ea gens bibit, ut in conviviis atque sympostis, satis sit operosum ministris cantharos ac phialas prompte implere. Eo liquoris genere, non ut exhilarescant, non ut melancholicas animi nebulas discutiant, utuntur, sed tanta immoderatione se ingurgitant, tam strenuo se mutuo ad potandum cogunt, ut si quis hos, noctes atq; dies suspiciendæ capacitatis poculis studere videat, periculum imminere Græcis, Germanis atq; Saxonibus dicat, ne tandem bibacitatis hederam his Galliæ Belgicæ populis sint porrecturi. Optandum apud hos Egyptiorum consuetudinem usu receptam esse, qui in sympostis hominis mortui imaginem circum ferre, & singulis accumbentibns, dicere solebant: In hunc intuens pota & epulare, talis post mortem futurus es. Pascua saginando pecori optima sunt, unde casei delicati saporis copiam habent. Herbas colligunt efficaces, tam morbis curandis, quam esui accommodas. Sulphuris item solum feracissimum est, per cujus subterranea verisimile est labi fontes calidos Aquisgranenses ab omni ævo mirabiles. Sicuti nuper in ijsdem partibus stanni & plumbi fodina reperta est, argumentum non exiguum de inveniendis forte aliquando auri vel argenti ibidem incunabulis. Inter vero Walhornum & Montzium reperitur fodina ejus lapidis cineracei, é quo æs fit, medicinæ utilis, qui *Cadmia* Plinio & *Lapis æro∫us* non ita multum à Pyrite lapide diversus. Verba Plinij lib. XXXIV cap. I hæc sunt: *Fit & æs é lapide æro∫o, quem vocant Cadmiam.* Et cap. X ejusdem libri: *Namque ipse lapis ex quo fit Æs Cadmia vocatur.* Germani *Covaltum vocant*: Officinæ *Climiam* & *Cathimiam* & *lapidem Calaminarem.* Similis lapis videtur inveniri in Cypro Insula: sed cis Alpes vix alius præter Limburgensem alibi reperitur. Regio Limburgensis Comitatus olim titulo duntaxat ornata, in Ducatus dignitatem evecta est Anno CIↃCLXXII ab Imperatore Frederico cognomento Barbaro∫sa: fueruntque hujus regionis Principes etiam quondam Duces Lotharingiæ. Tandem, Henrico ultimo Lymburgiæ Duci sine prole mascula defuncto, Ioannes I ejus nominis, Dux Brabantiæ, succes∫it anno CIↃ CCXCIII. Hic tametsi antea legitime hunc Ducatum emerat, armis tamen sibi comparavit, victo Raymundo Comite Geldriæ qui illum occupaverat: in quo prælio Comes Geldriæ cum Episcopo Colonien∫i captus fuit. Ce ciderunt ex ducibus Henricus Luxenburgensis Princeps, fratres ejus tres, omnes socij Comitis Geldrensis. Dux Ioannes hac victoria potitus arcem *Woronc* vulgo dictam diruit, dirutam solo æquavit: atque ita ex illo tempore Ducatus Limburgicus Ducibus Brabantiæ cessit. Hinc Limburgi, Falcoburgi, Dalemii & cætera, transmosana municipia, criminales, civiles∫que provocationes suas ad Brabanticam nomo phylaciam, cujus perpetua Bruxellæ sedes est, dirigunt. Cæterum in Eccle∫iasticarum rerum disceptatione & administratione Eburonum Antistitem, cujus Diœcesis sunt, dominum agnoscunt. Ex hoc Ducatu ejusque Principibus ex stirpe Lotharingica originem ducentibus ortus est primus Rex Portugalliæ, *Henricus* videlicet, Dux Lotharingiæ, Comes Limburgicus, vir animo magnus, manuque promptus, sicuti plenius & planius annales His∫panicæ memorant. Metropolis totius Ducatus est *Limburgum* in alta rupe situm, undique prærupta & profunda valle munitum: natura magis loci quam humano ingenio ab omni parte inacce∫sum: nisi qua Meridiem spectat, ubi terra altius insurgens in immensam a civitate usque planiciem paullatim descendit. Arcem habet hæc civitas in parte decliviori qua Boream spectat, ex puri∫simo marmore de genere Iaspidis communis, cujus solum istud prope vicum Hevermont, & alibi copio∫e ferax est, conditam. Situs vero arcis declivior mirus videri non debet, tametsi alias arx altissimum clivi obtineat, intuenti potissimum loci suburbia, qualia & quanta olim fuerint, civitate ipsa pene duplo majora. Proinde factum omnino est, ut arx in medio confisteret, civitati & suburbijs utrimque dominatura, Cujus turres, muri ac propugnacula prærupti montis dorso impo∫ita & sic vivo ex saxo constructa, ut nec occultis terræ cuniculis, nec muralium machinarum ictibus concuti possint, siquidem ruri duri∫simæ insistunt, & præcipitibus naturæ clausiris maximæ tuto sunt loco.

Cæli qualitas.

Soli fertilitas.

Urbes.

Imperium Majorum

Præterea Gastonius Spinola Comes Bruacensis hujus Ducatus totiusque terræ ultramosanæ ante hac Gubernator, ne inde vim etiam metueret arci, insigni opere binas civitatis portas novas fecit, ad hostiũ vim non minus quam insidias eludendas apprime compositas. Sylvis cingitur, quercu, fago ac medicatis herbis ditissimis. In magna autem convalle ad montis, in quo Limburgum est situm, basim, fluvio Wesa, seu ipsorum ligua vulgariter *Wesdo*, maximo accolarum emolumento, irrigatur. Is ex Arduenna sylva prima origine scaturiens per Limburgensem agrum grato delabitur murmure, ac Mosæ tandem juxta Eburonũ Augustam miscetur. Multis ac variis conducit usibus, maxime molitoribus & pannorum tinctoribus qui in suburbio *Dolhen* plurimas officinas habent. Præstantissimis etiam magna copia nobilitatur piscibus, trutis nimirum tam prodigiosæ magnitudinis, ut vulgaris fluviatilis salmonis appellationem mereantur: umbris, anguillis, mustelio, cancris & id genus aliis, qui sub cavernosis petris latitantes, summa cum voluptate & delectatione capiuntur. Opidani plerique lanificiis dant operam, vimque magnam pannorum quotannis conficiunt, & in varias Inferioris Germaniæ partes distribuunt. Prope civitatem multum ferri conficitur, habita ad hoc speciali fornace & officina, in cujus sumptus vix sex millia caroleorum quotannis sufficiunt. Ipsa autem civitas nihil habet quod ab ædificijs sit laude dignum; parva enim est, duabusque tantum portis pervia, & difficilis ascensũ habitantibus. Si tamen ea, quæ urbes ut plurimum commen-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7-8111-2, [42] -

dare ſolent & clariſſimorum hominum ex eo progenitorum ſeriem conſideres, non in fimæ dignitatis oppidum eſſe cenſebis; ut de eo Virgilianum non immerito dici queat:

---- *Pauci numero, ſed vivida virtus.*

neq; adeo refert; quali ſint urbes ſtructura, ſitu, numero atq; frequentia civium, ſed qua animorum inveniantur concordia, quo virtutum nitore, qua religione ſint imbuti. Templum habet unicum D. Georgio ſacrum, cui præeſt proprius Præpoſitus. Hanc Urbem Ioannes Auſtriacus per deditionem occupavit, quum copias ſuas eo duxiſſet, Arce *Hende* illi antea prodita a quodam militum duce, qui eo loci præfectus erat, commeatus, pilas & pulverem tormentarium ſibi poſtulaverat, cum rumor increbuiſſet, Auſtriacum cum exercitu ad urbem obſidendam adventare, promittens Ordinibus, ſi iſta reci peret, ſe omnem hoſtilem impetum repreſſurum. Miſſa omnia quæ poſtulavit, ſed quæ jactarat, non perfecit; ſiquidem ad primum hoſtis appulſum in colloquium devenit, eique urbem nulla parata defenſione tradidit. Non procul Limburgo extra tamen ejus ditionem verſus Meridiem ſcaturiunt *Spadani Fontes*, celebritate ſua toto orbe noti. Inter vero Walhornum & Montzium reperiuntur colles vulgo dicti *Kelmberghen*, a copia metalli ſive lapidis, cujus ſupra mentionem fecimus, qui ex ijſdem copioſiſſime eruitur, nomen ſortiti: ad quorum defenſionem, & proventus conſervandos præ dictus Comes propugnaculum ibidem erexit. Sed incauto milite id ante annos aliquot combuſſerunt Batavi. Adjacet civitati Limburgenſi permagna illa ſilva vulgo dicta *Fangne*, ſub brevibus arbuſtis inſigne venationis præbens delectamentum. Ducatui Limburgico concenſeri ſolent tres aliæ civitates, quarum quæque Comitatus prærogativa nitet: hæ ſunt *Valckenburgum, Dalhemium*, & *Rolducum*, de quibus nunc ordine dicamus. *Valckenburgum*, Gallis *Fauquemont*, opidum elegans, in territorium amplum & pagos aliquot juriſdictionem habens, tribus magnis millaribus ab Aquiſgrano, & duobus minoribus ab Ultrajecto diſſidens. Territorium ejus fertiliſſimum eſt, ſeu ipſam frumenti ſtationem, ſeu pecudum paſtum inſpicias; a quo non procul Monaſterium S. Gerlaci ſtructura non minus quam antiquitate conſpicuum viſitur. Ceterum Comitatus Valckenburgicus occupatus fuit à Duce Brabantiæ Joanne ejus nominis III, qui vi & armis illum Raynouto Valckenburgi dominio eripuit, qui, cum eſſet homo moleſtus atque Trajectenſes ad Moſam injuria & damno afficeret, à nominato Duce victus & captus fuit. *Dalhemium* opidulum tenue, arcem parvi momenti habens. Diſtat Aquiſgrano tribus miliaribus majoribus, duobus Leodio. Erectum eſt in Comitatum; & aliquot pagos & agros trans Moſam ſub ditione ſua habet. Henricus II ejus nominis Dux Brabantiæ eo potitus eſt, terriſque ſui Dominii adjecit. Ad Dalhemium pertinet inſignis Abbatia *Vallis Dei*, cujus Abbas inter primores illius territorij primas obtinet, & præter hanc alia Abbatia S. Crucis. *Rolducum* Opidum vetus cum arce vetuſta. Diſtat Valckenburgo ad unum miliare, eſtque quartus ſtatus & juriſdictio Ultramoſana, habetque ſummum tribunal, ſed inſpectioni & reformationi Conſilij Senatorij Brabantiæ ſubeſt. Silentio non eſt prætereundus hic *Pagus Carpen* vulgo, inter Iuliacum & Coloniam, ad duo miliaria majora à Rheno diſſidens. Opidulo par eſt magnitudine, Eccleſiam Collegialem habens, & jus nundinarum ac Fori, quo plurimæ merces advehuntur, & magna populi multitudo confluit; habet etiam vicinam arcem munitam. Hanc anno CIↃ ICLXVIII Gulielmus Naſſavius, Princeps Arauſinus trajecto Rheno cepit, & præſidio munivit. Hæc autem omnia ſimul collecta dominium non contemnendum conficiunt, quod a proprio domino regi ſolebat. Sed Duces Limburgici occuparunt ſibique ſubegerunt; quamvis ſeorſum præfectum accipiat, qui una cum præſidio ſatis valido ibidem commoratur. Tota hæc ditio præter Moſam tres alios habet rivos, qui in fluvios, deſinunt. *Beruinum* ſcilicet alluens Dalhemium, *Geudam*, qui Valckenburgo jungitur, & *Wormam* præterlabentem Rolducum. Cæterum tam Ducatus Limburgenſis quam reliqui ſtatus & dominia modo dicta, tribus conſtant membris, nimirum Eccleſiaſticis qui primum conſtituunt; Nobilibus qui ſecundum; & tertium ſuperiora tribunalia & ſedes judiciales complectitur. Ducatus autem Limburgenſis quinque diſtrictus ſeu membra complectitur quas *Bancas* nominant, *Hervium, Spremontium, Balentum, Walhornum*, & *Montzium*: quarum prioribus duabus Majores, tribus autem poſterioribus Droſſardi Magiſtratus vice præſunt.

Flumina.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [43] - -
PUBLIC DOMAIN

LVTZENBVRGICVS DVCATVS

Regio unde nomen habet.



Ducatus Lutzenburgicus nomen habet à primaria totius regionis civitate: hęc (ut nonnulli opinantur) à fluvio *Elza*, *Alisontia* forte Antonini. Ab Elza fit Elzenburch, inde *Lutzenburch*. Petrus Divæus aliam de Lutzenburgo sententiã notat his verbis *Leucorum gentem* (inquit) *juxta Treviros, Mediomatrices, ac Lingonas habitasse indubitatum est. Oppida eorum Tullus ac Nasium, Ptolemæo celebrata nomen servant, Toul & Nansy; vernacule crediderim appellatos, Die Lutzen, & late imperasse, ut ab iis Lutzenburgÿ celebris oppidi nomen ortum sit, quasi der Lutzenburch.* Hæc ille. Lazius *Mosellanum Ducatum* vocat. Terminant hunc Ducatum ad Septemtrionem Leodienses & Namurcenses; ad Austrum Lotharingi; ad Ortum, Mosella cum Episcopatu Trevirensi; ad Occasum Mosa cum Silva Arduenna. Ambitus totius regionis est 70. Milliarium. Regio omnis licet montosa & saltuosa, bona tamen, benignaque ac fertilis est. Maximamque partem Sylvæ Arduennæ complectitur; Ideoque dividitur in duas partes, quarum altera *Famenna*, altera *Arduenna* dicitur. *Famenna* fertilior est segetis & vini, *Arduenna* asperior, sed quæ asperitatem venationum bonitate & ferarum optimi generis mirifica abundantia compenset. Feræ istæ cum aliæ, tum cervi, apri, capreoli, lepores, cuniculi; & præter phasianos & perdices ordinarias, reperiuntur, hic aliquot avium genera, quæ non temere alibi usquam invenias, ac primo quidem eæ, quas vulgò vocant *Caurettes*, perdicibus paulò grandiores ac coturnicibus pene adsimiles, sed discolores gratoque aspectu, oculis pedibusque punicantibus, carne candida, & supra quam dici queat, suavi. Deinde duplex illud genus pullorum Sylvestrium, quorum alterum fere accedit ad Gallinam Africanam & Lemovicensium nomine ipsius celebratur *Poulle de Limoges*: alterum audit vulgo *de Bruyeres* ab Ericetis & id genus incultis, atq; desertis campis, ubi suos pullos excludunt, ea quidem utriusque generis & ovorum simul & avium multitudine, ut præter gratissimam voluptatem, maximum etiam fructum indigenis adferant. At præcipuus tamen hujus partis fructus in pecore fere consistit & in ferri cuprique fodinis, quibus Argenti quoque nonnihil accedit. Metalla ferri sunt non procul à *Manderscheyd*, in dominiis *Keyla*, *Cronenberch* & *Sleida*, ad vallem cui nomen est *Hellenthal*. Conflantur hoc loco ab istis Cyclopibus incudes, fornaces ferreæ, pyreteria, quæ per totam Germaniam & Belgium ingenti lucro distrahuntur. Suppetit item maxima vis lignorum, cudendis metallis & exstruendis fornacibus, levi impensa & opera commodissimorum. Nec silentio prætereundum hoc loco inveniri versus Mosellam nonnullos Fontes Sali gignendo commodos. Titulum duntaxat Comitatus initio habuit, atque adeo Henricus Septimus Imper. Comes fuit Lutzenburgicus, non Dux. Postea in Ducatũs dignitatem, qua hodie adhuc utitur, evecta fuit. Hoc alij Wenceslao Romanorum Regi, alij Carolo quarto tribuunt, Conradus autem Vercerius Henrico VII. adscribit primo ex ea familia Romanorum Imperatori. Primum hujus Comitem Sigfridum fuisse, in schedis manu exaratis se reperisse, scribit Ortelius, eumque filium fuisse Tacuini Ducis Mosellani.

Sius.

Soli fertilitas.

Imperium Majestatum.

Cæterum *Henrico* Imperatore ejus nominis VII. in Etruria rebus humanis exempto anno 1313. devolutum est jus hujus regionis ad *Wenceslaum* Bohemiæ Regem, Caroli IV. Imperatoris fratrem, eoque sine liberis mortuo cessit jus Caroli IV. liberis, *Wenceslao* & *Sigismundo*, qui in Imperio ordine patrem secuti sunt, Wenceslaus cognatam suam Elisabetham elocaturus Antonio Brabantiæ Duci, has ei terras dotis nomine dedit. *Antonius* circa Blangium in Morinis prælio adversus Gallos cæsus viduam uxorem reliquit, quæ Sigismundo Imperatore contra cives nova molientes evocato ad defensionem agri dotalis, à Burgundo restituta vel potius adserta est. Post Elisabethæ istius obitum, vindicavit sibi hanc ditionem *Philippus Burgundus*, Dux Brabantiæ urbe primaria expugnata. Carolus vero audax Philippi frater transegit cum Isabella Casimiri Poloniæ Regis conjuge, unica Sigismundi Imperatoris filia & hærede, redemitque pecunia litem. Hinc ad Cæsarem Maximilianum cum *Maria* Caroli filiæ & hoc modo ad Carolum V & filium ejus Philippum hoc modo devoluta fuit. Urbes habet viginti, vallo & fossa munitas, quarum nomina hæc sunt, *Lutzenburgum*, *Arlonum*, *Theonis villa*, *Rodemachera*, *Gravemacherum*, *Coningsmacherum*, *Dierichum*, *Virtonium*, *Echternachum*, *Vianda*, *Bastonacum*, *Mommedium*, *Novum Castrum*, *Danvillerium*, *Marvilla*, *Roccha*, *Durbis*, *S. Viti urbs*, *Marza* & *Salma*. Sunt & urbes aliquot quarum mœnia solo æquata. Sunt & arces urbium penæ æmulæ, *S. Ioannis* & *Mandrescheid*, quibus titulus est Comitatus. Pagi sunt 1169. Ducatus etiam iste sub se habet Comitatus septem. Baronatus plurimos; Dominia plurima, in quibus nobiles plus juris habent in subditos, quam per reliquam Belgicam. Status Reipubl. est penes Antistites, nobiles & urbium optimates. Urbs primaria *Lutzenburgum*, & *Leuceburgum*; Ptolemæi, *Augusta Romanduorum* Petro Appiano. Guicciardinus dictum vult quasi Lucis burgum, hoc est, arx Solis. Quemadmodum pleraque alia hujus tractus loca à Gentilium diis denominata videri possunt: *Arlon* ab ara Lunæ: *Ivois* a Jove, *Marche* a Marte. Urbs sita est loco peramœno, parte altera montoso; altera plano. Hanc Elza fluvius interluit, partem urbis superiorem & montanam, ab inferiori & plana dirimens. Ædificia in ea domusque utcumque splendidæ, verum belli injuriis varie afflictæ; ac Templũ sacrũ Nicolao: cœnobium Francisco & abbatia B. Mariæ, in quo sepultus Joannes Lutzenburgicus Rex Bohemiæ, filius Henrici VII. Imperatoris & pater Caroli IV. Vrbs hæc, etsi Martis frequenter deformata furoribus, cui nihil cum Musis otio & tranquillitate gaudentibus commune, illustres tamen eruditione viros edidit. Atque inter multos Nicolaum Navium, hominem usque adeo doctrina, & rerum prudentia magnum, ut Curiæ judicialis apud Lutzenburgum Præses, non ante munus quam vitam, filium autem reliquerit sibi cognominem, qui paternas æquans virtutes tantum apud Carolum V. Cæsarem gratia valuit, ut in toto Imperio Cancellarij vicarius ab eo constitutus, id muneris cum vita finierit. Hæc urbs anno 1542.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

capta & ſpoliata à Gallis, quibus ductor erat Dux Aurelianenſis. Sequente anno iterum ab iiſdem vexata. Poſtea vicinorum bellorum mala ſenſit; imprimis anno 1552. Henrico II. Francorum Rege contra Carolum V. ducente exercitum in Germaniam & omnia late longeq; igni & ferro vaſtante. *Arlonum* vernacule *Arlon*, ſitum eſt in montis vertice, oppidum ſatis elegans. Lunam Deam hic olim gentilitio more cultam, & inde nomen habere putatur. Hic multa antiquitatis monumenta eruta quæ Comes Petrus Ernestus hinc ad ædes ſuas ampliſſimas, quas habet in Pomœrio urbis Lutzenburgenſis, transferri curavit. Patria hæc fuit Bartholomæi Latomi, Viri egregie docti. *Rodemacria* Lutzenburgo diſtat trium leucarum ſpatio, oppidulum lautum & arce conſpicuum. *Theonis Villa* (*Theon Ville*) in ripa Moſellæ præſidium totius regionis, & contra quemvis impetum oppidum tutiſſimum. Hanc à Carolo Magno inſtitutam volunt, ut tertia Imperij ſedes eſſet per Germaniam inferiorem. *Baſtonacum* aliter vocant *Paris en Ardenne*, quaſi diceres Arduennenſis Lutetia. *Gravemacria* & *Coning-Macria* modica ſunt ad Moſellam oppida, uti & *Dikirchia* ad fluuium Suram. *Viertonum* & *Echternacum* pari intervallo Lutzenburgo diſſident. *Vianda*, arce conſpicuum eſt oppidum ſatis memorabili ſede olim & domicilio equitum Templariorum, quorum etiam in Sacello effigiem & veterem morem notes. *Novocaſtrum* etſi modicum, pulchrum tamen ſatis eſt oppidulum. *Mommedium* in monte ſitum, cujus radices alluit flumen Chirſus. *Danvillerium* oppidum duodecim Lutzenburgo abſedit miliaribus, bellis captum, direptum ac ſolo æquatum, & poſtea reſtauratum. *Marvilium* ad eundem Chirſus eſt, quod pro altera ſui parte Hiſpaniarum Regem; pro altera Lotharingiæ Ducum Dynaſtas agnoſcit. *Rupes Arduennenſis* vulgò la *Roche en Ardenne* itemque *Durbium*, duo ſunt oppidula ſatis lauta & Comitatus dignitate ſpectanda.

Fanum S. Viti oppidulum eſt peramœnum, uti eſt *Sleida*, muris carens, titulo Comitatus & inſigni in aliquot pagos juriſdictione ſuperbiens. *Martia* vulgo *Mars en Famine*, nomen habet à Marte, oppidum mire antiquũ. *Ivoſium*, *Chinium*, *Fertea* mœnib. ſpoliata ſunt.

Nobiles in tota hac Provincia permulti, quorũ numerum vix imminuerunt bella iſta graviſſima, horum ordinẽ ornant aliquot Imperatores ex iis fere, ſed de Nobilium nimio rigore conqueruntur coloni; habentur enim pro ſervis, quod alioquin in nulla Belgij parte obtinet. Cætera ſunt humani laudis avidi, fidi & virtutes amantes laborum imprimis & inediæ patientes.

Fluviorũ. Fluminibus regio omnis rigatur plurimis. Eorum primum nobiliſſimumque eſt *Moſella*, Quem Auſonius ſingulari doctoq; carmine celebrat Eidyl. 111. ab aquæ limpitudine navigandique facilitate; villis atriiſq; quibus utraq; ripa decoratur. Piſcibus gaudet *Capitione, Salari, Redone, Vmbra, Barbo, Salmone, Muſtella, Perca, Tinca, Alburno, Alauſa, Gobio & Siluro*, fluminibus denique in ipſum decurrentibus; *Pronæa, Nemeſa, Sura, Gelbi, Erubro, Leſura, Trahono, Salmona, Saravo, & Aliſontia*. Moſellam & Ararim, facta inter utrumque foſſa, connectere ſub Imperatore Domitio Nerone, adgreſſus eſt L. Vetus, ut copiæ ex Italia per mare; dein Rhodano & Arare ſubvectæ per eam foſſam, mox Fluvio Moſella in Rhenum, exin rurſus in Oceanum decurrerent, ſublatiſque itinerum difficultatibus, navigabilia inter ſe Occidentis, Septentrioniſque fierent littora, ut ſcribit Cornelius Tacitus lib. 13. De Moſa alibi diximus & quidem paſſim in quibuſdam deſcriptionibus, ubi ejus memoria incidit. Reliqua ſunt *Chier, Moſa, Bemoij, Houl, Lech, Alſatus, Atardus, Sourus, Prumeus, Mineus, Ghomens, Orto, Albis*, ac innumeri pene rivuli. Montibus Regio undique attollitur, ſilviſque innectitur denſiſſimis. Eæ omnes Arduennæ totius Gallicæ ſilvæ maximæ, rami ſunt. Curia totius Provinciæ in urbe Lutzenburgo jus dicit, ſermone vel Gallico vel Germanico, pro locorum ratione quibus jus dicitur. Germanice enim loquuntur Lutzenburgi, Arloni, Rodemacræ, Theonvillæ: Gallicè vero Ivoys, Mommedi, Merveil & Danvilliers; atque ob hanc cauſam neceſſe eſt & judices & advocati & alij curiæ miniſtri utramque linguam calleant. Ab hac autem Curia provocatur Mechliniam, ubi quæ ſcripta ſunt Germanice, bona fide Gallice redduntur.

Montes. Sylvæ. Ratio gubernandi.

GELDRIA
DUCATUS.

Nominis origo.

GELDRIA hodie *Gelderlant*, quondam (ut quidam ſcribunt) *Pontbū* dicta, primumque ſub Carolo Calvo Gallorū rege anno 878 ad Dynaſtiam aſcendit. Primus ejus Dynaſta (Guiciardino teſte) fuit *Wichardus de Pont*, qui una cum fratre exſtruxit Caſtellum *Pont-Geire* dictum, quod nunc ipſa civitas Gelria eſt, à qua tota regio nomen accipit: quanquam hujus nominis originem alii ſcriptores deducant à Gelduba civitate quondam ad Rhenum ſecundum Tacitum poſita, quæ tamen temporis ſucceſſu ita periit, ut ejus nulla amplius memoria exſtet. Alii commentantur Cæſares prædicti ætatibus, in hac regione certum aliquod animal natura ferox & venenoſum ſub arbore quadam cubaſſe, cui mos erat neque hominibus neque aliis animalibus parcere, verum omnia quæ illi obveniebant, dilacerare & deglutire, ſine ullo diſcrimine, ita quidem, ut incolæ omnes aufugerent & in ſpeluncas ſe abderent. Advertentibus hoc malum duobus filiis Domini de Pont calliditate hanc letiferam beſtiam prevenerunt, & poſt longas dimicationes vicerunt. In cujus rei memoriam Dominus prædictus de Pont Caſtellum non procul Moſa erexit ad confluentē Nierſam fluvii, quod *Geire* appellavit, & hoc ob illam cauſam, quod Beſtia illa immanis ſic clamare conſueverat. Quantum ad hujus rei fidem attinet, relinquimus hanc judicio legentis. Marlianus & Munſterus ſcribunt, regionem hanc Julii Cæſaris tempore à Menapiis incultam; alii ab Sicambris. Verum hanc controverſiam offerimus dirimendam Geographis & Coſmographis, & nos convertimus ad hujus terræ limites.

Termini.

Hæc terra à Septentrione Tranſiſalaniam una cum ſino illo quem hodie vocant *de Zuyder-zee*, habet; ab Auſtro partim Moſa alluitur, qui à Brabantia eam diſtinguit partimque terræ Iuliacenſi connectitur; ab Ortu tam Rhenum quam Ducatum Cliviæ intuetur, qui & ipſe hunc tractum in duas etſi inæquales partes diſtinguit; ab Occaſu denique, qua rectiſſime verſus illum porrigitur, Hollandiam reſpicit & ditionem Ultrajectinam. Solum ejus planum eſt & parum montoſum, ſed amœnis admodum & fructuoſis nemoribus denſum, inter quæ excellit potiſſimum Echterwaldia verſus Borrholybicum ad Arnhemium. Ager paſſim omnigenæ ſegetis & imprimis tritici feraciſſimus; paſcuus quoque nonnuſquam & oportunus admodum pecori, cujus ingens hic multitudo. Speciatim vero ad Rhenum Vahalim, Moſam, uberrima ſane & commodiſſima occurrunt prata. Aërem habet purū & bene temperatum. Fertilitas tamen terræ hujus non ubique eſt eadem, ſiquidem verſus Velaviam magis collibus aſſurgit & ſterileſcit.

Imperium majorum.

Olim imperabant Geldriæ ante tempora Ottonis de Ponte, & filiorum ejus Lupoldi & Winchardi, Domini Auſtriacæ domus. Nam Martinus Auſtriæ dominus filium habuit Lambertum nomine, de quo primi Geldriæ rectores exorti ſunt. Anno 751. (uti Richardus Waſſeburgius refert) hæc provincia regebatur à Guido, vel (uti aliis placet) à Leopoldo natu minore prædicti Lamberti. Carolus Magnus Neomagum tum temporis Geldriæ metropolim multis ornamentis ornavit, poſteriſque conceſſit, eo uſque, donec Domini de Pontis regimen ſuſceperint illudque hæreditarium fecerint. Proſapiam Rectorum ſive Dominorum hac vice non adeo longe deducemus, verum præterita iſta dominiſque de Pontis, ac Gubernatoribus Wichardo, Gerlaco, Godefrido, Mengoſo, Wiburgo; Regimen ab ipſo Ottone Naſſovico auſpicabimus. Hic ducta in conjugem Wichardi tertii unica filia Adelheida, factus eſt omnium hujus Provinciæ Dynaſtarum primus ab Henrico Imperatore ejus nominis tertio anno Chriſti 1079. exornatuſq; eſt titulo dignitateque Comitis Geldriæ; & Adelheide priori uxore defuncta, matrimonio ſibi conjunxit filiam natu majorem Gerlaci Comitis ac dynaſtæ, qui prælio inter Conradum Epiſcopum Trajectenſem & Henricum quintum Hollandiæ Comitem cæſus eſt; unde factum, ut ditio ejus cum reliqua Gelria coaluerit. Othoni ordine ſucceſſerunt Comites iſti Gerardus nempe & Henricus & alter Gerardus & poſt eum Otto ſecundus cognomento Loripes; Is ditioni ſuæ adjecit Neomagum, Ruræmundam, Arnhemium, Hardervicum, Bommeliam, Wageningiam, loca provinciæ Gelricæ, Goccham item in terra Clivenſi omnia prius aperta & pagorum in modum cuivis aperta potentia, anno circiter 1229 muris & mœnibus cinxit ac civitatum privilegiis impertivit. Scribunt Chronographi Hollandiæ Comitem Wilhelmum qui tum temporis Imperatoris titulum jactitabat pro magna pecuniæ ſumma Noviomagum oppignoraſſe Ottoni ea conditione, quod, ſi ille intra conſtitutum termini diem hanc ſummam non redderet, Otto & ejus hæredes in perpetuum oppignoratam civitatem retinerent. Ottoni ſucceſſit Reinoldus filius; Reinoldo rurſus filius patri cognominis, qui ab Imperatore Ludovico Bavaro, Comitiis Francofurtenſibus anno 1339 donatus eſt dignitate Ducatus, quam dignitatem iiſdem Comitiis conſecutus eſt & Reinoldi cognatus Comes Iuliacenſis. Cum jam prædictus Reinoldus duodecim annos regnaſſet magnum ortum eſt diſſidium inter ipſum & fratrem ſuum Eduardum natu minorem, qui illum in acie vicit decemque annos captivum tenuit. Mortuo Eduardo bellum denuo inteſtinum exarſit, diverſis partibus cauſam ſororum Margaretæ & Mariæ tutantibus, quod tam diu duravit donec Margareta ſine liberis obierit. Quo tempore Guilielmus Mariæ filius, Juliæ Dux ad Gelriæ & Zutphaniæ Ducatum vocatus eſt. Huic ſuccedebat frater ejus Reinoldus IV. qui etiam ſine liberis mortuus. Qua de cauſa ſoror ejus Maria nupta Ioanni Arkelenſi cui natus filius Guilielmus, Ducatum hunc ad ſe trahebat. Poſt Ioannis obitum ſecutus eſt Guilielmus mox dictus qui Gorichomii jugelabatur, nullis liberis poſt ſe relictis. Idcirco ſoror ejus Maria tranſportavit dotis loco hunc Gelriæ Ducatum Marito ſuo Ioanni Egmondano, Domino Betaviæ. Hic genuit filium, Arnoldum nomine qui aliquam controverſiam ſuper Geldriæ Ducatū contra Adolphū Ber-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [47] - -
PUBLIC DOMAIN





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 6111:2, [48] - -

genſem Comitem inſtituerat, quã Sigiſmundus imperator diremit poſſeſſionemq; Adolpho Comiti Montenſi adjudicavit. Verum ducta in uxorem filia Ducis Iuliacenſis, auxilio patrui ſui Ducatum Geldrenſem filio Adolpho Comiti Bergenſi, Ruperto nomine, qui in matrimonium acceperat Viduã Reinoldi tertii Geldriæ Ducis, vi & armato manu abſtulit. Hic Arnoldus à filio ſuo Adolpho imperii cupidiſſimo in carcerem detruſus & poſt à Carolo Burgundo liberatus, duos tantum annos poſt carceris liberationẽ regnavit, Carolum hæredem inſtituit contumaci & rebelli filio Adolpho excluſo. Per venditionem & inſtitutionem itaque hæres factus Carolus uſque ad annum LXXVIII, quo Nancii interiit, imperium tenuit. Poſt quem venit filia ſua Maria ejuſq; maritus Maximilianus, Frederici Imperatoris filius. Factum autem, ut Geldri ipſi Maximiliano negarint parere, quod indigne admodum ferens Princeps, magnis copiis ſuccinctus, Buſcumducis ſe contulit, tam inſignem injuriã vindicaturus, unde attoniti ſtatim Ordines Geldriæ, ad ſanitatem jam reverſi, omnes ſeſe Maximiliano dediderunt ac debitũ fidei ſacramentum præſtiterunt. Verum Carolus Egmondanus Adolphi filius anno CXII per Geldriæ Ordines, qui imperio Burgundionum jam pridem fatigati ex Gallia vocatus magnoq; omnium applauſu Dux Gelriæ & Zutphaniæ renunciatus fuit, quem magna cum laude ad finem pene uſque adminiſtravit. Tandem morbo tactus fatali Guilielmum Ioannis Ducis Cliviæ filium inſtituit hæredem. Qui aliquamdiu imperavit Geldriæ, verum cum magna Imperatoris Caroli Quinti indignatione qui illi quoque magnam partem Iuliacenſis Ducatus detraxit; quo jure id factũ, & quid inter illos pactum alibi diximus, nifallor in deſcriptione Iuliacenſi.

Geldriæ populi quondam valde fuerunt bellicoſi, ſiquidem Romani non tam armis quam bellis verbis illos vincere ſtuduere, quod facillime ex Tacito poſſet demonſtrari. Appianus narrat quingentos Sicambros (qui Geldrenſes ſunt) quinque Romanorum equitum millia profligaverint, ſeptingentoſque & ultra trucidaverint. Non exiguum harum gentium, fortitudinis elogium & probitatis indicium. Legimus quoque ſub Romanis aliquam Geldrorum copiam militaſſe civitatemq; ad Danubium condidiſſe ab Hungaris *Schambray* dictam juxta veterem Budam, quemadmodum ex verbis iſtis lapidi inciſis, qui tempore Matthiæ Corvini Hungariæ Regis ex terra effoſſus, Lazio teſte, colligere licet. Verba iſtius lapidis hæc ſunt:

LEGIO SICAMBRORUM HIC PRÆSIDIO COLLOCATA CIVITATEM ÆDIFICAVERE, QUAM EX SUO NOMINE SICAMBRIAM VOCAVERUNT.

Verum multi arbitrantur hæc ſolummodo ornamenta eſſe. Nos relinquimus lectoris judicio. Incolæ qui hodie Geldriam incolunt non minus bellicoſi ſunt, quã ejus majores fuere, quorum magnanimitas ſicut in prioribus non extincta, ita in poſteris non diminuta ſed aucta videtur. Quod illorum humanitatem, morum ſuavitatem, doctrinæ præſtantiam concernit, certum eſt, longe Majores ſuos ſuperare; Quos Horatius feroces & cæde gaudentes nominavit, quem Martis rigorem neceſſitate coacti non minus hodie in hoſtes ſuos excercent. Hi Populi inter Gallos omnes fuere poſtremi, qui ævo Julii Cæſaris, jugum imperii Romani acceperunt, declinante vero Imperio, omnium primi denuo illud excuſſerunt. Et quamvis ſubacti deinde à Francis, tamen arrepta rurſus occaſione vindicarunt ſe ipſi in libertatem, ac regi cæperunt, uti ſupra diximus, ab indigenis patriæ ſuæ Dynaſtis.

Opida muris cincta numerat viginti duo (excepta Zutphania cum ſeptem ſuis civitatibus, quæ proprium Comitatum conſtituunt) Noviomagum, Ruræmundã, Zutphaniam, Arnhemium, primarias terræ hujus urbes; Hattemum, Elburgum, Hardervicum, Vada ſive Wageningia, Tila, Bommelia, Bronchorſtum, Doeſburgum Doetecomium, 'sHerenberga, Lochemium, Grolla Bredefortium, Geldria, Strala, Venlona, Wachtendonca & Herculanum. Sunt & alia quædam oppida, olim quidem muris circumdata, ſed hoc tempore variis belli & fortunæ caſibus, ſi non omnino, at magna tamen ex parte, ſpoliata, quæ quod mediocri etiam nunc conditione & loco ſint, iiſdem tamen privilegiis gaudent. Plus trecenti pagi ſunt turriti. Ordines hujus Ducatus tribus membris conſtant Baronibus ſive Dynaſtis, Nobilibus & primariis quatuor urbibus, de quibus ſingulis breviter diſſeremus.

Noviomagum, ut Gerardus Geldemhaurius oppidi hujus civis in Hiſtoria ſua Batavica primum ejus conditorem aſſerit Magum fuiſſe, potentiſſimum Gallorum regem & Ditis filium, qui de ſuo nomine Magum eam vocaverit, ſed veniſſe poſtea in has oras Batonem Cattorum Regem, qui & amœnitate ſitus & loci antiquitate delectatus, oppidum juſſerit inſtaurari & pomærium ejus proferri adeoque triplici mœnium ambitu circum vallari, atque ab hac inſtauratione Noviomagum appellaverit, voce idem prorſus valente *Nieu-magen* vel *Meghen*. Ipſe Geldenhaurius refert quod Betavos (quos ille Batovos vocat) hoc oppidum elegiſſe atque communi conſenſu pro urbe regia totiuſque terræ metropoli conſtituiſſe. Quemadmodum igitur hæc civitas ſimul imperii pes vocatur, propterea (ut quidam ſcribunt) quod Carolus Magnus eam conſtituit unam, è tribus in hiſce Provinciis Imperii ſedem: quarum primaria quidem Aquiſgrani, tertia vero Divoduri, ſive Theonis-villæ in terra Lucemburgenſi. Verum utcumque ſe res habeat, illud quidem ſatis conſtat, urbem eſſe perantiquam & adjacere ei Rheni fluminis alveo, qui Vahalis dicitur, vaſto inibi atque multum profundo; præterea pulcram, potentem, validam, ac non civibus minus, quam opibus affluentem. Quæ poſtquam parere cæpit genti Auſtriacæ, cives militiæ magis, quam pacis artibus prius intenti; Mercurio poſtea & Minervæ facti ſunt conſecranei. Primarium ejus templum Divo Stephano ſacrum, ex cujus cœmiterio annis aliquot retro lapis prægrandis effoſſus, cui vetuſtis admodum characteribus inſculpti ſunt hi verſiculi.

Anno milleno poſtquam ſalus eſt data ſeclo,
Centeno juncto, quinquageno quoque quinto:
Cæſar in orbe ſitus Fredericus pacis amicus,
Lapſum, confractum, vetus in nihil ante redactum
Arte, nitore pari reparavit opus Novimagi.
Iulius in primo tamen extitit ejus origo,
Impar pacifico reparatori Frederico.

Inter alia vero urbis ornamenta excellit potiſſimum antiquiſſima quædam & pulcherrima arx, monti inædificata & ſupra reliquam urbem præeminens, quam conditam aſſerunt ab Iulio Cæſare. Inventa ſunt in hac urbe & ſuburbano ejus tractu ante aliquot annos varia Veterum Romanorum monumenta, puta, nummi quamplurimi & ſumptuoſorum operum tumulorumque lapides; præſertim ad eam Vahalis ripam, in qua olim creduntur egiſſe ordinaria Romanorum præſidia: unde ipſe locus urbi pene contiguus, hodie Teutonico idiomate audit *Den Roomſchen voet*.

Gaudet Neomagum titulo vice Comitatus, eſtque feudum & oppidum Sacri Romani Imperii, cui, ſicut & cæteris liberis urbibus, monetæ pro arbitratu cudendæ jus eſt; unde nec appellatur iſtinc ad Cancellariam Gelriæ,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [49] - -
PUBLIC DOMAIN

riæ, ſed recta tenditur Aquiſgrani. Quare Aquiſgranum ſolenni quodam ritu & velut in agnitionem immunitatis quotannis chirothecam pipere plenam mittit, quod omne onus eſt quo Imperii cauſa gravatur. At nihil onimus Regi Hiſpaniæ quatenus Duci Gelriæ ſuumq; quoque in urbem Imperium ſuaque eſt juriſdictio. Quare hujus terræ Ordines cudi hic faciunt monetam, eadem, qua in cæteris urbibus ſuis mixtura, ejuſdemque formæ & pretii. Ad Noviomagum quod præcipuum Ducatus eſt oppidum pertinent imprimis Marchionatus Noviomagenſis, Tila atque Bommelia una cum inſula vulgo de *Bommelerweert* dicta, & Municipio Gentia vulgo *Gent*, conventus ſuperioris & inferioris Betaviæ vel Bataviæ vulgo *de Betuwe*. Poſtremo, quod Territorium inter amnenſe, id eſt, ager Moſam & Vahalim interjectus conjunctum fuit cum reliqua Principum Geldriæ ditione anno Chriſti 1248, idque hoc pacto contigit. Mutuaverat Otho ſecundus Gelriæ Dux Romanorum Regi Guilielmo marcas ſemel & vicies mille argenti puri, ea quidem conditione, ut niſi intra conſtitutum tempus reſtitueretur idipſum argentum, oppidum Noviomagum (uti ſupra quoq; retulimus) Othoni ac ditioni ejus accederet. Quod pactum amplioribus poſtea conditionibus approbavit Romanorum Rex Rudolphus, quoniam pecunia illa non fuit reddita, coaluit certis quibuſdam pactis Noviomagum cum hoc ipſo Ducatu.

Arnhemium apud Cornelium Tacitum alioſq; ſcriptores priſcos vocatur Arenacũ, oppidum dexteræ Rheni ripæ appoſitum, media fere leuca, ubi id flumen in duo cornua ſcinditur, Noviomago ſimul atque Doeſburgo pari duarum leucarum intervallo abjungitur. Splendet imprimis cum aliis publicis privatiſque ædificiis, tum ſacris præcipue. Opidum eſt amplum ac lautum. Templum habet D. Euſebio ſacrum. Hæc civitas quondam Geldriæ Ducum ſedes erat ordinaria; quin & fixum hic Cancellariæ domicilium Ducatus Geldriæ, à quo non dabatur, ſententia pronunciata, appellatio ſed ſolummodo reviſio; Inſtituit porro Philippus Rex Hiſpaniarum 11. in hac ipſa urbe anno 1559 etiam Cameram Rationũ, ad quam regios omnes per Geldriam atque Zutphaniam adminiſtros, ſive præturam ii, ſive quæſturam exercerent, adminiſtrationis ſuæ rationem referre oportebat, quæ conſtabat duobus rationum Magiſtris & uno Secretario. Hæc eſt quarti in Gelria quadrantis metropolis, ſub quo quadrante comprehenduntur (Zutphania quoq; adjecta) hæc oppida nempe Hattemium, Hardervicum, Wageninga atque Elburgum, quæ omnia continentur ea Geldriæ parte quæ vulgo *de Veluwe* appellatur. Eſt & alius juxta Arnhemium terræ tractus quem vernacule dicunt *de Veluwezoom*, ab altera quidem parte Zutphaniam; altera Wageningam uſque porrigitur, fœcundis admodum & pulcherrimis pratis paſcuiſque luxurians, quibus multa pecora paſcuntur.

Ruræmonda nomen ſumpſit ab oſtio fluminis Ruræ cui adjacet. Opidum eſt civibus frequens & divitiis admodum potens, tum ædificiis quoque concinna, & ſitu ac mœnibus valida. Templum habet Spiritui Sancto dedicatum & non ita pridem ab Romano Pontifice in Epiſcopalem dignitatem erectum, petente id Hiſpaniarum Rege. Eſt autem hæc civitas ſecunda Geldriæ Ducatus, ſpeciatim vero ſecundi ejus quadrantis metropolis, ſub quo comprehenduntur oppida minora; Venloa, Geldria, Strala, Wachtendonca & Herculanũ muris circumdata, una cum municipiis Montfortio, Echta & Neoſtadio, tum Keſſelia, Midlera, & Criekenbequio. Ager Ruræmondenſis fertiliſſimus eſt, propterea pecuarii paſſim dives. Hæc civitas uti & Venlo & Stralen ante duos aut tres annos obſeſſa captaque ab Auraſiorum Principe Henrico Frederico, ita ut totus quadrans ſuperior, Geldria excepta civitate, ſub regimine Ordinum Hollandiæ inclinat, quæ tamen hodie, ut credo, partim ab Hiſpanis iterum repetita ſunt,

Hattemium, ampla admodum & valida civitas eſt Iſalæ fluminis, ripæ finiſtræ contermina, ac duabus Elburgo leucis abjuncta.

Elburgum adjacet ſinui lacus Flevi vulgo *de Zuyderzee* diſtatque Hardervico duabus leucis.

Hardervicum ad eundem ſinum eſt poſitum. Quondam pagus, quem Anno 1229 Otto 11 Geldriæ comes in civitatem erexit muriſque firmavit. Hic Geldriæ Ducatus & Zutphaniæ Ordines ante paucos annos celebrem ſcholam inſtituerunt.

Wageninga, vetuſtiſſimum plane eſt oppidum, ſi idem cum eo ſit, quod Cornelius Tacitus Vadam appellat, parvum quidem, at validum.

Tiela dextræ Vahalis ripæ adpoſita, Bommelia leucis duabus abjungitur, eſt oppidũ ſane validum, cujus juriſdictio in territorium illud omne, quod ab oppidi nomine vocant vernacule de Tielerweerd, ſe extendit.

Bommelia ad eandem finiſtram Vahalis ripam viſitur, Bura duabus leucis abjuncta. Oppidum pulchrum, validum & totius Inſulæ, quam inter ſeſe efficiunt Rhenus & Moſa, metropolis. Quæ Inſula eadem eſt, (Guiciardino teſtante) quam Cæſar appellavit Inſulam Batavorum. Hic locus valde inclaruit bellis quæ inter nos & Hiſpanos geruntur, præſertim apparatu Admiralis Arragoniæ, quo hanc inſulam vincere moliebatur; verum impediebat Conatum Princeps Mauritius Auraſinus, qui poſtea S. Andreæ fortalitium in extrema Inſulæ ora poſitum, ætateque prædicti Admiralis exſtructum ad defenſionem utriuſq; Moſæ Vahaliſque, quos fluvios ſuis tormentis bellicis ſecuros reddere poterat cepit.

Geldria, ipſa eſt civitas, quæ univerſo Ducatui nomen fecit, valide ſatis munita, diſtat Strala leucis duabus minoribus. Situs ejus paludoſus eſt. Trans illam erat Trajectus Rhenoberga Geldriam uſq; & ab hac, Venloam; quem Marchio Spinola fodi curabat contra incurſiones noſtrorum militum.

Strala Wachtendonca diſtat ſeſquileucæ itinere, oppidum eſt parvum ſed validum, quod anno 1633. Henricus Princeps Auraſinus cepit.

Venlona ſita eſt ad dextram Moſæ ripam; oppidum ſane quam validum & bonum, quod quoq; eodem anno prædictus Princeps Auraſinus invaſit.

Wachtendonca imminet flumini Nerio vulgo *de Niers*, & Geldria duas circiter leucis abjungitur, denudata & neutri parti addicta eſt.

Herculanum vulgo *Erekelens* ſitum eſt in confiniis terræ Iuliacenſis, oppidum lautum ac Ruremonda quatuor leucis diſſitum, rebus paſcuis amœnum. Et hæc hactenus quidem de oppidis Geldriæ muro cinctis, quorum ſingula tum civibus ſatis denſa, tum & opibus copioſa. De non inclufis, quorum antea meminimus, propoſuimus longiorem deinceps ſermonem non inſtituere, verum hoc neceſſarium referre exiſtimavimus de Batonis Burgo (qui locus eſt vetuſtiſſimus,) quem omnium primus Bato à cujus nomine vocitatus hic loci exit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [50] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [51] - -

exit. Hac quidem relatione Geldriæ descriptionem finire voluimus, si non incidisset recordatio in mentem nostram antiqui Comitatus Burensis & Culenburgensis, qui quoque Geldria si non includantur, solummodo finiuntur; ideoque illos attingere æqui bonique fecimus:

Culenburgum Comitatus.

CULENBURGUM est quidem Geldriæ feudum, sed disputatur tamen an territorio ejus debeat accenseri. Adjacet lævo fluminis Leccæ margini, Buraque leucæ tantum itinere diffidet, estque oppidum luculentum & jurisdictione latis sane conspicuum ita quidem, ut, faciente Philippo Hispaniarum Rege ad Comitatus fastigium surrexerit. Magnis gaudet immunitatibus & privilegiis.

Bura Comitat.

Bura neque Geldriæ feudum est, neque (ut quidam volunt) territorio ejus includitur, sed peculiaris quædam & distincta est ditio, etsi Geldriæ tamen confinis. Sita civitas est non procul ab Linga flumine, ad exiguum illum torrentem, quem vulgo *de Molegracht* id est, fossam Molarum appellant. Præ grandi leuca Tiela diffidet, oppidum prorsus mediocre & munitissima quadam arce prævalidū, quæ arx 1360. pas. in ambitu continet, quatuor turribus ornata tripilicique fossa circumdata. Fastigium quoque Comitatus jactat, cui pagi complures subiiciuntur. Hodie sibi arrogat hunc & titulum & Comitatum Fredericus Henricus Princeps Aurasinus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [52] - -
PUBLIC DOMAIN

FOSSA S. MARIÆ

Quæ &

EUGENIANA

Dicta, Rhenum Mosamque inter

Duci cæpta anno 1628.

Stupenda aliquot veterum effossiones.



NTer miranda ac Stupenda veterum opera, maxime offerri solet, Athos Mons, factus à Xerxe navigabilis; Isthmon Peloponnesiatus à multis perfodi cæpcus nec absolutus; Alpes ab Hannibale aceto divisæ; Lucrinus Lacus undecim annis à triginta hominum millibus exsiccatus; Lucilliana villa, in quam, excisо monte Euripus admittebatur. In Belgio hoc nostro magni atque immensi operis Fossas olim duxere Romani. Ecce tibi Fossam Drusianam, quæ autore Druso Germanico, Rhenum cum Nabalia (jam Isala dicitur) passibus x mille à pago Iseloort, Duysburgum usque. En alteram illam Corbulonis, quam inter Rhenum Mosamque spatio XXIII millia passum, uti est apud Tacitum Annalium 2 pro duxit, qua incerta Oceani vitarentur. Celebris quoq; est Fossa Civilis, inquam Rhenum affudit, uti hac ratione duplex vallum, sive duplicem fossam adversus Galliæ Continentem unde Romanorum olim atque arma metuebat, haberet, & vahalem scilicet, hunc novum Rheni alveum. At hoc nostro tempore simile quiddam molita fuit Archidux Isabella, quæ ingenti spatio, fossam ducere aggressa est, ut Mosam cum Rheno committeret, idq; eo loco, ubi Rhenus adhuc unus est, Venloam ac Berckam inter, per Gelriæ & Colonienſis Territorii agros. Et spes erat, si hactenus bene procederet negotium, eam ipsam fossam è Mosa in Demeram, & ex hoc in Scaldim usq; ducendi, ut ferrum, æs, ligna & quæ alia Germanicum fert solum, Batavorum commodis intercepta, in Brabantiam navigarent. Eadem limes interjiciebatur, ne Batavorum eques ut ante hac sæpe Belgarum extrema quateret, quin & Germaniæ agros cis Rhenū sitos in pabulum prædamq; verteret. Admonuerat & Mansfeldii transitus, quibus Bergarū ad Zomā obsidiū grave, intercisis jam commeatibus, nondum tamen, ut desperaretur, abrumpere coëgerat; ac non ita dudum paria consilia apud Gallos & Britannos sermonibus jactata, præcludendum externis ad hostem auxiliis saltem terrestre iter. Nam quod rumores addiderant posse ex Rheno, ubi nondum bicornis est, aquas in Mosam deduci, ac sic flumina, in quæ ille se dividit, præcipua Batavorum munimenta, vadis pervia fieri, situs locorum mire inæqualis adeo refellit, ut ad implendam fossam aqua ex Nersia paulum absito amne, & quicquid circum humescit colligi, tribusque septis retineri adversus siccitatem debuerit.

In Belgio

Fossa Eugeniana.

Locus.

Finis Fossæ.

Operi tanto se accingere cæpere Hispanienses vigesimo primo Septembris, anno M. DC. XXVI, ducta fossa quatuordecim pedes lata & pari altitudine, longa miliaria horaria decem. Ad tutelam vero & securitatem operantium exstructa castella minora XXIV, præter alios receptus, minorisque molis turres. Et quidem Comes Herenbergensis omnium primus, nomine Potentissimi Hispaniarum Regis, ut & Sereniſſimæ Belgarū Principis Isabellæ, & Marchionis Spinolæ, ter pala terram egessit, maximisque cæptis prælusit, cui ordine successit Comes Isenburgicus, & reliqui post Copiarum præfecti, militumque gregariorum turba. Federati Princepsq; Auranſiæ hoc maxime suæ curæ esse arbitrati ut opus cæptum interpellarent, mense Iunio anni sequentis, convocato ex limitaneis locis, Arnhemo puta, Duysburgo, Zutphania, Daventria, Swolla, Gravia, Heusda, Gertrudisberga, Bergopzomio, equite, nec non quadringentis & ultra sclopetariis, Legiones aliquot in agro Neomagensi coëgerunt sub moderamine Stakenbroecky. Quæ commeatu aliquot diebus instructi & tormentis minoribus quatuor, non segni itinere Fossæ locum petiere, alteroque insultu Castellum majus occupaverunt, trucidatis quadraginta, captisque centum præsidiariis militibus, dirutis hic illic cataractis, molis aquariis, subversisq; aggeribus, exustis lignis, stipitibusque ad opus illud necessariis, abducentes quoq; tormentum æneum Mansfeldio ab hoste ereptum, quin & subrutis aliquot receptuum castellis, domum reversæ sunt, contentæ documentum dedisse infeliciter à hoste cæpti moliminis. Nec tamen hac rerum suarum calamitate & minus felicibus auspiciis deterriti Hispanienses ab opere destitere, verum novis animis redintegrarunt opus, cui jam fossorum tria millia aut amplius adhibebantur. Quare Ordines affixo passim per agros Gelriæ edicto summa incommoda denunciarunt, quotquot operam suam ad istam rem conferrent, militumq; arbitrio operantes omnes permiserunt. Quas minas veluti, terriculamenta nihil illi morati perrexere. Sub finem mensis Iunii eo venere lustratum operas ipsa Archidux Isabella, Cardinalis de Queva, & Marchio Spinola comitantibus equitum turmis triginta & sclopetariis bis mille. Mense Augusto centurio Wolfius, collectis hinc inde sclopetariis mille, impetum fecit in Castellum regium, & interfectis quotquot se dedere nollent, injectoque in tuguria igne, abductis captivis quadraginta & tormentis bellicis duobus, altera jam vice triumphabundi abiere. Intermissis aliquamdiu operis iterum, easdem repetere cæperunt Berckam Gelramque inter, mense Ianuario, anno 1628. Iamq; eo perducta erat Fossa, ut aliquem sui usum promittere videretur. Quamobrem tertio turbatus labor ab incursante Ordinum equitatum. Ex eo, & Præcipue post captam Vesaliam & in ulteriori Rheni ripa Burichium, cum nostrorum excursionibus pateret Fossa, intermissus labor, irritusq; magna molientium conatus in fumum abiit, ut jam & hic Belgæ Isthmum perfodere voluisse, veteri proverbio dici possint. Dicta autem fossa ista fuit EUGENIA, quia ISABELLAE EUGENIAE auspiciis res cœpta. Et ne numen abesset grandi in cepto, appellata alio nomine Fossa Sanctæ Mariæ.

Initia operū aliquoties ab Ordinibus turbata.

Cum autem Fossa hæc tres urbes exhibeat vicinas, quarum duæ illam terminant Berka & Venloa, una





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [54] - -

media est Gelra, non absre visum fuit, pauci eas attingere.

Bercka. *Bercka* in Ripa Rheni Gallica sita est, oppidum non magnitudine sua, sed belli studiis clarum; quippe modo Hispanis, modo Ordinibus Federatis parere cogitur & exercitus obsidionemque utriusque partis perfert, fama Belli Belgici passim inclaruit.

Gelria. *Gelria* mediocre quoque sed valida satis. munitum opidum, universo Ducatui nomen fecit, Distat Strala leucis duabus minoribus. Hinc oriundus fuit Gerardus Matthisius vir doctrina clarissimus, ac magnus Aristotelicus; Fuit ibidem & Guilielmus Veldius, Ordinis Divi Augustini eruditus ac venerabilis vir, ut ex variis ejus scriptis hodieque exstantibus constat, quem tamen Trithemius vult fuisse Venloniensem.

Venloa. *Venloa* sita est ad dextram Mosæ ripam & Strala sesquileuca tantum abjuncta, oppidum adversus bellicos insultus probe munitum. In hoc 1543 dedidit se Carolo V. Imperatori Cliviæ & Juliaci Dux Ioannes Guilielmus, subsecuta inter utrumque pactione. Anno 1632 in potestatem Ordinum Fœderatorum venit, ductu Frederici Henrici Arausionensium Principis, &c.

Vrbes Vicinæ. Nec longe à Fossa occurrunt *Strala* & *Wachtendoncka*. Hæc à nostris aliquando stratagemate capta, jam denno Juris Hispaniensis. Imminet fluvio Nierfiæ vulgo *de Niers*. Etiam Meursa occurrit Comitatus titulo insignitum oppidum munimine maxime clarum. Vixit hic per annos triginta & ultra virgo quasi, celebris *Anna Vlieg* dicta, quæ tot annorum inædiam credebatur tulisse & absque nutritione vitam incolomis, licet macilentior, traxisse. Verum cum morbo longiore lecto affigeretur jamque cibũ poscere, nec egesta abscondere posset, deprehensum illam hactenus non solum patriæ suæ civibus Comitibusque Meursiæ, verum etiam toti Orbi imposuisse, cui jam persuasum erat, miraculo rem tantã accidisse. In carcerem compacta à Magistratu fuit, moxque iterum dimissa, quod muliebris fraus ac impostura venia digna judicaretur. Urbs, Comitatisq; dominium jam ad Nassovios spectat, & quidem in præsentiarum ad Fredericum Henricum Principem Auriacum.

Fraus mulieris detecta.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [55] - -
PUBLIC DOMAIN

FLANDRIA
COMITATUS.

Nominis ratio.

QUamvis FLANDRIAE nomen admodum recens sit, nihilominus certa vocis origo ignoratur. Archiva Cœnobii Benedictini Aldenburgici ab æstuante ventosoque mari, ventisque in objectas olim Sylvas (fuit enim nemorosa valde) *Flantibus* sic dictum arbitrantur, maxima sane probabilitate, & Nannius a *Flendern* deducunt: qua voce Germani sagittas denotant, quod in bellis arcubus ac sagittis pugnaretur. Mejerus a *Vlaemen*, quas lingua Flandrica placentas vocant, quarum speciem referunt loca quædam Flandriæ cœnosa, plana, stagnantia & relucentia; vel quasi *Vol-laenen*, id est, locis paluſtribus elicibusque procellosi maris, sive latos olim campos occupantibus, sive tenuiores alveos efficientibus. Quibusdam placet *Vlanderen* dici, quasi *Vele-anderen*, ut *Allemanniam* ab *Alleman*, ob populorum exterorum in eam confluxum; nam & Nortmanni, Cimbrique in Galliis & hac regione sæpius grassati sunt. Pagi *Sueveghemum* & *Sueveſela*, *Suevor: Caſſela*, *Catsberga*, Cathemum, Cattos innuunt, *Gothenum* Gothos. Flandrici vero littoris (quod adhuc a nautis *Ruthen* vocatur) vetustissimi accolæ, *Rutheni* erant, *Saxoneſque* unde *Saſſum*, statio Gandensium maritima. Et Batavos Cattorum sobolem non minus huc ingressos, quam Hollandiæ Gelriæque magnam partem possedisse & Gothos Gallias peragrasse ac insedisse, ex Tacito Eutropioque pervulgatum est.

Fines.

Aliter hujus regionis limites olim; aliter nunc diffiniti sunt. Hodiernæ Flandriæ termini sunt a Septentrione quidem majori ex parte Oceanus; cætera alluente Scaldis brachio, quod vulgo *den Hont* vocant; a Meridie vero contermina est Artesiæ, Hannoniæ & Veromanduis Picardiæ populis; ab Ortu partim est Scaldis, partim eadem illa Hannonia; ab Occasu denique partim idem Oceanus, qua Britanniam adspicit; partim Agino fluvius, vulgo dictus *de Ha*, cum Artesiæ parte quæ Calitium & Bononiam spectat.

Populi veteres.

Sedes olim fuit Morinorum, Nerviorum, Menapiorum, Oromansacorum. Morini in eo littoris tractu fuere, in quo Bolonia, Calisium, Portus Iocius Iulii Cæsaris, Gesforiacum, Gravelinga, Burburgus, Duynkerka, Winnociberga & Neoportus. Ab illis Morinorum terminis in Orientem Meridiemque cis & ultra Scaldim, Nervii porrigebantur. Eorum cis Scaldim Clientes Cæsar recenset, Centrones, Grudios, Levacos, Pleumosios & Gordunos.

Soli præstantia.

Solum magna ex parte planum est, in quo pauciſſimos invenias montes, sationi & agriculturæ in genere quidem satis idoneum ac mediocriter fertile; alibi vero & præsertim versus maritima Galliamque raræ cujusdam fœcunditatis. Cœlum plerisque partibus temperatum; clementissimum autem & saluberrimum versus austrum Equos gignit indolis optimæ & generosioris, quos non tantum agilitas, sed etiam forma commendat. Tralatitiũ Flandris, coëmere in provinciis circumvicinis quamplurimos equos novellos, quos etsi natura forte deformes & nanos, statim tamen cœlo & pascuis istis assueverunt, ut pulchrescere videas & mirum in modum grandescere. Unde facile colligas, quantum non modo in homine, sed in pecude quoque possit vel recta vel prava educatio.

Flumina.

Interluitur Scaldi, Lisa & Tenera fluviis, tum & plurimis velut minorum gentium amnibus rivulisque. Multa nemora habet, inter quæ præcipua *Niepa* & *Noma*. Omnes Belgii Provincias urbium ac oppidorum numero superat; habet enim oppida partim muris cincta, partim illis destituta 62, pagos 1154. Inter urbes excellunt Gandavum, Brugæ & Iperę, tum Insulæ, Duacum, Tornacum & aliæ. Oppida muris cincta numerantur 28. Præter hæc supra triginta sunt municipia, quæ etsi mœnibus hodie carent, quia tamen partim olim iis circumdata, satisque etiamnunc opulenta & populosa, pari cum urbibus muro clausis jure, paribusque immunitatibus gaudent. Inter pagos multi sunt adeo ampli & opulenti, ut Europæis nullis cedant. Habet plurimas arces, prætoria, toparchias & cœnobia, quæ Abbatias vulgo indigitant. Vicecomitatus antiqui quinque numerantur, Gandavensis, Iperensis, Vurnanus, Winocibergensis & Harlebecanus. Habet tres Principatus Stenhusium, Graverenum, Espinojum. Portus quinque, Slusanum, Neoportuensem, Duynkerkanum, Oostendam & Gravelingam.

Urbes. *Oppida.* *Pagi.* *Arces.*

Populorum laus & indoles.

Populus Flandrorum, vernacule *Vlamingorum*, moribus est ex Germanica gravitate & Gallica agilitate temperatis, nec patiens absolutæ libertatis, nec rigidæ servitutis. Ædificiis studet commodis & elegantibus; vestibus, supellectile, victu sumptuosus, manu promptu & bellicosus, nisi opibus luxuque enervaretur. Pictura, sculptura, agricultura, ceterisque artibus, necnon rhytmicorum per homæoptota Flandrice cadentium, argutia ac Musicorum acri dulcique norma efflorescit. Clara est gens mercimoniis domi forisq; equorum, boum, butyri, alecũ telarumq; partim linearum varietate, candore, subtilitate & quasi flosculis internatis; partim Xylinarum, quas Arabes bombaxinas vocant, diversimodis textrinis; partim laneorum pannorum textura tincturaque; aulæorum denique, tapetiumque artificiis. Ex lini & rapi seminibus nucibusque juglandibus, oleum extundunt. Sal crudum, pullum, asperumque ex Gallia Hispaniaq; advectum, in exquisitissimum condorem amplis sartaginibus excoquere norunt. Viri sunt statura decora, vultu vivido, ingeniisque omnis disciplinæ scientiæque capacibus: aperti pectoris, irasci faciles, tamen ut placabiles cito sint: jactabundi adhæc & hyperbolici: poculis supra modum dediti. Vina aliunde accipiunt. Ad vini imitationem conficiunt hydromel, ex melle & aqua coctum. Feminæ pari fere colloquiorum virilium familiaritate atque pudicitia, formę, sermonis, amictusque suavitate, æconomiæ procuratione, solertiq; labore commendantur; nam aut pensa trahunt, aut rotula versatili in cannas fila agglomerant, aut pepla spectabili arte consuunt, exornantque; aut lineas vestes ad Solem, undarum aspergine, candore inficiunt; aut lactis premendi studia sectantur. Literarum formandarum, rationumque subducendarum, præsertim in oppidis, non imperitæ. Flandri si crus fregerint, se felices clamitant, quod salva cervice evaserint; ac universim, si quid incommodi ex improviso accidat, solantur se, quod durius non affligantur. Auctiones, hoc est, publicæ rerum privatarum venditiones alię, auctore, præsente que judice fiunt, aliæ non item. Sed hæ ordinariam solummodo actionem; illæ paratam executionem habent.

Fœminarũ elogium.

Leges.

Leges Flandrorum fere municipales sunt, & cuique oppido aut Castellaniæ propriæ, tam in judiciis, quam in familiis herciscundis; & ubi illę desunt, Iustinianæis utuntur. Peculiare hic est, quod ad imitationem Senatusconsulti Orphitani *Nullus ex matre nothus prohibetur*, hoc est: Nemo ob illegitimos natales materna hæreditate privatur. Unde ne illustrioris quidem feminæ concubinę liberos Flandrię leges eximunt, nisi illis statutum a Principe sancitum deroget. Testamento supra tertiam bonorum, quibus Feuda continentur, partem legare Flandriæ leges prohibent, exterisque ad Magistratus hic

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [56] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [57] - -

Flandria Comitatus.

gerendos acceſſum ex Caroli V Cæſaris anno 1555 ſanctione, præcludunt, illis nimirum, qui a ſe Flandros excludunt. Utuntur jure ſiſtendi, manuſq; injectione, tam in perſonas, quam bona eorum, qui cives non ſunt, incipiuntque contra juris civilis præſcriptum, ab executione, quod mercatorum peregre venientium commodo introductum eſt. Peregrinis licet in Flandria adire hæreditatem conſanguineorum, quod in Galliis, Anglia, Scotiaque illis nefas eſt, ubi Principes, quo jure, quaque injuria Albinagii, morientium ab inteſtato, nulliſque ibi literis relictis, exterorum bona occupant.

Diviſio Flandriæ. Flandria poſt avulſam Arteſiam in tres partes manſit diſtincta, quarum præcipua Gallico ſceptro ſubjecta proprie dicebatur Comitatus; quo nomine Flander primus Comitum audiebat, cenſebaturq; inter Franciæ Pares, enſem Regi inaugurando preferens; ſed ceſſavit hæc conſuetudo, & cum eo Gallorum in Flandriam jura, capto ad Ticinum Rege Franciſco primo. Altera dependebat a ſacro Imperio Romano, & dicebatur Dominium Flandriæ. Tertia denique celebrabatur vocabulo Proprii, nec ſuperiorem ullam agnoſcebat poteſtatem, ſed a Comite regebatur jure Optimo, Maximo.

Imperavit apud Flandros primo ſtirps Foreſtiorum; *Imperium majorum.* Deinde Alſatiorum, tertio Borboniorum ſtirpis Arcembaldicæ; quarto Burgundionum, ſtirpis Capeticæ; quinto Auſtriacorum, ſtirpis Habsburgicæ. De hujus regionis excellentia & vigore tam populorum quam rerum aliarum hoc hexametron extat:

FLANDRIA *flos florum florebit Flandria* FLORENS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [58] - -

DUYNKERKA.

HÆc Flandriæ urbs nomen ſibi acquiſivit ab Abbatia *Dunen* quę uno lapide & amplius iſtinc diſtat; nec non à templi turri excelſa graduum 273 e cocto latere, exqua candicantes Angliæ ſive Albionis circa Doveram montes cælo ſereno clare conſpiciuntur, *Dunen* à *Duynen* nomen habet, hoc eſt à collibus littoris arenoſis, quos Græci θῖνας appellant. Condita primum, creditur à Comite Balduino, Arnulphi filio. Diſtat autem Gravelinga tribus, Caleto ſex, Neoporto quinq; Brugis duodecim leucis. Non parum oblectat tranſeuntes nitor & ordo platearum; in primis templi altare amplum & ſumptuoſum, ex marmore variegato, lapide Lydio & albaſtrite in altum ſurgens, impendio plus quam viginti millium florenorum, tantoq; ſplendore, ut adſpiret ad faſtigium admirationis. Eſt hic cænobium Franciſcanorum utriuſque ſexus. De cætero oppidum non valde munitum eſt, quippe incumbentibus undique arenoſis collibus varii rivuli ſabulum ſecum trahentes loum circumfluunt & portum navium majorum, quæ recedente æſtu plerumque in ſicco deſtituuntur, minime patientem efficiunt. Carolus V. anno 1535 propugnaculum & præſidium ibi locavit. Auxit illud nuperis annis Ambroſius Spinola, nova arce in ipſo littore exſtructa. Non raro militem extraneum habuit hoſtem; ſiquidem Gallorum archiſtrategus Termeſius cum exercitu ſuo anno CIↃ IↃ LVIII. urbi appropinquans, & de placida deditione cum oppidanis deliberans, militem quaquaverſum in eam impulit, nec deprædandam modo, ſed & deſtruendam ac comburendam permiſit. Termeſio ſucceſsit Chamoſius, qui anno M.D.LXXXIII, nomine Ducis Andini legionem iſtic ſuam in præſidio habens, rixa de induſtria exitata ob prædam à nautis præſidiariis acceptam, arma contra oppidanos cepit, nonnulliſque trucidatis, præſidiiſque Belgicis ejectis, oppidum ſibi ſubegit. Qui tamen non multo poſt copiis Ducis Parmenſis obſeſſus, & ad extremum neceſsitate victus, cum nulla ulterius auxilii affulgeret ſpes, cum eodem Parmenſi de deditione tranſegit ea conditione, ut ipſe cum ſuis vita ſalva gladiis tantum accinctis, urbe exiret.

Quo tempore magnam & terribilem illam Britannis & Belgis claſſem adornavit, Philippus II Hiſpaniarum Rex, in hoc portu Duynkerkano claſſem minorum navium & myoparonum cum milite multo habuit Parmenſis, ut claſſi ſubveniret, vireſque ſuas conjungeret. Verum Fœderati Ordines navibus bellicis portum obſederunt & navium egreſſum feliciſsimo ſucceſſu, prudentiſsimoque conſilio impediverunt. Mauritius Auranſiorum Princeps exercit⁹ Fœderatorum Ordinum Gubernator anno M.D.XC. oppidum noctu ſcalis admotis invadere animum habuit, ſed vento adverſo moram injiciente apertum fuit ſtratagema nec ſucceſſum habuit. Famam habet non tam à captura halecum, mercatu & teloniorum per univerſam Flandriam immunitate, quam à crebris præſidiariorum piraticorum excurſionibus in Hollandos & Zeelandos quorum præda & Spoliis diteſcũt. Quanquam enim, durante bello Belgico, mercatoribus Hollandis nonnihil infeſti fuerunt, crebræque naves tum piratarum à Batavis, tum Batavorum a piratis captæ; tamen paucis retro annis invaluerunt, Batavorum ex parte incuria & negligentia, quibus res maris commiſſa hic illic fuerant. Acceſsit, quod naves illic bellicas Spinola regiis ſumptibus adornari juſſerit. At præcipua mali cauſa eſt, objectus à natura littori pulvillus, ſive arenarum cumulus dorſumque, inter quod & littus ipſũ tutiſsima eſt piraticis navibus ſtatio, quas tutas illic præſtat à maris fluctibus prædictus pulvillus, & ab alia, continentis nempe, parte propugnaculum in littore exſtructum, quo naves Batavorum arcentur, ne invadere hoſtiles poſsint. Vocatur iſta ſtatio 't Scheurtjen, fatalis mercatoribus locus, è quo tanquam è latibulo ſuo prodeunt & in quem onuſtæ opimis ſpoliis naves revertuntur, fruſtra excubias agentibus navibus bellicis Batavorum. Hanc veluti minorem aliquam Carthaginẽ Batavis objecit Deus ne nimio rerum ſucceſſu factus inſolentior mercator humilitatem modeſtiamque dediſceret. Impune jam in Batavos, graſſantur & quibus ante captis crux parata erat, mutua captivorum redemptione evadunt.

t



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [60] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [61] - -
PUBLIC DOMAIN

FLANDRIA OCCIDENTALIS.

Termini. FLANDRIA Occidentalis Limites à Septentrione habet littora maris Flandrici; ab Occidente Galliæ & Arteſiæ partem; ab Oriente Flandriam Orientalem; & à Meridie Flandriam Gallicanam. Qua parte litoralis eſt, & Oceano objicitur, Duynkerckam & Grevelingam intuetur, in Mediterraneis urbes ſunt, oppida & pagi nobiliores *Ypra*, *Wynociberga*, *Furna*, *Borburgum*, *Caſletum*, *Meſena*, aliaque loca.

Duynkercka. *Duynkercka* condita eſt circa annum D CCCC LXVII, à Comite Balduino, Arnulphi filio; diſtat Gravelinga tribus & Caletio ſex, Neoportu vero quinque, Brugis duodecim leucis. A templo *Dunorum* qui arenacei colles vocantur nomen acquiſivit, portum habet faucibus anguſtis & objectis pulvillis ceu areolis, navibus formidoloſum. Celebris hodie eſt urbs navalibus præliis quæ in Federatorum naves Galliam, Angliam ac mare Mediterraneum, etiam Septentrionalem regionem petentes exercet. Templum habet edita turri inſigne, ex qua candicantes Angliæ circa Douvram montes, cœlo ſereno clare conſpiciuntur; tum altare amplum, altum, ex marmore variegato, lapide Lydio & alabaſtrite conſtructum. Eſt & hic cœnobium Franciſcanum ſexus utriuſvis, Xenodochiumque. In ipſo littore arcem proximis annis exſtruxit Archidux ad tutelam navium, quæ littora inter & maris brevia, ſtationem fidam ac ſecuram inveniunt. Portum obſidere ſolent navibus pluribus bellicis Federati Hollandiæ, ut hoſtilium navium excurſum impedirent, ſed irrito hactenus conatu, Duynkerkanis nocte intempeſta ac interluniorum tempore, ac ventorum captata oportunitate elabentibus. Quare ſola Zelandorum ac Batavorum miſeria ac damnis creſcit vigetque, & naves plurimas indies intercipit & jure belli ſibi vendicat.

Opera publica.

Gravelinga. *Gravelinga* mari imminet adjacetque flumini Agnionæ medio fere itinere Caletum & Duynkerckam, fuit olim urbs quantivis precii & portu ampliſſimo famoſa, ſed deſtructa non ſemel dirutaque à Normannis. Condita creditur à Theodorico Alſatio circa annum M CLX in pago D. Willebrordi firmataque à Carolo V, anno M D XXVIII arce valida & Flandriæ impendio propugnaculis perpetuoque præſidio munita. Portum jam habet anguſtum prolixumque, in quem Agniona fluvius oppidum fere lambens exoneratur vulgo *Aa*, aliis *Romera*, qui in pago Rumillio agri Bolonienſis tenuiter ortus per Ureſecum, Faſquumque repens perluit foſſas arcis Rentiæ, & Falcobergam, ſemperque torrentium ſocietate augeſcens & Arkas Santomerumque ingrediens in mare ad Gravelingam exit. Auxit hujus loci celebritatem inſignis conflictus anno M D LVIII, quo Thermus Galliæ Marſchalcus exercituſque Legatus, auſpiciis Philippi potentiſſimi Regis, diligentia & fortitudine Lamoralli Egmondani Comitis victus captuſque fuit. Diſtat Duynkercka & Caletio pari fere trium leucarum ſpacio, ab Aloſto plus quam triginta miliaribus.

Ipera. *Ipera*, ex quorundam ſcriptorum ſententia, nomen ſumpſerunt ab Hyperboro celebri quodam militum duce ex Anglia oriundo, ſed rectius ii cenſent, qui ab Iperi flumine urbem interluente nomen profectum exiſtimant. Primus oppidi conditor, ut tradit Maſſæus, Balduinus fuit Arnulphi Comitis filius circa annum ſalutis D CCCC LX. Diſſidet Brugis novem, Gandavo fere circiter tredecim leucis, eſtque oppidum non tam mœnibus aliiſve ab arte munitionibus quam ſitu & loco firmiſſimum, ut quod non una de cauſa caſtris locandis ſit iniquum & ægre queat obſideri, cetera lautum, pulchrum & amœnum & ſic ſatis opulentum, ædificia ejus utrumque proba, etſi ob lignea frontiſpicia parum ſplendida. Templa cœnobiaque habet veneranda & primarium quidem D. Martino ſacrum, ac deſtinatum Cathedræ Epiſcopali. Iactatur vulgo fundum hujus oppidi eſſe ex plumbo, idque ob multitudinem inibi tuborum, ſeu fiſtularum plumbo ductilium, fluvialibus, aliiſque aquis per ſingulas fere domos & oportuna quæque urbis loca diſpenſandis. Forum quod vulgo vocant *de Heereplaetſe*, Iperis longe ampliſſimum ac mirabile, ita ut nulli in Belgio, foro cedat. In eo ſunt *Halæ* quas vocant, id eſt, receptaculum illud lanificum, vetus ſane & pulchrum ædificium. Texitur *Iperis* ingens vis pannorum ex lana, item ſubſerica vulgo *Saje* & *Sajettæ* aliæque id genus merces, unde vigent hic non parum mercimonia & præſertim in anniverſario illo & quadrageſimali urbis mercatu. Præter ſolemne & ordinarium Magiſtratus urbani tribunal, eſt & illud quod *Curiam Iperenſem* vulgo *de Sale van Iperen* vocant, cujus juriſdictionem agnoſcunt ſeptem *Caſtellaniæ*, quarum unica illa, quam Caſſenam appellant, quatuor & viginti, ut minimum, ſub ſe habet fora, ſeu conventus juridicos. *Iperæ* tertium Flandriæ membrum conſtituunt & Vicecomitatus dignitate illuſtres ſunt. Magna eſt hujus urbis juriſdictio magnumque imperium. Ager ei circumjectus totius Flandriæ Teutonicę præſtantiſſimus fertiliſſimuſque. Incolę denique probi, civiles & pacis magis, quam belli amantes.

Winociberga, ſive Berga S. Winoci, nomen habet à prænobili quodam cœnobio, in honorem D. Winoci Angli, apud iſtos defuncti, à Balduino Barbato, vel ut alii volunt, Balduino Inſulano, in monte quodam exſtructo & in oppidum tandem converſo. Diſtat Duynkercka uno miliari, Iperis vero ſeptem miliarium intervallo. Habet Vicecomitatum & Caſtellaniam, ut vocant, plurimis pagis imperantem: ager oppido circumjectus mirifice fertilis. Texuntur & hic multi ſatis panni; verum vaſtata bellis Flandria, hæc opificia una cum opificibus magnam partem in Hollandiam tranſmigravere. Anno M D LVIII mirifice afflicta fuit, Gallis eam deprædantibus & exurentibus. Celebris eſt Burggraviatu annuis menſe Octobri nundinis frequentatiſſimis, illuſtrique olim ingreſſu & conventu Eduardi tertii Anglorum regis, ejusque uxoris ac filiæ Iſabellæ, anno M CCC XLVI, ubi hanc Ludovico Molano ambitioſe, ſed fruſtra deſpondit. Aperuere hic ludum literarium maximamque lucubrationum ſuarum partem hic compoſuere viri doctiſſimi, Joannes Deſpauterius, Paulus Leopardus, Petrus Curius editis doctrinæ monumentis noti. Caſtellaniæ ejus fecunda eſt, pecoris, butyrique ſapidiſſimi, frugum arborumque tam pomiferarum, quam lignationi aptarum copioſa parens. Pagos continet triginta ſex, inter eos *Houtkerkam*, *Wormhoutum*, *Herzelam cum Eccleſbeka*, *Honſchota*, *Pitgamoque*. Inter *Vxemum* & *Houthemum* pagos, lacus eſt ab æſtu maris natus, quem *Mouram* vocant, qui in magnum & parvum diſtinguitur, ac ſeptem miliaria in ambitu complexus piſcium eſt copioſiſſimus.

Winoci-berga.

Pagi.

Furna. *Furna* diſtat Duynkercka quatuor, Dixmuda tribus leucis, oppidum ſatis concinnum & Vicecomitatus dignitate



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [63] - -

gnitate conſpicuum, perluitur aquagio ab Oriente in Occidentem, turribus ac repagulis clatratis aditum exitumque hinc inde tuentibus, cui ædes aſſident cum conclavi, quod Delphini dicitur, in quibus Rex Ludovicus undecimus, cum Delphinatium adhuc Princeps apud Philippum Bonum aleretur, vixit.

Burburgū. *Burburgum*, Gravelinga unius miliaris ſpacio abit. Oppidulum ſane amœnum in ditione Ducis Vindocinenſis. A Gallis aliquando rapinis, cæde, flammis vaſtatum fuit, poſtea reſtauratum. Ejus Caſtellania pagos quatuordecim continet, in iiſque *Cranewicum*, *Loonum*, *Drinchamum*, *Holkis*. Quod vero oppidum Flandri *Caſſele*, Latine ſcribentes *Caſletum* vocant, id antiquis fuit dictum Caſtellum. Inſidet autem prærálto monti, Winociberga, Morinoque pari fere quatuor leucarum intervallo abjungitur. Fuit olim & ipſum oppidum valde potens, ſed ut rerum eunt vices, in graviſſimas ſæpe calamitates incidit, ut prorſus vilis ac humilis ejus fuerit condito. A Gallis direptum anno CIↃ CCC XXIX, & CIↃ CCC LXXXV, poſtea ab incolis fuit inſtauratum ita tamen, ut ruinæ murorum veterem miſeriam ac fortunam teſtentur. Caſtellania ejus pagos quinquaginta duos comprehendit, in quibus cenſentur *Haveſkerka*, *Watenum*, *Steenvorda*, *Mourbeca* & *Runſchura*, *Noortberkina*, *Pleßietum*, *Vletera*, *Peena*, *Bolleſela*.

Meßina. *Meßina* Iperis & Bella æquali duarum leucarum intervallo abjungitur, opidum ſatis lautum, lanificii ſtudiis victitans, optimo ampliſſimoque fœminarum cœnobio nobile, cujus Antiſtes femina, temporali & Eccleſiaſtica fungitur poteſtate. Nominis originem ex antiqua traditione referunt ad tres puellas, quas vernacule *Meiſjen* nuncupamus, eximia pietate & caſtimonia ibidem celebres, ſub Balduino Lilano. Huic natales debet Iacobus Cruquius literarum humaniorum Brugæ profeſſor, qui Commentarios in Horatium ſcripſit.

Menena. *Menena* eſt ad flumen Liſam, urbecula ſane mediocris, foſſa, & verſatili contra ſubitos hoſtium incurſus ponte firmata, imo & extra ordinem poſtea validis propugnaculis munita. Confici & hic ſolebant plurimi variorum generum panni, qui in varias Europæ partes diſtrahebantur.

Hondiſcota. *Hondiſcota* triangulari aſpectu intuetur Winociber-gam, Vurnam & Loam, quibus omnibus pari fere duorum miliarium ſpacio diſſidet.

Mardica. *Mardica* eſt locus maritimus, medio inter Duynkerckam & Gravelingam itinere.

Poperinga. *Poperinga* Iperis quidem duobus, Caſleto vero tribus leucis abjungitur.

Bella. *Bella* diſtat Poperinga duarum, Iperis trium leucarum itinere, ubi natus Mejerus hiſtoriographus Flandriæ.

Cominium. *Cominium* adſidet Liſæ, pagus arce ſatis egregia conſpicuus.

Viroviacum. *Viroviacum* Flandrice *Warwyck* medio eſt inter Meſſinam Menenamque itinere. Sunt & alia oppidula & pagi nobiles, de quibus, qui volet, conſulat Iacobum Marchantium in ſua Flandriæ deſcriptione.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [64] - -
PUBLIC DOMAIN

FLANDRIA ORIENTALIS.

Termini. ORIENTALIS FLANDRIAE terminos ponimus ab Oriente Hontam & fossam quæ a propugnaculo *'t Zas* Gandavum ducit; ab Oriente lineam quæ Neoporto per Dixmudam, Roeselariam tendit. Continet autem urbes majores quidem Gandavum & Brugas; minores Sluisam, Ardenburgum, Ostendam, Neoportum, Dixmudam, aliasque. Primaria urbs est GANDAVUM, conditum vulgi opinione, tum historicorum omnium recentiorum consensu, tum Petrarchæ aliorumq; judicio a C. Julio Cæsare, cum in Morinis ageret. Mejerus hos versus incerti Poëtæ citat:

Hanc Clarineam veteres dixere coloni
Gorduni, populiq; truces coluere Sicambri;
Mercurio Cæsar, Christo sacravit Amandus.

Enimvero Gordunorum mentionem facit Cæsar lib. v de bello Gallico. Postea a Wandalis dicta est *Wanda*, & literæ primæ mutatione *Ganda*; ut *Walli*, *Galli*: hinc Gandavum vernacule dicitur *Gent*, Italis *Guanto*, Gallis *Gand*. Sita est quarto a mari lapide, juxta tres fluvios Scaldim, Liesam & Lævinum, e quibus in mare patet via per aquæductum, quem vocant *Nieu-vaert*, qui se ad ostium *Sassen* exonerat, cataractis ad hanc rem stupendo artificio exstructis. Decem miliaribus distat Antwerpia, totidem Bruxellis, Mechlinia, Middelburgo. Ambitus intra muros est 45640 pedum Romanorum, hoc est Italicorum miliarium VII. Insulas habet XXVI, pontes majores XCVIII, molas aquarias IV, trusatiles infinitas, centum quæ vento aguntur; Ecclesias in universum LV; Abbatias V, quarum & antiquissima est B. Petri, in monte Blandino, constituta a Dagoberto Franciæ Rege anno 640, post annunciatam hic Christi doctrinam a S. Amando Episcopo Tungrensi. Cives hujus civitatis frequentia, nobilitate, opibus, animi eximii sunt. Hæc Carolum V Cæsarem orbi dedit.

Brugæ. *Brugæ*, vel a pontium frequentia nomen habet, vel a ponte *Brugstock*, juxta Oldenburgum & Ardenburgum, e quarum urbium ruinis ante annos D CCC prima arx Brugensis extructa est. Sita est tertio miliari a mari, loco plano. Ambitus intra muros est 26600 pedum Romanorū, hoc est, Italicorum miliarium quatuor cum dimidio. Urbs est non Flandriæ tantum, sed etiam totius Belgicæ amœnissima. Templa habet 60, quorum præcipuum & augustissimum est S. Donationi, olim B. Virgini Mariæ, exstructo a Diderico I Flandriæ Comite, anno D C XX. Opibus in tantum floruit, ut Joanna uxor Philippi Pulchri, quum huc venisset anno 1301, vidisseque virginum & matronarum ornatum, stupore primum, postea muliebris æmulationis æstro percita, conquesta sit, non se solam Reginam esse. Opificiorum genera exercentur 68. Et in hac rerum copia neq; flumen, neq; portū, neq; fontem habet. Fossa est humana ducta industria, ipsi *Reye* vocant, quæ per totam urbē divisa, ad Sluisam sese exonerat in Oceanum. Et quia hæc majoribus navigiis nondum sufficiebat, aliam in longe majorem altitudinem perduxerunt, oppositisq; cataractis a mari disclusserunt. Sunt & hujus urbis cives bello, imperio, literis celebrati. Huic ortum suum debet *Philippus* Rex, Maximiliani filius, Caroli V pater: debent *Iacobus* & *Petrus Curtii*, *Iudocus Damhouderus*, *Iacobus Ræwardus*, *Dominicus Lampsonius*, *Ioannes Casembrotius*, *Marcus Laurinus*, *Fr. Nansius*, *Iacobus Lernutius*, *Bonaventura Vulcanius*, *Petrus Colvius*, aliiq; permulti; *Ludovicus* etiam *Vives*, natione Hispanus, hac civitate honoris gratia donari voluit, in qua post elucubrata aliquot ingenii sui monumenta, defunctus est anno 1540. Porro tanta olim fuit hujus urbis in mercaturis potentia, ut cum quavis alia totius Europæ urbe conferri posset. *Brugenses* primi Cassiterides insulas in Oceano invenerunt, quæ propterea *Flandricæ* vulgo dicuntur; iidē Bursam primi Mercurio sacram habuerunt, a qua postea Antwerpiæ, Rothomagi, Tolosæ, Londini, & in aliis urbibus, mutatis rerum vicibus loca mercatorū conventui destinata nomen traxerunt. *Brugæ* etsi hodie de veteri splendore multum amiserint, quod ad ædificia tamen attinet, tam privata quam publica, domos nempe, palatia, portas, muros, templa, vias, fora, & quicquid præterea talium est, parem cum pristina dignitatem obtinent. Spectabile inibi Jesuitarum cœnobium, superioribus annis Reipublicæ sumptibus conditum, spectabiles item excellentium pictorum tabulæ, quæ ceu pretiosissimus quidam thesaurus studiosissime asservantur; tū & mensa illa prægrandis ex balenæ osse confecta, & in horto ut vocant sagittariorum visenda. Sunt qui Brugenses asserant Grudios Cæsaris esse, & nomen id Lovanienſibus eant ereptum, sed neq; hic, neq; ibi firmitatem esse, sed ventulos opinionum, quibus nimis indulgent, & ferri se patiuntur ingenia quædam hujus ævi, magnus Lipsius asserit. Pertinent huc *Franconates*, sic dicti, quod jugum Brugensium excusserint, cervicesq; suas liberaverint, continetq; eorum territorium agrum illum, qui est circa Brugas, fere ad 7 miliaria, ac vulgo vocatur *'t Lant van den Vryen*. Jurisdictionem habet plurimorum pagorum, ac omnibus fere oneribus exempti sunt. Constituunt hi nunc quartum Flandriæ membrum. Brugis munimenti loco obtenditur *Damma*, quam perlabitur vetus Brugensium alveus. Hodie inter munitissimas est totius Belgii arces, novis Marchione Spinola roborata propugnaculis.

Viri celebres.

Ostenda. In Franconatū territorio posita est *Oostenda* ad mare, olim piscatorum oppidum, magna ex parte munitione carens, etiamnum anno 1572, sed sex annis post mœnibus septum fuit: portum habet etiam refluo mari navigabilem. Huc octo immania cete appulerūt anno 1440, quorum singula erant longa pedes 74. Anno etiam 1426 captus fuit porcus marinus, terrestri simillimus, nisi quod altero tanto major esset. Anno autem 1500, Flandriæ imperium tenente Archiduce Alberto, Flandri ad inhibendas militum nostrorum incursiones, eam circumcirca vallis cinxerunt, eo tamen excursiones impedire minime potuerunt, quamvis in circuitu 17 propugnaculis circumvallata esset, inter quæ *S. Catharina*, *Isabella*, *Albertus*, *Clara*. Quare Flandri vehementer instabant, ut hæc urbs obsidione expugnaretur. Obsessa igitur fuit quinto Julii anno 1601. Obsidionis initium terribile satis & vehemens, ipsa toto ejus decursu Martia plane & cruenta, nec post hominum memoriam ulla durabilior, adeo ut toto obsidionis tempore utrimq; centum decem millia hominum perierint. Reperti sunt in vestibus Hispani cujusdam Præfecti, sive Commissarii, pugillares, in quibus mortuorum numerus curiose satis annotatus; periere nempe tribuni militum præfecti, vulgo *Marescalli de Campo*, novem; Chiliarchæ, qui vulgo *Colonelli*, quindecim; castrorum Præfecti viginti novem; Duces, vulgo *Capitanei*, 565; Signiferi 322; Locum-tenentes 1116; Ordinum ductores 7611; vulgares Ordinum ductores



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [66] - -

9166; Magiſtri equitum 600; Gregariorum militū & cunicularium 54663; Nautæ 611; pueri mulieresq; 119. Summa omnium fuerunt millia LXXII, C & XXVI. Porro inter Oſtendam & Neoportum commiſſum prœlium illud memorabile inter Archiducem *Albertum* Auſtriacum & Principem *Mauritium*, in quo utrinque cæſi occubuere VII peditum & equitum millia, victoriam reportante *Mauritio*. Captus fuit *Franciſcus Mendoſa*, Admirans Arragoniæ, ac cum illo Duces plurimi, erepta hoſti ſigna militaria C V, quæ Hagæ ſuſpenſa tantæ rei fidem poſteritati faciunt.

Sluyſa. Poſſident hodie Ordines Fœderati Hollandiæ in hac Flandriæ parte oppida quædam & validas aliquot munitiones. Primo *Sluſam* vulgo *Sluys* (*Clauſulæ* Sigeberti ut notat Lipſius) urbs eſt maritima, quinto miliari a Middelburgo Zelandorum, a Brugis tertio diſtans; copioſa olim & opulenta, magniq; nominis dum commercia hic florerent, ſed illam tum offenſiones in mercatores Oſterlingos, quorum 40 anno 1436 oppidanorum furiis periere; tum maxime diſſidia cum Brugenſibus peſſunderunt, imprimis ſimultates illæ ob Joannem Namurcenſem, loci Dynaſtam, contra eoſdē Brugenſes ſuſceptæ, a quibus maximam cladem perpeſſa eſt, victa, direpta, flammiſq; miſerum in modum fædata; ex quo factum, ut tandem a Principe ſuo fuerit vendita. Variam fortunam hoc civili bello urbs fuit experta; nam cum in fœdere conſtans perſtaret, a Duce Parmenſi anno 1587 arctiſſime fuit obſeſſa, acriterq; oppugnata, tandem hoſti ſe certis conditionibus dedere coacta fuit. Ab eo tempore urbs ſub Regis imperio manſit ad annum 1604, quo Princeps *Mauritius* eam obſedit, & tertio menſe ad deditionem inedia compulit. Sita eſt urbs ad oram portus ſui, ſemilunari fere forma; & ſitu loci, & multis validis operibus, quæ hodierni belli conſuetudo invenit, munita. Satis ampla eſt, quippe quæ pene miliare ambitu complectitur, ſed multis locis vacua, ita ut paſcua alendis vaccis intra ſe habeat.

Inſula Cadſant. Ad latus oppidi quod Septemtriones adſpicit, poſita eſt inſula *Cadſant* vulgo dicta, olim quidem major & celebrior quam hodie, quum & urbem haberet, & complures pagos peramœnos & frequentes; nunc dimidia parte minor, ſed magni momenti noſtris, ad Sluſam contra hoſtium molimina defendendam; unde & validis operibus, qua hoſtiles terras reſpicit, tecta eſt, & aliquot munitiones inter æſtuaria excitatæ.

Ardenburgum. *Ardenburgum*, oppidum antiquum, & quondam Flandriæ littoralis, quum Brugæ nondum conditæ eſſent, metropolis. Hodie exiguum eſt oppidum & deforme. Templum habet Deiparæ Virgini ſacrum, quo nullum pulchrius neq; ſumptuoſius Flandria olim videbat; hodie tantum parietes & marmoreæ columnæ, duæq; turres ſuperſunt. In Fœderatorum Ordinum poteſtatem venit anno 1604 menſe Majo, a quibus egregie fuit munitum; diſtat Sluſa miliare unum.

Middelburgum Ardenburgo vicinum, & tantum duobus miliaribus cum dimidio diſtans a Brugis, quod eodē tempore a Principe *Mauritio* captum arce ſua, ſed invalida. Oppidum hoc tantum mœnibus & foſſa cinctum eſt, neq; magni momenti. *Middelburgum.*

Iſendychium amplum & validum munimentum, in angulo duorum concurrentium aggerum ſitum, & tantum freto a Birfleto diviſum, e regione Zelādiæ, quod Princeps *Mauritius* anno 1604, licet ſexcentorum militum præſidio teneretur, & omni bellico apparatu, præſertim majoribus machinis eſſet inſtructum, octidui ſpatio ita compeſcuit, ut deditione illud acciperet. Poſtea a Fœderatis Ordinibus ampliatum fuit, ut jam inſtar oppidi ſit, tot tantiſq; operibus permunitum, ut hoſtem minime metuat. Portum habet commodum, altum & multarum navium capacem; ita ut commerciis ſit aptiſſimū, & in emporium forte aliquando evadere poſſit. *Iſendychium.*

Sunt præterea in hoc tractu quamplurimæ munitiones, partim hoſtibus ereptæ, partim a noſtris exſtructæ. *Philippina* e regione Axelæ ad aggeris cubitū, qui continentem prætexit, ſita, & operibus valida. *Propugnacula.*

Patientia inter Philippinam & Iſendicum e tranſverſo Bierflietum reſpiciens, oræ continentis incumbens, S. Philippi & Catharinæ munitiones aggeri, qui inter Sluſas & Iſendicum jacet impoſitæ, quas Princeps *Mauritius* anno 1604, quum Sluſæ obſidium moliretur, nullo pene negotio cepit, hoſte ultro ob nocturnum terrorem dilapſo. *Patientia.*

Ab altera parte Flandriæ Orientalis, qua Occidentali contermina eſt, *Neoportus* viſitur, Ooſtenda tribus miliaribus diſtans, oppidulum lautum, ac validum ſatis, etſi exigua arce munitū, quin & portus ejus ſat commodus, ideoq; a mercatoribus frequentatus. Oriundus ex hac urbe fuit *Iudocus Clichtoveus* Literator, Theologus & Mathematicus celeberrimus. Seſquimiliari a Neoportu Duynkerkam petētibus, occurrit in ipſis tumulis arenariis nobiliſſimum & pulcherrimum illud cœnobium Ordinis D. Bernardi, quod vulgo vocāt *Ten Duyn*. *Dixmuda* tribus miliaribus diſtat Neoportu, Aldenburgo & Roſſelaria, lautum & peramœnum oppidulum, frequentatum quotannis Julio menſe ob inſignem mercatum equorum & anniverſarias etiam aliarum mercium nundinas. *Neoportus.* *Dixmuda.*

Aër regionis eſt temperatiſſimus, tritici non uſq; adeo ferax, at ſecale, avena, fabæ, piſa, viciæ, fagopyrum, vulgo *Boeckweyt*, linum deniq; & cannabis, item varia optimorum fructuum genera feliciſſime iſtic & copioſe proveniunt. *Aëris clementia & ſoli bonitas.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [67] - -
PUBLIC DOMAIN

FLANDRIA
GALLICANA,
vulgo
FLANDRE WALLONNE.

Termini. FLANDRIAE pars, quam GALLICANAM appellant, a Septemtrione conjungitur cum Teutonica; ab Austro cũ ditione Cameracensi; ab Ortu est Scaldis fluvius; ab Occasu denique Lisa & Comitatus Artesiæ. Hæc licet, si ambitum spectes, longe minor sit Teutonica, multis tamen nominibus laudem meretur. Solum ejus præcipue & cum aliarum quarumlibet frugum, tum tritici maxime ferax, optimam etiam gignit rubiam, præstantissimum genus blasti, pascua illi uberrima, unde uberrimus ex pecudum proventu & alimonia quæstus. Cohæsit aliquando hoc Flandriæ membrum cum reliquo suo corpore, usque ad annum 1305, quo tempore, cum Philippus Galliarum Rex in vinculis haberet Guidonem Flandriæ Comitem, & Robertum Buthunium, aliosque aliquot nobiles, oppignoratum est Regi in quadragesies mille libras Turonenses, quo pretio persoluto, noluit tamen Gallus captivos dimittere, nisi post promissos denuo vicies mille denarios Turonenses annuatim dependendos, ita ut dolo malo oppignorata manserit Regi Flandria Gallicana, & a corpore suo distracta. Etsi autem cum eo nuptiis inter Gallos Flandrosque contractis, iterum postea coaluerit, sua tamen hodieque seorsim habet jura, suos Ordines, suum deniq; Provincialem Præfectum, nec cum reliqua Flandria quicquam illi commune, præter Principem & Senatum Provincialem.

Agri præstantia.

Sunt in hac egregiæ aliquot & potentes urbes: *Insulæ* nempe, *Duacum* & *Orchisa*; nec non præpotens illa ditio Tornacensis & Tornacesii, tum & alia quædam loca minime contemnenda.

Insula Kysſel.

Ordines hujus provinciæ constant e quatuor illis Præfectis, quos vulgo vocant *Supremos Iustitiarios*. *Insulas* Galli vocant *Lille*, vocabulo Latinæ voci valde simili, idque hanc ob causam, quod sita olim hæc civitas instar insulæ inter medios lacus, qui temporum successu exaruerunt, & mox aggesta terra sordibusque repleti sunt. Alii nomen derivant a plusculis insulis, quæ extiterunt quondam in aquis urbi circumfluis. Alluit vero urbem, qua parte castrum est, perexiguus amnis, qui ad Lendiũ ortus, Septemtrionem versus decurrit, & ad Duselmundam pagum sese in Lisam exonerat. Condidit *Insulas* Balduinus Barbatus Comes, cujus filio etiam Balduino Pio, eo quod in hoc opido esset natus, Insulani nomen tum est inditum, qui muris fossisque, arce, aula (quam *Salam* vocant) templo collegioque Canonicorũ D. Petri luculentissimo, anno 1066 exornavit. Monstrantur hic reliquiæ quædam veteris castri, quod vulgo appellant *du Buck*, quod domicilium fuit primorum illorum procerum, qui a Regibus Galliæ destinabantur ad Flandriæ præfecturam, & initio *Saltuarii* dicebantur; exque humili illo loco tandem ad supremas quasque dignitates evecti sunt. Direpta misere & cremata fuit hæc urbs bello, quod Ferdinandus Flandrorum Comes gessit cũ Galliæ Rege Philippo II, & filio ejus Principe Ludovico, patre D. Ludovici: posteaque paulatim instaurata, capta iterum mutilataque est horrendis illis & perniciosis Flandriæ bellis inter Philippum IV Regem & Guidonem Dampetram Comitem. Hodie tam magnitudine, quam copiosis mercimoniis, nobilium domiciliis, populique multitudine opulenta est atque celebris. Ex Lisa per Deulam fluvium, muros arcemque urbis præterlegentem, Lisæq; ad Deulemondam incurrentem, magnas oportunitates assecuta est, ut jam post Amstelodamũ Antwerpiamq; inter præcipua Belgii emporia censeatur. Nati hic fuere *Gualterus* Episcopus Maguelonensis, vir doctus & scriptis clarus, & *Alanus* Theologus, Philosophiæ & Poëtices studio celeberrimus; & felicissimi ingenii vir *Dominicus Baudius*, historiarum cum viveret in Academia Lugduno-Batava Professor. Sedem hic fixit Camera Rationum similis Bruxellensi, nisi quod major sit Insulensis istius autoritas, major pecuniarum dispensatio, denique major prærogativa; subsunt enim ei multo plures provinciæ, tota scilicet Flandria, Artesia, Hannonia, Valentianæ, Tornacum, Tornacesium & Dominium Mechlinienſe, quæ omnes accepti expensique rationes huic collegio reddunt. Instituit omnium primus hunc Insulensem Magistratũ Philippus Burgundus, cognomento Audax, voluitque penes eundem esse & juris subditis suis dicundi administrandiq; potestatẽ, & rationum sacri Principis patrimonii recensendarum jus. Postea divisus est in partes, ita quidem, ut litium decidendarum inter subditos jus esset penes Senatum provincialem Gandavensem; Insulanis vero relinqueretur autoritas cognoscendi de patrimonio & reditibus Principis.

Viri clari.

Insulana Castellania.

Castellania Lillana distincta est in *Carembaultiam*, XI; *Pevelam*, XXVI; *Melanthoisam*, XXI; *Ferrainam*, XXVIII; *Weppesam*, XXXII; *Transscaldiam*, VII; & *Comitatus*, XII pagorum régiunculas: unde efficitur, ut centum triginta septem & plures pagos comprehendat, frugumq; populiq; fertilissimos; nec non rubiæ, quam *Garanciam* vulgus tinctorum vocant, herbæ lanis coriisque tingendis, ne color defloresçat, necessariæ. Tota est nobilium Toparchiis plena, beneficium recognoscentibus a *Sala Lillana*, antiquo Comitum palatio, feudorum apice, inter quas pro exemplo numerantur *Halewinum*, *Robaisum*, *Orgnyesum*, *Seclinium*, *Noyella*, *Busbeca*, *Monspevela*, omniumque præcipuæ *Wavrinium*, Senescalco Flandriæ clarum, & *Cominæum* Crojæ; *Cisonium* Werchiniæ, Abbatia Canonicorum Regularium exornatum.

Duacum.

Duacum, vocabulo magis quam situ, refert Advaticos a Cæsare inter Eburones Nervioſque, & a Ptolomæo ultra Tabudam, quæ Scaldis est, in Tungrorum finibus collocatos. Potius videtur, ut Marchantio placet, a tutelaribus excubiis, quasi *du waeck*, id est, *tu excuba*, nomen accepisse. Nervii enim ibi contra Atrebates Ambianosque firmissima præsidia collocabant. Illustri nomine est propter Scarpum fluvium interlabentem, & ex bina scaturigine Artesiensi salientem, ejusque in Scaldim demum affusi subvectiones, ob amplitudinem, munitiones naturæ artisque, propter domicilia vetusta, nundinas Septembri annuas, nec non rerum variarum ex agris affluxum, & gymnasiũ omnibus disciplinis dicatum. Fundator ejus fuit Philippus, Caroli Maximi filius, qui evocatis honestis stipendiis Lovanio Professoribus, ac erectis collegiis literariis, doctrinarum studia egregie promovit. Duo etiam Canonicorum sunt collegia, Petri & Amati, cum Abbatia Pratensi fœminarum, cœnobiis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [68] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [69] - -

Crucigerorum Trinitatis, Franciſcano & Dominicano virilibus. Juxta eſt Abbatia Elinenſis, Bernardina fœminarum, a Margareta Conſtantinopolitana fundata, ac duobus Flandriæ Comitum ſepulchris decorata. Diſtat Lilla circiter ſeptem, Gandavo octodecim, Cameraco quinque, Atrebato ſex, Tornaco octo miliaribus.

Duacena Caſtellania. Caſtellania Duacena cum Orchienſi viginti octo pagos comprehendit, paſcuis & Cerealibus agris luxuriantes. In illis *Bovignium*, gentis Nedoncellæ, *Warleinum* Longevallæ, *Eeſtreſum* Omignyeſæ, *Landanum* & *Flina*.

Orchieſa. *Orchieſa* hoc nomine notior eſt, quod præcedentibus duabus urbibus aſſocietur, earumque ceu contubernio illuſtretur. Mœnia foſſaſque habet, & tenuium pannorum ſive *Sayarum*, ut vocant, & ſericorum varie pictorum celebres textrinas, cum aliis opificiis quæſtuoſis, annuiſq; menſe Septembri nundinis. Diſtat Lilla quinque, Duaco tribus miliaribus.

Lonoya. Sita eſt in hoc tractu *Lonoya*, validum ſatis oppidum, Lilla miliaribus præterpropter duabus; Tornaco vero tribus abjunctum. Fiunt & hic ingenti copia *Sayæ*, aliæque complures id genus merces. Ab hoc oppido nomen ſumit nobiliſſima illuſtriſſimaque gens *Lonoya*, cui id alias cum territorio omni & juriſdictione ſubjectum, ſed delata deinde ad ſequiorem ſexum eſt ditio. Unde factum eſt, ut obvenerit tandē Comiti Burano, filio Principis Arauſini. Natus hic *Franciſcus Raphelingius*, gener *Chriſtophori Plantini*, vir non Latine tantum & Græce, ſed Hebraice quoque, Chaldaice, Arabice, Syriaceq; *Eſpinoya.* doctiſſimus. Eſt & hac parte *Eſpinoya*, nobiliſſimus Lillam inter & Duacum pagus, Principatus etiam titulo dignitateq; ſpectabilis.

Armenteria. Eſt poſtremo *Armenteria*, quæ Baſſæa quidem circiter quatuor; Lilla vero & Bella pari trium leucarum intervallo abjungitur, municipium tam inſigne, tamq; & & incolis ſimul & divitiis affluens, ut pari cum oppidis muro clauſis, jure paribuſq; privilegiis gaudeat. Texitur hic tam ingens pannorum vis, ut millena aliquot excedat. Armenteriam inter & Stegram ſita eſt peramœna quædam & omnis generis rerum, maxime autem tritici fructuumq; feraciſſima regiuncula, vulgo dicta *Het Landt van Love*, & quatuor pagis, quorum caput eſt *Leventiſium*, *Leventi-ſium.* pari cum oppidis muro clauſis jure & privilegiis gaudens. Donata ſuerat olim hæc ditiuncula a Comite neſcio quo Flandrorum Pontifici Maximo, ſed utcumq; hoc factum ſit, reverſa eſt poſtea ſub Imperium Regis.

Tornacum & Tornaceſium. *Tornacum*, & univerſa ejus ditio cohæret cum latere Flandriæ Gallicanæ & Hannoniæ terræ confiniis. Opidum tantæ vetuſtatis, ut conditum ſcribant ſexcentis & quadraginta annis ante natum humani generis Salvatorem. Poſitum eſt ad Scaldim, & Orchiſa quidem quatuor duntaxat; Duaco vero octo circiter leucis abjungitur. Oppidum ſane pulcherrimum, amplum, opulentū, potens & contra hoſtiles incurſus munitiſſimum. Arcē oſtentat inſignem, ædes amplas & commodas, templa, cœnobia & id genus ſtructuras ad miraculum pulchras. Epiſcopatum habet longe lateque diffuſum, adeo canæ & reverendæ antiquitatis, ut primum Præſulem jactet Eleutherium, creatum a Papa Felice tertio, circa annum Chriſti 494. Direpta fuit non ſemel hæc urbs bellis cum Gallis, Anglis, Flandriſq; geſtis. Gallis eam poſtremo eripuit Carolus V Imperator, miſſo ad urbem exercitu ſub Henrico Naſſovio, qui eam vi armiſq; ſubactam cū Flandria rurſum conjunxit, ita tamen ut diſjunctum maneret membrum, audiretq; ditio Tornacenſis & Tornaceſii, & in agros pagoſq; circumjectos retineret imperium.

Caſtellania Tornacenſis, quæ *Tornaceſium* & Tornacenſe Balivagium vulgo nuncupatur, pagos quos Flandriæ pagis annumeramus, amplectitur circiter ſexaginta, præter ſeptem Hannoniæ incluſos, ſitus commoditate, ſementis fœnore paſcuiſque commendabiles, in iiſq; *Leſdainum, Pecquū, Eſtaniburgum, Markanum, Callenum*, ad quam etiam Caſtellaniam ſpectant *Mortaigna* cum novem, & *Santamandium* cum octo pagis, ita dictum a *S. Amando*, qui ibi nonagenarius vixit ſepultuſque eſt. Subeſt opulentiſſimæ illic Abbatiæ virili Benedictinæ. Ex quo cœnobio prodiit anno 880 *Hugbaldus*, qui ſcripſit vitas multorū S. hominum, librumq; Epiſtolarū, atque ad Carolum Calvum Imperatorē carmen 136 verſus prolixum & operoſum, nec genio prorſus carens, in quo voces omnes prima litera a C incipiunt hoc modo:

Carmina clariſonæ Calvis cantata Camœnæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [70] - -
PUBLIC DOMAIN

FLANDRIA IMPERIALIS ET PROPRIETARIA.

Flandria Imperialis.

FLANDRIA Imperialis complectitur ditionem Aloſtanam & regiunculam Waſiam cum quatuor Ambactis, quæ vulgo *de vier Ambachten* vocant ſub nomine quatuor pagorum ſive unius pagi. Waſia quondam proprios habuit dominos, ideoque Dominatum vocarunt; tum quod antiquitus diſtinctis dominis, ut Waſia Hollandis, Aloſtana privatim ſuis Comitibus parebant, quatuor Ambacta Ultrajectino Præſuli, ſi vera ſint iſtius ſedis Archiva, beneficium debebant: tum quod ſupremę cognitionis autoritate, mero in omnibus imperio Flandriæ Comites ibi pollerent, unde Ludovicus Malenſis Flandriæ Comitem Dominumque ſe inſcribebat.

Ad Flandriam autem quæ proprietaria dicitur neque Regi Franciæ, ut Comitatus, neque Imperatori, ut Flandria Imperialis, obediebat; pertinent *Teneramunda*, *Geerdsberga*, *Bornhemiũ*, de quibus in hac tabula agemus.

Aloſtum metropolis.

Metropolis Flandrię Imperialis eſt Aloſtum a Gothis exſtructum anno Chriſti 489 ea tempeſtate, qua Vandali, Gothi, Alemanni, aliæque feræ nationes, terras Pyrenæo, Oceano, Rhenoque tenus, rapinis inundarunt. Derivatum hunc Comitatum volunt quidam ex Comitibus *Caſtelli novi* Gandenſis ab Ottone primo Cæſare anno 948 ædificati cui deinde a Gandavo cognomen fuit; nam illius arcis Ottonianæ præſidibus terra Brachantia, quæ poſt Aloſtana audiit, cum quatuor Ambactis aſſignabatur, ut ſtipendia alimoniamque præſidiariis militibus illinc proviserent, quã auctoritatem in Dominatum verterunt, Cæſarum beneficio, Aloſtani Comites & ideo ſe Principes ſive Comites Imperii Romani dixerunt, qui perpetui Cameracenſis Eccleſię tutores conſtituti atque in numerum quatuor Comitum Imperi relati. Decoratur Aloſtum Burggraviatu, Menera fluvio, monetę olim cudendæ officinis, per Guydum Comitem Gandavum tranſlatis, lupuli mercatu celebri: aulæorum artificioſa textrina; nundinis menſe Octobri annuis, Collegio Canonicorum D. Gaugerici ex Haltro pago vicino huc tranſducto: cœnobiis Guilielmico & Carmelitico virilibus, finitimaque Abbatia Roſtenia Bernardina fœminea fundata anno 1228. Ager Aloſtanus optimi frumenti ferax eſt, præſertim ſecalicei. Scaldim Meneramque velut Meſopotamia & interamnis interjacet & ad Gandavi, Aldenardæ, Dendremundæ ab Oriente portas extenſus latuſque. Pagos centum & duos illi aſcribit vulgaris calculus, in quibus ſunt *Steenhuſa* gentis *Gruthuſæ* principatus titulo potius, exulumque aſylo, quam opibus clara: *Liedekerka* gentis Hennartæ vetuſta ad Teneram arce nobilis: *Lombeca* Burggraviatu inſignita: *Reſſeghemium* & *Maſſemæa*, *Herpa*, *Wieſa*, *Dionyſii*, *Boucla*, *Hundelgemum*. At illo quem diximus pagorum numero continentur hæ quinque Baroniæ primariæ: *Roda* ſeptendecim pagos includens; *Boulora* ſedecim; *Gavera* undecim; *Zottingema* decem, *Schoriſſa* ſeptem. In pagi Zottingemi templo ſepultus eſt Lamorallus Egmondanus, nobilitate, forma regia, facundia, victoriiſque de Gallo partis, & Flandrię gubernatione magis, quam vitæ exitu florentiſſimus.

Ager Aloſtanus.

Pagi.

Contiuetur Comitatu Aloſtano Nienovia propriam juriſdictionem exercens, commendatur a Tederæ appulſa & ab Abbatia D. Cornelii anno 1137 fundata, per Gerardum Coneſtabilium. Civitas ad Egmondanos pertinet.

Wafia.

Regiuncula *Waſia* fertile ſolum habet Scaldi prætenſæ & Durma amne irrigua qui prope pagum *Winckele* ortus ad *Temſche* Scaldi miſcetur. Hæc ditio regitur ſeptem Scabinis perpetuis, numerantur in ea 23 pagi. *S. Niclaes* omnium primus eſt. *Synay* monaſterio Ordinis Bernardini celebris quod *Bauweloo* dicebatur. Hodie Gandavi eſt. Waeſ-munſter Abbatiam virginum habuit S. Victoris, quæ intra Dendremondam conſpicitur. Temſeke locus fama ſua nobilis ſuper Scaldim poſitum conſpicitur Caſtello munitum, templo venuſto conſpicuum. Pagus hic quondam Patrimonium fuit Dominorum de Amelberga. Rupelmonda ad Scaldim ſita prope oram Rupelæ gaudet privilegiis municipalibus, murorum tamen expers. Celebratur ob regiam arcem ſupra Scaldim exſtructam in qua magna captivorum multitudo detinetur ex Comitatu Flandria, quemadmodum *Vilvoorde* Brabantiæ. Hic natus eſt magnus ille Mathematicus & Coſmographus Gerardus Mercator, Ptolomæi noſtri ævi æmulus.

Inter Waſiam & Scaldim tractus viſitur *Beveren*, Caſtellum habens cum quatuor pagis. Cœnobio claret Wilhemitarum virilium.

Quatuor Ambaili.

Quatuor Ambachti, quaſi dicas Officia octo, vel *Amptacht*, ſunt quatuor oppida quorum duo muris cincta Hulſtum & Axelam, duo autem muris nudata *Boachaute* & *Aſſenede*. Hulſtum fama nobile eſt ob perpeſſam obſidionem anno 1696, perpetratã ab Alberto Auſtriaco Cardinali. Ambactus Hulſti quatuor Ambactorum primarius eſt, qui omnes 30 pagos complectuntur maxime ob frugum fertilitatem commendabiles, qui vulgo Hordeũ Gandavenſium & circumjacentium locorum audiunt. *Hulſtum* duodecim præeſt pagis; *Axelen* ſeptem; *Aſſenede* ſeptem; & *Bouchaute* tribus. *Axele* ſatis probe munitum eſt ſub regimine Ordinum Fœderatorum Hollandiæ. *Aſſenede* arce venuſta & antiqua conſpicuum.

't Sas van Gent.

't Sas van Gent uti vulgo dicunt, fortiſſimum eſt fortilitium ſub imperio Regis Hiſpaniarum & quaſi propugnaculum Gandavenſium. In hoc tractu viſuntur duæ Abbatiæ una Monialium, altera S. Bernardini Ordinis ſcilicet *Ooſtecloo* & *Doriſele*, & prope Axelam Cœnobiũ *ter-Hage* dictum ejuſdem Ordinis, tranſlatum, Gandavum. *Saeftinge* in Ambacto Hulſtano muris nudatum oppidulum, arce tamen ſuper Scaldim ſplendidum, cui adjacet quod *den Polder van Namen* vocant, quod Ioannes Comes Namurcenſis & Dominus Sluſæ, filius Guidonis Comitis Flandriæ contra aquarum impetus exſtruxit.

Terneuſium.

Terneuſium haud vulgare Flandriæ municipium, quod jam olim Balivum ſuum, Scabinos & alios juſtitiæ miniſtros habuit, ab Illuſtriſſ. DD. Ordinibus confœderati Belgii primum muniri cœpit & præſidio adverſus Hiſpanum inſtrui: natura ipſa & ſitu munitiſſimum eſt, quippe pene in medio terrarum ſitum, quas fluctus ſinguli duodecim horis opplent, unde acceſſus ad id difficillimus eſt. In hoc ambitu multa viſuntur fortilitia, quorum quædam regimen Ordinum Fœderatorum Hollandiæ velut: *Lief kenshoeck* e regione *Lilloo* ſupra Scaldim; *S. Anna* prope Hulſtum, *den Boel*, *Mauritius*, *Philippine* prope

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [71] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111.2, [72] - -

Axelam & alia multa: quæ Hiſpanorũ imperium agnoſcunt ſunt: *'t Sas van Gent*, *'t Veer* prope Antwerpiam, *Borcht*, *S. Maria*, *de Peerle*; *Iſabelle*, *Callo*, *Kieldrecht*, *S. Antonis*, *Calbeck*, *Tongerfort*, *Windam*, & *Beckaf* ſita in regiuncula Bornhemia &c. omnia in illum finem poſita, ut partim hoſtem a Flandria; partim Zeelandia arcerent. Atque hactenus de ea Flandriæ parte actum, quæ Imperatoribus Sacri Imperii fidem jurare ſolebat, reſtat ut ea Flandriæ loca attingamus quæ nullum alium ſuperiorem agnoſcebant niſi proprium ſuum Dominum.

Teneramunda

Teneramunda nomen habet a fluvio Tenera, Belgis *Denre* & vocabulo *Mond*; ſita eſt enim ad ipſum os ſive oſtium ejus fluminis, qua Scaldim id influit. Diſtat Gandavo, Bruxella, Mechlinia pari quinq; miliarium & prægrandium quidem, intervallo. Oppidum ſitu & arte munitiſſimum. Conficiuntur hic magna copia panni illi goſſypini, quos *Fuſtaneos* vulgo vocant. Mercatus hic lini eſt hebdomadalis, quali etiam gaudet fanum D. Nicolai, pagus inſignis Waſiæ, Teneramunda non procul diſſitus. Eſt autem Teneramunda una cum territorio circumjecto peculiaris atque diſtincta ditio, quæ Dominio Principum Flandriæ, matrimonii jure accrevit, ævo Guidonis Dampetræ. Unde avulſam alia quadam affinitate Flandriæ rurſus univit Ludovicus Malanus, ducta in uxorem Margareta Brabantina. Territorium Teneramundæ, ſive Dendremundæ, Scaldis, Teneræ, Durmæque ex pago Winkela oriundi ſubvectionibus, & Abbatia Zwineca Bernardina inſtructum, pagos xv includit, in iiſque *Baſſerodam* gentis Halewinæ, ſtatione navium in Scaldi celebrem: Laërnam arce conſpicuam: Hammam, cui trans Scaldim adjacet Terra Bornhemia, Brabantiam verſus, quę olim Burggravii Gundenſis erat, & tres pagos cum arce Borema complectebatur, in quibus *Hinghem* eſt, gentis Sceltorum Grobbendonckæ.

Bornhemia.

Gerardomontium Flandri vocant *Geertsberghe*, Galli corrupte *Grandmont*, ſitum eſt ad eundem Teneram & Aldenarda duntaxat tribus, Teneramunda vero quinque leucis abjunctum, perexiguum quidem, ſed amœnum valde oppidulum; conditum fertur a Balduino Montenſi Comite Flandriæ anno 1068, quo tempore de Illuſtri quodam Dynaſta, ut ajunt, Gerardo, victoriam reportaverat, cui recens oppidum fecit cognomine. Gerard-Montenſis fuit Marcus Nævianus vir inſigniter doctus & complurium operum ſcriptor.

Gerardomontium.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [73] - -
PUBLIC DOMAIN

ARTESIA
COMITATUS.



ARTESIA maximâ partem complectitur eorum qui Cæsari *Atrebates*, ab urbe primaria quam ipse vocat Atrebatum, Marius tamen Niger hic constituit Ambianos. Ptolemæus etiam Atrebatios inter Sequanam & Phrudium, qui nunc dicitur *La Somme*, collocat. Nomen autem recens *Artesia* a voce *Arras* qua nunc Metropolis nuncupatur, quasi *Arrateſia* per syncopen extrita syllaba formatum, vulgo *Artois*. Termini hodie sunt, a Septemtrione Flandria, a qua discreta est fluvio Lisa & nova Fossa; ad Austrum & Occasum *Picardia*, ad Ortum Flandria Gallica, & ager Cameracensis. Aer suavis & serenus, regio fertilis, imprimis tritici cujus copiam non suis tantum abunde suggerit, sed vicinis quoque Flandris, Brabantis, alijsque. Antverpiensium & Mechlinienſium hoc unicum horreum est. Vini caret, ignava potius incolarum socordia, quam vel cæli vel Soli injuria. Ditio hæc fuit olim Flandrorum; totam enim *Balduino Arduennati* dotis loco dedit Carolus Calvus, quum is Iuditham uxorem duceret. Postea Philippus Alsaticus quum neptem suam Isabellam locaret Philippo Ludovici VII, Galliarum regis filio, dotem ei dedit Flandriam Occiduam, hoc est tractum eum, qui est à nova Fossa usque in Picardiam. Eum Philippus anno 1598 fecit Comitatensem, deditque filio suo Ludovico; qui primus Artesiæ Comes fuit, postea Galliæ Rex, & pater Ludovici Sancti. Anno vero CIↃ CCLXXXII, Ludovicus Malanus Comes Flandriæ post matris obitum factus est Comes Artesiæ, atque ita rursum uterque Comitatus conjunctus fuit. Obitu autem Caroli Audacis Burgundiæ Ducis, *Ludovicus* XI. Galliæ Rex iterum Artesia potitus est: quæ postremum pacto & fœdere Caroli VIII, Galliæ Regis & Maximiliani Imperatoris cesit Phillippo Austriaco Maximiliani filio, patri Caroli V, Anno CIↃ CCCCXII: Belgij ditionibus deinceps annexa: quas post patrem Philippum possedit Imperator *Carolus V*, cui succesit Philippus ejus filius Hispaniarum Rex, Castellaniæ in ea novem *Atrebatenſis*, *Audomarenſis*, *Morinenſis*, *Arienſis*, *Heſdinenſis*, *Lenſienſis*, *Bapalmenſis*; *Ayenienſis*, *Bredenardenſis*, & *Auguiacenſis*. Urbes precipuas habet *Atrebatum*, *Fanum S. Audomari*, *Bethuniam*, *Ariam*, & *Bapalmam*: cæteræ minores sunt. Pagos 854, Abbatias 28, inter quas D. Vedasti Belgij celeberrima. *Atrebatum*, vulgo *Arras*, *Atrecht*, ad Scarpam Fluvium situm est, sex milliaribus Duaco abest, Lensio sex, Cameraco novem, & 14, minoribus Ambiano (vulgo *Amiens*,) Ingens propugnaculis fossisque munitissimum, speciem refert duarum urbium, quarum alteram vocant *La Cité*, estque juris Episcopalis; alteram *la ville*; estque juris Principalis; Illa minor est, sed amœna, habetque templum Cathedrale elegantissimum, sacrum B. Virgini. Hic magna religione, & egregio cum pretiosorum lapidum apparatu, certum Manna adservatur, quod D. Hieronymus, ætate sua, ad hanc regionem pluisse, suis in epistolis refert. Habet præterea Bibliothecam manuscriptorum librorum omnis generis, sed potissimum Theologici. Primus Ecclesiæ Episcopus fuit S. Vedastus, constitutus a Remigio Rhemorum Archiepiscopo, anno 131. Hæc major, ædificiorum platearumque capacitate & fori amplitudine vehementer laudata. Abbatiam habet ditissimam, cui CXX millia aureorum annui reditus. Domus omnes fornicibus subterraneis capacissimis sustentantur, adversus obsidionis vim excavatis. Patria hæc fuit F. Balduini, Iurisperiti celeberrimi, cujus Parisijs monimentum in æde Maturini est tale. CUIACI, BALDUVINUS HIC IACET. HOC TECUM REPUTA ET VALE. MORTUIS NOBIS IURISPRVDENTIAM GRAVIS CORRIPIET SOPOR. *Franciscus Balduinus Iurisconsultus ob. anno ætatis* 54, 11 *Novembris à partu Virginis* 1343. Papirius Massonus Balduini auditor P. In eadem civitate natus vir clariss. CAROLUS CLUSIUS eruditionis omnis atque elegantiæ decus, qui post regiones plurimas peragratas in Batavico Athenæo senex leniter conquiescit, manumque extremam imponit dignis immortalitate operibus. Vrbs hæc civium incolarumque multitudine frequens, quorum alij mercatores, alij opifices. Horum sunt multa collegia quorum maxima pars lanariæ studet. Fuit quondam ut historiæ & annales testantur, Flandricarum urbium Caput, Caroli Calvi Imperatoris ævo & multis post seculis. *Fanum S. Audomari*, prius vocatum fuit *Sithiu*, teste Meiero, postea a S. Audomaro *S. Omer*. Audomarus iste Morinorum dicitur fuisse Episcopus circa annum 270, & eo loco Cœnobium exstruxisse ad fluvium *Aa*. Vrbs nitore & frequentia civium eximia. Quibusdam *Itius Portus* censetur. Tertio inde lapide ad flumen Lisam fuit antiquissima Morinorum Metropolis *Terouana*, de qua eadem descriptione. *Bethunia* nobile quoque in Atrebatibus Opidum, annonæ Frumentariæ horreum, magnæ olim celebritatis in

Nomen.

Situs.

Aeris temperies. Soli fertilitas.

Imperium Majorum





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [75] - -

Atrebatibus, sive Flandris Occiduis, Dominatus, antequam in Atrebatum nomen Comitatumque una cum alijs concederet. Mercimonijs, rei frumentariæ negotiatione aliarumque rerũ quæ vitæ humanæ usui sunt & exportari solent, varietate, est pro re nata, florentissima. *Aria* ad, Lisam sita est, qui eam mediam secat: distat *Teroana* 11 milliaribus, opidum nobile & munitum, arcem habet antiquissimam, & ædificia satis commoda. Est & *Hesdinum* nobile Gallo objectum vallum ac propugnaculum, quod prostrato a Cæsarianis ejusdem nominis opido, occasione belli inter potentissimos Europæos Principes excitatum. Situm habet commodissimum ad ripam fluminis Canchiæ, uno milliari propius Galliam, distans quatuor milliaribus Montstrolio & quinque a S. Paulo. Rigatur & altero fluvio, vulgo Blangis a loco in quo oritur. Ita ut propter loci commoditatem, munimentum habeatur validissimum, & propter translationem juris & omnium privilegiorum, quibus olim gaudebat Hesdinum vetus, brevi tempore habitatoribus repletum fuit. Fanum S. Pauli abest Divo Audomaro quidem sex, Atrebato fere octo leucarum itinere, veteris & illustris Comitatus dignitate ac luculenta admodum ditione conspicuum.

Perna bonæ conditionis locus & Comitatus mox prædicti membrum, Sancto Paulo quinq; leucarum spatio disidet.

Lillertium inter Ariam & Betunam, pari fere trium leucarum intercapedine ab utraq; disjungitur, opidum satis lautum.

Bassea Lendio distat duabus leucis & semi.

Lendium vulgò *Lens*, Atrebato quatuor leucis abest, opidulum quidem exiguum, sed perampla in locos circumjectos ditione conspicuum, Destruxerunt illud Galli anno 1557; quod post surrexit veteremq; faciem iterum assumpsit.

Teravanna nunc diruta, Morinorum Iulio Cæsari memoratorum metropolis, quam Ptolomæus Tarvannam appellat sita olim ad Lisæ fluminis fontes, quod flumen mænia ex propinquo præterlabitur. Disidet autem Fano Divi Audomari trium, Ardea quinq, leucarum intervallo, opidum ita validum, ut haberetur inexpugnabile, quod tamen à Cæsarianis expugnatum anno 1553 duce Ponto Lalainio, ingenti profecto Gallorum clade. Captum Cæsar diruí & solo æquari mandavit. Postea vero ad Gallos rediit ex pacis legibus, sed ea conditione ne muris unquam aut mænibus cingeretur.

Sunt præterea inter pagos Artesiæ memorandi quidam & non incelebres loci, privilegiis simul & anniversariis nundinis celebrati, præsertim Avenna quã *Comitis* vulgò appellant, Atrebato quatuor leucis abjuncta; *Aschicurtium*, media illinc tantũ leuca; *Fanum D. Venantii* altero fere ab Aria lapide, perexiguũ municipium; *Currerium* deniq; Lendio pene contiguum, Atrebato quidem quinq; leucarum intercapedine disitum. Memorabiles hi quoq; sunt pagi *Blangisa*, *Ligniacũ*, *Ausium & Passa* in confiniis Galliæ positi.

Juxta Fanum Audomari Lacus est piscosus, in quo aliquot Insulæ natantes, quæ funiculo arboribus alligato, aut contis quo libeat impelluntur at trahunturque: quales in Lydia *Calaminas* Plinius recenset lib. 11. cap. xcv. Et ne quis nugas putet, aut exiguas aliquot terræ particulas: scire debet, etiam boves in ijs pasci aliaque pecora posse. Sub hisce Insulis, brumali tempore, & æstivo, maxima latet piscium copia, dum gelu devitant & calorem. Fluvij sunt præcipui, *Lisa*, *Scharpa*, *Aa*, *Canchia* & *Authia*: præter alios rivos etiam navigabiles. Estque non procul *Teroana* ingens Canalis, quem fossam novam indigetant: eum alij putant humana industria effossum tempore Balduini Comitis, sive adversus hostium excursiones, sive ad confinia Flandriæ Artesiæque distinguenda; alij Sinum esse existimant Maris intercluſi. Certe Morinos Oceano vicinos fuisse agnovit etiam Virgilius, quum eos *hominum extremos* dixit. Atqui nunc Teroana octo millibus pass. à Mari discreta. Præterea ex fundo fossæ novæ sæpenumero educuntur partes anchorarum, aliaque ferramenta nautica, certissima argumenta vicini olim & affluentis Oceani. Silvis etiam non omnino destituitur, præcipuè Meridie & Occidentem versus. Incolæ fortes & bellicosi sunt. Strenui mercatores & inde opulenti quos continuus belli furor summopere debilitavit & ad inopiam pene extremam præcipitavit. Sunt Principi suo fidelissimi Gallorum autem hostes infensissimi. Utuntur quidem sermone Gallico, at plane rustico. Nobiles ac negotiatores expeditius loquuntur.

Lacus.

Fluminia.

Silvæ. Moret.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [76] - -
PUBLIC DOMAIN

HANNONIA

COMITATUS.

Nomen.

HANNONIA Nerviorum olim ſedes, quorum caput hodie dicitur Tornacum, quòd Ptolomæus Βάγαιον vocat. Regio hæc ſæpius mutavit nomen. Initio dicta eſt *Pannonia*, à Dei Panos cultu; poſtea *Saltus Carbonarius*; inde *Inferior Picardia*, poſtremùm Hannonia, ab Hania fluvio qui mediam regionem ſecat, vernacule *Hainault*: Vel *Henegou*, ab eodem fluvio Gallis *Haine* ſive *Hene* dicto & antiqua voce Germanica *Gevve*, quæ regionem

Situs.

ſignificat. Habet à Septentrione Brabantiam & Flandriam; ab Auſtro Campaniam & Picardiam; ab Ortu Namurcenſes & Leodienſes cum dicta Brabantia; ab Occaſu Flandriam cum Arteſia. Longitudo ejus extenditur ad viginti miliaria; latitudo ſedecim comprehendit. Aër temperatus, ſuavis & ſerenus: ſolum fertile ac cæterarum frugum, ſed præcipue frumenti,

Fertilitas.

præſtantiſſima ubertas. Abundat præterea pratis, paſcuis, pomariis aliiſq; ad vitæ uſum rebus neceſſariis. Habet & metalla ferri & plumbi optimi; Lapidicinas quoq; variorum marmorum, duri ſilicis item, quem Ovidius indicem & λιθαυθράκων, *Houles* vernacule Leodienſes vocant, ignem flammamque concipiunt foventque ut carbones, nec alia eorum utilitas quam focis exſtruendis, ligno adjecto. Conflantur hic vitreæ laminæ quas poſtea à forma feneſtras alio nomine vocamus: quarum commodiſſimus uſus tam in templis quam aliis ædibus profanis ardorem ſolis arcendo aliaſve cœli injurias, palmam, quæ alibi locorum fiunt, præripientibus. Omne item vitreorum vaſorum genus & ſuppellex hic conficitur.

Imperium Majorum.

Provincia hæc frequenter mutavit Dominos, ac à ſtirpe Montenſium ad Flandriæ Comites, hinc ad Batavicam, dein ad Bavaricam, ex hac in Burgundicam, poſtremo ad Auſtriacam familiam devoluta eſt. Urbes habet Hannonia foſſa vallo que munitas viginti

Vrbes.

quatuor, inter quas primariæ ſunt *Montes* & *Valencenæ*, (quamvis iſtæ cum territorio ſuo diſtinctam conſtituant ditionem) Bochanium, Quercetum, Condatum, Landrecæjum, Avenna, Chimacum, Mariæburgum, Philippovilla, Bellomontium, Malobodium, Bavacum, Binchium, Rodium, quod & Rhetia dicitur, Soguiacum, Brennia Comitis, Angianum, Hallæ, Leſſina Cervia, Athum, Fanum D. Giſlenii, Luſa. Pagi ſunt

Pagi.

nongenti quinquaginta & amplius, arces toparchiæq; propemodum innumeræ. Inter pagos ampli complures, & pulchri, ac variis maximiſq; dignitatum titulis exornati, quales maxime Pequicurtium, Fontana, Lalainium, Montigniacum, Antonia, Bia, Brifolium, Lignæum, Boſſutum, Barlemontium, Glajonum, Traſegniacum, Eſchochinna, Trelonium, Sora Caſtrenſis, Brabanſonium, Aimeria, cum tot aliis municipiis, ut tædioſum eſſet ea referre omnia. Quare ſufficit obiter dicere, contineri Hannonia unicum Principatum, decem Comitatus, duodecim Pares, viginti & duos Baronatus ſeu Dynaſtias, Abbatias viginti ſex. Quantum nunc ad urbes primarias attinet, offerunt ſe non vocatæ *Montes*, quæ fluvio Trulla abluuntur, qui è pluribus rivulis derivatus, præcipuum auſpicatur fontem ad pagum *Grandrengam*. Fluit autem hic Trulla continuo fere trium leucarum ſpatio verſus Occidentem, atq; inde in exitu hujus urbis Hainam fluvium influit. Diſſident Montes Angiano duntaxat quinq; Bruxella vero decem leucarum intervallo. Opidum ſitu & opere munitiſſimum, ut quod inundari undiq; poſſit & aquis cingi: ac præter ſitus ipſius firmitatem non tantum robuſti operis muro, ſed & triplici lata admodum foſſa tum arce perveteri conſpicuum, amplum inſuper & pulchrum tamq; publicis quam privatis ædificiis decorum: fontium deniq; limpidiſſimas aquas ejicientium copia peramœnum. Dives idem & mercimoniis, varioq; opificiorum genere ac præſertim *Sajarum* textrinis florentiſſimum. Hic ſedem habet Conſilium illud regiũ quod totus appellat Hannoniæ Comitatus, Valentianis modo exceptis. Iudicat autem Senatus definitive, ſuntque ſententiæ ejus decretoriæ, nec Mechliniæ aut alibi retractantur, cumque de plano (ut verbum forenſe eſt) hic procedant, utanturque municipalibus ſuis legibus tam novis quam antiquis, quo fit, ut ſine ambagibus ullis aut tricis, ſed ex æquo & bono jus unicuique reddatur: neque vero pronunciatur hic decretoria ulla ſententia, niſi interveniente Supremo Hannoniæ terræ Baillivo, tanquam Principis in civilibus ſimul & capitalibus cauſis Vicario. Viſendum eſt in hac urbe nobiliſſimum illud Collegium Canonicorum quod tantopere celebratur per univerſum hunc tractum, conditum primo & inſtitutum ab illuſtri muliere Diva Gualtrude, Duciſſa (ut vocant) Lotharingiæ, qui Ducatus tunc temporis continebat Hannoniam, Brabantiam, Cameraceſium, Haſbaniam, Arduennam & uſque ad ipſum Rhenum extendebatur. Cui collegio præeſſe voluit Abbatiſſam & luculentam profecto ditionem cum civili pariter atque Eccleſiaſtica juriſdictione & ampliſſima poteſtate ex patrimonio ſuo attribuit ita, ut in Hannonia quidem poſſideret Montes, Frameriam, Chenium; in Brabantia Hermeſium, Ganiſtras, Herentalium, Brenniam allodialem & alia quædam loca.

Valencena civitas.

VALENTIANARVM orignem quidam deducunt ab Imperatore Valentiniano in hunc locum delato & amænitate loci fertilitateque mirificè capto, qui aliquam diu hic ſubſtitiſſet & circa qualemcumque arcem hanc urbem fundaſſet, quam de nomine ſuo Valentinianam vocaſſet plurimiſque donaſſet privilegiis

Aſyluin.

& immunitatibus, ac præſertim jure *Aſyli*, quo non ii modo qui graviter eſſent obærati, ſed & homicidii rei tuto poſſent confugere. Sita eſt nobilis hæc urbs ſub latitudinis grad 50. min. 10. in amæniſſima valle ad Scaldim flumen, quod mediam fere interluit, & una cum Ronella; altero eam ad portam Cardonam intrante fluviolo, tantam adducit aquarum abundantiam, ut præter compluſculas Inſulas mire fortes & momentoſas per ſingulos fere Vicos ſubter domos labatur perennis quidam & jugis rivus, non privatis tantũmodo civium uſibus, ſed in genere quoque urbi muniendæ peropportunus ita, ut in ſingulis pene paſſibus exſtrui poſſint propugnacula & potior urbis pars extrinſecus inundari; ab altera parte adſenſus eſt collium formam obtinens & latæ admodum profundæque foſſæ, vallis & muris validiſſimis communitæ, quæ omnia urbem externo hoſti pene inexpugnabilem faciunt, quod eventus non ſemel, adverſariis eam cingentibus comprobavit. Spectantur adhuc inter portas Tornacenſem & Duacenam reliquiæ quædam veteris caſtri, turres puta & id genus parietinæ, Scaldi & interioribus opidi propugnaculis clauſæ. Diſtant Valentianæ Montibus, Inſulis, & Tornaco pari fere ſeptem leucarum intercapedine, opidum ſane amplum, amœnum, plurimiſque ac ſumptuoſis ædificiis, inter quæ nonnulla ſunt operis mire antiqui publicè priva-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [76] - -

Opera publica.

timque concinnum. Spectabile autem præ ceteris publicum hujus urbis armamentarium. Primarium ejus templũ est Deiparæ Virginis quod incolis dicitur *noſtre Dame la grande* fundatum jussu Richildis olim Hannoniæ Comitis; ædificium certe haudquaquam novitium, sed antiquo opere & summa arte factum, in quo variæ & perpulchræ spectantur columnæ, partim ex marmore, partim ex porphyrite, quæ triplici ordine distinguuntur, mirandosque efficiunt arcus, & ampliſsima infra supraque inambulantibus concedunt spatia, grato ac peramæno aspectu. Alterum inter primaria templa Divo Ioanni sacrum est, opus multo quam prius illud recentius, ut quod olim fortuito igne flagraverit; conditum uti affirmant à Pipino Caroli Magni patre vel, ut alii longe prius à Galliæ rege Theodoro, ac tunc fortasse, quam postea sumptuosius, sed & hodie satis magnificum. Sunt deinde & alia quædam templa, & præsertim tria cœnobia mendicantium, in quibus peramplum illud & pulcherrimum Divi Francisci splendidiſsimis aliquot Hannoniæ & Valentianarum Principum tumulis & scitiſsimis epitaphiis exornatum. Sicut apud Sodales Divi Dominici tumulus visitur Ioannis Avennensis, Balduini Imperatoris Constantinopolitani nepotis. Sunt præterea Monasteria, Xenodochia, aliaque id genus loca, pietati & religioni consecrata, lauto satis proventu gaudentia. Est & nobile illud Collegium viris doctis affatim instructum, ubi juventus Græcis, Latinisque literis eruditur, & sanctis honestisque præceptis imbuitur. Item domus & receptacula tenuioris fortunæ puerorum & puellarum, qui à pluribus utriusque sexus magistris varia addiscunt opificia, atque hæc omnia tam insigni disciplina, tamq; exactis legibus, ut vel inde civilitas simul & magnitudo hujus reipublicæ pluribus modis eluceat. Abbatia D. Ioannis etiam est celeberrima. Curia item ampliſsima cum horologio admodum concinno, opus Guilielmi Boni Comitis Hannoniæ, & Zeelandiæ. Vno milliari à Valencena est Abbatia *Vicoigne* bonorum & antiquorum referta librorum. Sunt ad hæc Condatum *Conde* ad dexteram Scaldis ripam duobus miliaribus Valencena distans, oppidum elegans. Landrecium *Landrecy* ad Sambram, celebre obsidione Caroli V. Anni CIↃ IↃ XLIII. qui tamen eo per vim potitus non est. Avesnæ *Aveſnes* urbs & munimentum Gallorum finibus oppositum, ad Hepram fluvium. Chimacũ Chimay urbs ad fluvium Blancam in media sylva; id nuperis bellis sæpius incensum & dirutum, ad extremum tamen ita restitutum ut multo elegantius renatum sit. Palatium habet Principale cum horto & Labyrintho singularis artificii. *Halla* Brabantiæ finibus contermina, templo D. Virginis celeberrima. *Bocchain* municipium est situm ad ripam Scaldis fluvii inter Cameracum & Valencenas, extructum à Pipino in memoriam nobilis victoriæ, quam hoc loco retulit ab exercitu Theodorici Gothorum Regis. Quercetum *Quieſnoy* oppidulum est tertio lapide à Valencena, mercimoniis nobilitatum. Bellusmons Beau-mont oppidulum elegans à re sic dictum. *Mariæburgum* nomen habet à Maria Hungariæ Regina, quæ jussu Fratris Imperatoris hanc urbem prima exstruxit, paullo post quam Martinus Rossemius & Dominus de *Longueval*, cum exercitu Gallico profecti essent ad obsidendum Lutzenburgum, Anno CIↃ IↃ LIV. Quo tempore Philippus ad excursiones Gallorum cohibendas aliam urbem exstruxit sesquimilliari à Mariæburgo, dixitque eam à nomine suo Philippolin Philippeville. Sunt & Bavacum Gallice *Bavais*, quod nonnulli Baganum vel *Bagacum* Ptolomæi esse arbitrantur; nonnulli illud *Belgium* Cæsari in commentariis dictum volunt, sed refelluntur ab iis, qui in Bellovacis, seu Picardiæ quodam loco, firmioribus argumentis eandem collocant. Sunt & oppida *Maubeuge*, *Bins*, *Reux*, *Soigny*, *Braine le Comte*, *Engien*, *Cheure*, *Ath*, *S. Guillien*, *Leuze*, *Peckincourt*, quamvis nunc mœnibus destituta sint duo postrema. Pagi sunt præterea CCIↃ L, quorum plerique omnes pulchri, amœni, opulenti.

Oppida minora.

Pagi.

Flumina.

Regio lacubus, stagnis, fontibus ac fluminibus undique irrigua. Fluminibus Scaldi, Sambra, Tenera, Hania & aliis. Silvas habet & nemora admodum jucunda, præcipua vero sunt *Mormau* & *S. Amandi*. Porro Respublica Valencena tanta prudentia constituta & tam bonis legibus ornata est, ut Noribergenses ad ejus exemplum celebrem suam Rempublicam voluerint componere, missis ad hanc rem aliquot viris prudentibus, quod & Romanos fecisse legimus in Repub. Athenienſi. Proinde non est mirum si ex tam præclara Politia orti sint cives per universam Europam virtute celebres. Inter quos primas ferunt Henricus VII. Imperator, Dux Lutzenburgicus. Maria filia unica & hæres Caroli Audacis, avia Caroli quinti, Ioannes Froisardus Historicus nobiliſsimus, qui etiam hoc ipsum initio sui operis testatus est. Gens hujus regionis bellicosa & erga Principem fide & officio incomparabilis. Libertatem vernaculo & trito proverbio jactare solent, quum dicunt, *Pays de Hainault tenu de Dieu & du Soleil.*

Sylvæ.

Respublica Valencena præstantia & gravitas.

Viri virtute celebres.

Gentis indoles.



ARCHIEPISCOPATUS, CAMERACENSIS vulgò L'ARCHEVESCHE DE CAMBRAY.

CAmbracum Galliæ Belgicæ inter Sequanum & Rhenum urbs arce & mæniorum ambitu adeo munita, ut una ex primariis istius Provinciæ urbibus habeatur. Ad quam magnificentiam priusquam nostris temporibus excresceret, maximas difficultates & varios fortunæ casus experta fuit, & id quidem ea occasione, quod nobilissimæ Belgarum Provinciæ, multis retro seculis semper in summo precio sint habitæ; eaque de causa Principes, Reges, populiq; plurimi de earum Principatu & dominio obtinendo, summis conatibus contenderunt. Situs etiam opportunitas Gallũ illexit, ut huic potissimum insidiaretur. Vetus Samarabrina putatur, ubi Cæsar totius Romani exercitus nervum, obsides civitatum, literasque publicas, frumenta & res cariores, tanquam in firmo tutoque loco collocare solebat. Geropius Becanus, in artificiosis conjecturis, quas in suis originum libris explicat, communi multorum sententiæ, ut solet, reluctatur, existimantium Cameracum esse Cæsaris & Veterum Samarobrinam. Cum à Bellovaco, plus, quam triplo amplius absit, quam viginti millibus passuum. Hactenus sane Bellovacum, viginti quinque, id est totidem millibus passuum, quot Cæsar annotavit, ab Ambiano est remotum, ita ut nihil dubitem (ait Becanus) Ambianum Samarobrinam Ambianorum esse. Qui contrariam opinionem defendunt, non ineptum sententiæ suæ defensorem Hubertum Leodium allegant. Quoniam (inquit ille) audiam quam plurimos, de Samarobrina subdubitare & vereri nenon sit Imperialis illa & vere amæna civitas, quam Cameracum hodie dicunt, errare eos vehementer, & nullum aliud oppidum esse confirmandum est. Primum non me movit Ptolomæus, qui Samarabrinam civitatem Ambianorum facit; nam etsi civitas Ambianorum Samarobrina fuerit, non propterea sequitur, Samarobrinam esse Ambianum, oppidum Gallice *Amiens*. Potuerunt enim Ambiani alia quoque habuisse oppida, quorum Ptolomæus non meminerit, nihilominus tamen Ambiani, id est, *Amiens* non usque adeo tum magnum oppidum, uti nunc est, ut veteres muri docent. Sic etiam idem Ptolomæus civitatem Rhemorum Durocotorum, & Cæsaromagum Bellovacorum appellat. Cum ea tempestate & Remi & Bellovaci, sicut hodie, oppida erant & gentis & oppidi nomen est. Habuerunt autem sub se Suessones duodecim oppida, ut libro secundo scribit Cæsar, quorum Bibrax unum, hodie *Braine* quatuor mill. Gallicis à Suessonibus Comitatus titulo decoratum; & item Noviodunum *Noyon*, Bellovacorum vero Bratuspantium erat oppidum. Quare nihil agunt, qui Samarobrinam Ambianos esse putant. Cum autem Cæsar esset Samarobrinæ, id est, Cameraci, ut nunc vocant, & certior esset factus de oppugnatione castrorum Ciceronis in Nerviis, misit nuncium statim in Bellovacos ad M. Crassum, cujus hyberna aberant ab eo millia passuum viginti quinque. Ubi notandum Bellovacorum urbem paulo amplius distare à Samarobrina, sed hyberna Crassi, non ipsa urbe Bellovacorũ, sed in eorum finibus aliqua parte fuisse ita, ut dimensio non obstet. Alterum nuncium etiam in Æssuos ad C. Fabium misit, ut in Atrebatium fines legionem adduceret, qua sibi iter faciendũ sciebat. Erant Æssui, qui circa oppidum *Aët* habitant, quod Superiores Germani *Aës* vocant. Fabius autem ut imperatum erat, non ita multum moratus in itinere, cum legione occurrit, quod omnino faciendum ex Æssuis in Atrebates ire volenti. Ad Labienum item, ut veniret in fines Nerviorum scripserat, si reipublicæ causa & commodo facere posset. M. Crassum Samarobrinæ præfecit. Post liberatum Ciceronem legiones circa Samarobrinam retinuit. Et profecto commodiorem locum habere non poterat. Neque enim putet quisquam urbem Cameracensem novam esse, aut intra paucos annos in tantam amplitudinem excrevisse. Est certe nobilis illa Samarobrina, de qua ad Trebatium scribit Cicero. Una collocutio nostra pluris erit, quam omnes Samarobrinæ. Et in alia Epistola; O præclara castra, quid tu fecisses, si te Tarentum & non Samarobrinam misissem. Et quotnam amplius dubium esse poterit, quum nomen ipsum indicet, quod quærimus. *Cambray* Galli, Itali vero *Samberey* dicunt; vide quam facile Samarobrinam inde fecerint. Si ex *Amiens* faciunt Ambianos, ex *Beauvois* Bellovacos, quid vetat, ex *Samberey* Samarobrinam fieri.

An Cameracum sit Cæsaris Samarobrina.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [80] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [91] - -

Cameracenſis Archiepiſcopatus.

Situs ad Scaldim. Eſt autem ſitum Cameracum ſub longitudinis quidem grad 21 minut. 16. Latitudinis vero grad 50, min. 18 ad Scaldim flumen, quod mediam fere urbem interluit. Diſtat Valentianis ſeptem leucarum intervallo. Ædificia publica privataq; habet egregia, templa & monaſteria ad miraculum pulchra. Sed inter omnia eminet antiquiſsimum illud & ſumptuoſiſsimum templum Deiparæ Virginis, Epiſcopali præcellens, cujus quidem ampliſsima Diœceſis longe lateq; extenditur. Civitas opulenta potens & negotiatoribus, merciumque varii generis opificibus frequentiſsima. Conficiuntur hic quotannis ſexaginta, ut minimum tenuiſsimi Carbaſi millia, quorum telæ ſingulæ quadragenis fere florenis æſtimantur, ſic ut vicies quater centena millia florenorum excurrit ratio.

Diœceſis late patet. Cameraco ſubeſt Caſtellania cum ampliſsimo territorio, quod vulgariter *Cambreſis*, latine ſcribentibus Camerasium dicitur, ubi complures ſunt pagi & magni momenti loca, nominatim vero ſexta ab urbe leuca celebratiſsimum illud Caſtrum Cameracenſe, in quo pax inita inter Chriſtianos Principes. Oriundus eſt ex hac arce Michaël EſnæusCominus Betencurtius vir natalibus clarus & literis, præſertim Poëticis. Gaudet vero Cameracum perantiquo Epiſcopatu, ut quem inde à Vandalorum temporibus adminiſtratum comperimus à Diogene Martyre, præſule omni virtutum genere ornatiſsimo, Anno deinde 595 tenuit eum Beatus Gangericus, magnus ille & venerandus antiſtes, ordine quintus, quem & alii aliquot præſtantiſsimi viri hoc tanto dignitatis gradu ſecuti ſunt, qualis, præſertim Petrus Aliacenſis, præſul longe doctiſsimus, qui ob raras virtutes Lutetiæ primum factus eſt ejus EcclеſiæCancellarius. Hinc ad urbis huius Epiſcopatum, atq; inde porro ad *Archiepiſcopatus.* Cardinalitiam dignitatem aſcendit. Archiepiſcopatum fecit Pontifex petente Philippo II Hiſpaniarum Rege, in gratiam Ludovici Barlemontii, primi Archiepiſcopi. Sunt autem Archiepiſcopi temporales ſimul & Eccleſiaſtici urbis & territorii Cameracenſis Domini ſic, ut in titulis ſe nuncupent Archiepiſcopos & Duces Cameracenſis, Principes ſacri Romani Imperii, Comites Cameracеſii.

Res geſtæ. Fuit hoc omnium Galliæ Belgicæ oppidorum primum, quod exercitu eo traducto, occupavit anno 445 Clodius Capillatus, Francorum Princeps, longo tempore, poſtquam illud exuſſiſſent Dani, una cum templo & monaſterio Divi Gangerici. Inſtauratum coaluit cum Comitatu Hannoniæ, ſed avulſum hinc rurſus una cum ſuo ſtatu ac territorio Cameracеſii, liberiſque Imperii urbibus accenſitum ab Imperatoribus Germanis. Expugnatum etiam fuit à fortiſſimo illo Balduino Pio, Comite Flandriæ, bello, quod ipſe & Lotharingiæ Dux Godefridus geſſere cum Imperatore Henrico tertio: ſed Cæſari, pace facta, reſtitutum. Tandem vero ab Imperatore Henrico quinto in tutelam hæreditariam attributum Roberto Hieroſolymitano, Comiti Flandriæ, Principiq; Aloſtano, primo hujus Dominii protectori, quam dignitatem propriam, poſtea fecit Comitibus Flandriæ, Theodori Elſatii tempore, id eſt anno circiter, 1164, Imperator Fridericus ejus nominis primus. Quibus omnibus nonobſtantibus, vindicarunt ſibi perpetuo Galli, neſcio quodnam jus & imperium in hunc ipſum ſtatum, quem & pluries occuparunt & fortiſſime ſæpe defenderunt, præſertim regnante Philippo ſexto, cujus tempore premebatur Cameracum duobus potentiſſimis exercitibus, altero Ludovici Bavari Imperatoris, altero vero Eduardi tertii Regis Angloru̅, qui etſi adverſus Gallos fœderati, urbem tamen ſubigere nequirerunt. Durarunt hæc inter Imperatores & Gallos bella variis ultro citroq; ſucceſſibus per continuas aliquot ætates. Nuper vero diſſidentibus inter ſe & aſperrima bella gerentibus Maximiliano Romanorum & Ludovico undecimo Galliarum Regibus, cives Cameracenſes male à Gallis habiti præſidiarium Galli militem urbe expulerunt, admiſſis in ejus locum Cæſarianis, quod exemplum ſecuti ſunt Bochanienſes. Quin & Quercetum id temporis aliaque finitima loca, editis paſſim egregiis fortitudinis ſuæ documentis, Cæſar Gallis eripuit. Vivebant autem, quamvis ſub Flandrorum eſſent tutela ac protectione Cameracenſes juxta veteres ſuas leges & privilegia, neque per bella inter Burgundos & Gallos quidquam patiebantur incommodi, ſed adibantur potius ab utriſque & comiter amiceque tractabantur. Ita ut ſæpius in hac urbe actum inter utroſque fuerit & peractum de pace, nominatim vero de illa, quæ Venetorum damno inita fuit anno 1508, deq; altera anno 1526 Florentinorum mala ſtabilita. Verum Carolus V male metuens ſibi à conſiliis Gallorum, Landrecæi ab ipſis anno 1543 habitis, ſtatim, ut ii diſceſſerant, cum exercitus parte urbem intravit, & quo tutam præſtaret, ab omni hoſtili inſultu, ditioneſque Belgicas roboraret, exſtrui juſſit arcem munitiſſimam, ipſa urbe ceteroqui intacta, neque priſtino illius ſtatu ullatenus immutato. Obortis in Belgio belis civilibus eam occupavit Dux Alenzonius. Sed non diu poſt ad Dominum ſuum rediit Hiſpaniarum Regem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [82] - -
PUBLIC DOMAIN

HOLLANDIA
COMITATUS.

Regio unde dicta.

HOLLANDIÆ nomen à cavitate deducendum, quasi Hol-land dicas, indicare non obscure videtur ipsa regio, quæ universa propemodum palustris, ac pulsu pedum quasi vacillat, unde vulgo *Hollandt bollandt* dicitur. Alij ab *Holt* sive *Hout* id est *Lignis* & *Hoy* id est *fæno* denominatam arbitrantur, ut *Hollandt* sonet regionem silvestrem, aut fæno abundantem. Sed arguuntur ij, quod nec *Holtlandia* sive *Houtlandia* nec *Hoylandia* denique regio nominetur. Eruditissimus Hadrianus Iunius, & ante eum popularis ejus Petrus Nannius, qui ab historia nominationis originem auspicantur, Hollandiam Gothicæ Danicæque gentis coloniam esse, ut & Zeelandiam persuasum voluerunt, & ita appellatam ab insulâ Codani sinus, quæ *Oelandia* hodieque dicitur. Sed & hic planæ aliud esse *Olandiam* & aliud *Hollandiam* facile pateat, si vocis utriusque genium videamus. *Oelandia* enim Danis dicitur ab *Oe*, quod *Insulam* significat; sicuti & nostris olim majoribus *Eil* insula est dicta ab *ydel* & *oede*, quibus loca deserta notabantur, ut omittam addere haud quaquam ex Oelandia, exigua nec admodum nobili Codani sinus insula, sed ipsa e Dania classibus profectos, nec Oelandos, sed Danos & Normannos vocitatos, qui oras olim Hollandiæ afflixere. Eam à plaga mundi Occidua Britannicum mare, à Boreâ Cimbricum ambit & littora pulsat, ab Ortu fretum amplum Frisiam procul aperit, ad Euronotum Transisalania & Velavia, ad Austrum Trajectina ditio obtenduntur. Ambitus ad lx milliaria patet, latitudo perexigua est, quandoquidem è meditullio ejus creditur viatori patere aditus ad extremos ipsius fines in latum trium horarum spatio: vel etiam hinc ad Oceanum, illinc ad maris sinum, est, ubi latitudo non æquat milliare. Habet regio ipsa agros hinc inde non infrugiferos, sed qui tantillo in spacio & in regione, quâ vix alibi est populosior, haud sufficiat ad suppeditandam tantæ multitudini alimoniam. Pascuorum interim ubertas summa est, qua boum alit armenta infinita: Vaccas quoque corporum vastitate, lactis copia eximias. Constat sane, aliquibus Hollandiæ partibus boves æstivis diebus, quatuor & quadraginta lactis heminas in mulctralia singula refundere. Iohannes etiam Benningus consiliarius curiæ Hollandicæ, referente Guicciardino, certa observatione & minimę fallente calculo ostendit tantum Assendelphi, & quatuor vicinis pagis lactis uno anno è vaccis colligi, quantum e Germania superiori Rhenensis vini devehatur Durdrechtum. Ex hac lactis optimi copia butyrum conficiunt, non barbarum modo gentium, ut Plinius vult, sed Regum & principum cibum laudatissimum. Conficiunt etiam caseos Parmensibus aut Placentinis nihilo inferiores. Primæ tribuuntur Thessalico & Gravesandico: secundæ Edamensi, quem imprimis vetustas commendat. Equos etiam generosos profert, in collibus arenarijs cuniculorum innumeram multitudinem habet: Cervorum etiam damarum & leporum frequentiam inque Hagiensi nemore capreolorum greges, avium quoque capturam quæstuosam, imprimis anatum, anserum, & autumnalibus mensibus scolopacum, quas Plinius rusticulas, Martialis rusticas perdices, nostri *Sneppas* vocant. Est & halecum, quos *Haringos* nominamus, etiam in Austrino sinu, præter alia genera piscium, captura quæstuosissima. Habet & cespitem fossitium, qui ex intimis haustus terræ penetralibus ipsisque adeo ex aquis eductus, ventoque & sole exsiccatus, ad focos adhibetur, idque ob lignorum præcipue ac silvarum raritatem, ut vel inde pateat, nihil esse inficetius, quam à lignorum arborumque copia venari Hollandiæ etymon, de quo superius indicatum est. Quamvis interea omne lignorum genus ad utensilia ac operas fabriles naviumque atque ædium extructiones spectantia, vix uspiam major habeatur copia. Quod de lana linoque deque tritico & vino similiter dicendum, vix eorum singulorum exstare uspiam usum ac copiam, uberiorem, cum tamen nec armenta lanigera, nec lini segetem nec vineta ad vini implenda dolia Hollandia habeat. Undę haud abs re fuerit elegantissimum Iosephi Scaligeri de Miraculis terræ Hollandicæ ad virum nobilissimum Ianum Dousam, Nordvici toparcham Epigramma his proxime subjicere: quod est ejusmodi:

Ignorata tuæ referam miracula terræ
DOVSA, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hic lassat textrina Minervæ:
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles oppida vestra:
Nulla fabris tamen hæc ligna ministrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi:
Pascuus hic tamen est, non Cerealis ager.
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis;
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hic nulla, aut certe seges est rarissima lini,
Lanifici tamen est copia major ubi?
Hic medijs habitamus aquis; quis credere possit?
Et tamen hic nullæ, DOVSA, bibuntur aquæ.

Situs

Soli fertilitas.

Animalia aliarumque rerum varietas & affluentia.

Olim hæc regio, cum nondum Hollandiæ nomine, sed suo & primævo vocabulo *Batavia* censeretur, Reges suos habuit, ut veteres testantur, & in his præsertim Cornelius Tacitus. Nec tamen eos Reges fuisse, cujusmodi Syria Asiaque & suetus Regibus quondam Oriens habuit, indicat idem, cum neget Germanorum regibus *infinitam aut liberam fuisse potestatem*, sed tales, qui in consilijs auditi *auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate*. Quo pręterea tempore eadem Batavia longe, quam hodie Hollandia, porrectior intellecta, cum magnam quoque Gelriæ partem, quæ hodie *onder* & *boven Betoue*, id est, *inferior* & *superior Batavia* nominatur, tum & Trajectinæ diœceseos ingentem simul laciniam comprehenderit, & sese ad usque Oceanum mare, intra duo ostia (quorum alterum Plinio *Helium*, ubi nunc Brila: & alterum *ob medium* seu modici alvei, ubi nunc circiter Egmonda) quam longissime expanderet; At quod hodie Hollandiam diximus, id præcipue intelligitur, quod infra Goricomium secundum Mosæ profluentem à Dordraco & Briela adusque fere Harlemum & Amsterodamum exporrectum patet, quamvis Rhytmicum Hollandiæ chronicon, annos ante trecentos concinnatum, bipartitam præcipue Hollandiam suo ævo statuit, Borealem & Australem. Borealem haud ultra Harlemum producit, eique Delphos, Leydam, Scidamum aliaque eis Mosam oppida includit, imo & ipsum Harlemum non Hollandis proprie, sed Kenemarijs, vel, ut scribunt nonnulli, Kennemarijs (qui Plinio & Tacito Caninefates) adscribere videtur, cum inquit, Haerlem in Kenemerlant. Australiori parti, quam aquis absorptam maxima sui parte refert anno 1287, attribuit præsertim Geertruidenbergenses, Dordracenos, Vornenses cæterosque trans Mosam proximum sitos. Amsterodami quoque ad annum 1296 nominatim semel, agri vero Amsteliani sæpenumero mæminit; sed ut territorij adhuc dominorum de Amstel.

Imperiii Majorâ

Limites regionis antiqui.

Limites hodierni.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [83] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [84] - -

Hollandia Comitatus.

Comitū Hollandiæ quādo dicti.

Postea, aspirante victoria, subactisque occiduis Frisijs, adusque Flevi in oceanum borealem exitum, omnia Hollandici Iuris ac nominis reddita. Inter Comites Hollandiæ Theodoricus quartus Hollandiam peculiari olim nomenclatura solius Fladertingæ nomine Hollandiam complexus est, seque *Fladertingæ Marchionem* appellavit, ut habet Hermannus Contractus inde anno 1083 omnium primus Theodoricus, ejus nominis quintus, se *Hollandensium Comitem* scripsit ab Hollandia, ut dictum. Quæ vox terram uliginosam & palustrem significavit, quo præsertim nomine ac facie prope diœcesim Trajectinam pagus eo circiter tempore fuit, uti monuit ex Trajectinis tabularijs Gulielmus Heda, Præpositus Arnhemiensis, Hollandia dictus, à quo & reliqua ejusdem indolis terra, ut & idem existimat, Hollandia dici paulatim cæpit. Nam, ut habet in super Dictionarium Theutonico latinum Gerhardi à Schueren, Cancellarij quondam Ducis Clivensis, quod anno Christ. 1477 concinnatum est, ipse Theutonistam appellat, *Broick*, *Venne*, *Hollandt*, *Gotr* unum idemque notet, loca scilicet depressa ac paludosa. De quibus singulis videnda plura in Disceptationibus Chorographicis quas edidit superioribus annis adversus Philippum Cluverum Ioh. Isacius Pontanus. Ipsorum vero

Imperiū Comitū.

Comitis tantum Præfectus sit, & regio tota vicis ac urbibus frequentissime habitetur, ejusmodi in universum regimen est: Urbium cura penes cujusque senatum & magistratus, quibus concessum intra suum territorium & leges quasdam condere, & ad urbis necessitatis onera imponere. Senatores perpetui: magistratus seu Consules annui. Hi jura plebis & urbis statum defendunt, Scabini judicijs præsunt. Quibus accedunt, qui Balivi & Sculteti dicuntur. Consulibus ut plurimum juris periti, quos Pensionarios vocant, assidere pro more solent. Vicorum jurisdictio duplex est. Minor per Scultetum & Scabinos: major per Balivium & Feudorum possessores, aut agros colentium potissimos, quos benenatos vocant, peragitur. Saltuum ac venationum cognitiones penes Saltuarium ejusque ministros sunt, aggerum vero quibus Hollandiæ salus vel maxime continetur, est penes Dycgravium, hoc est, aggerum Comitem & Heymradios. Ab horum sententijs, ad Curiam Hollandiæ provocatio est; ipsæ quoque Urbium controversiæ, aliaque magni nomenti hic disceptantur. In hac sedent, vetere instituto, viri nobiles, tum alij legum ac morum periti. Horum caput est ipse Præfectus Hollandiæ: cui præterea præsidijs imperare, magistratus banos è nominatione eligere, & criminum pœnas remittere conceditur. Est & collegium Rationalium, qui res fisci quæstorum ministerio regunt: Ter quaterve aut quoties res postulat, annis singulis indicitur Ordinum conventus, penes quem summa est Hollandiæ potestas. Nobilium ordinem referunt generis splendore & vicorum ditione præcipui, numero ferme duodecim. Urbes, quæ ad concilium legatos suos mittere plerumque solent, hæ sunt: Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amstelodamum, Gouda, Roterodamum, Gorichemum, Scidamum, Schoonhovia, Brila, Alcmaria, Horna, Enchusa, Edamum, Monochodamum, Medenlaca, Purmerenda. Sententiam primo loco dicit nobilitas: deinde urbes suo quæque loco. Nec aliter fere ista Comitum temporibus fuere, nisi quod ea, quæ penes Comitum erat reipublicæ procuratio, Ordinibus & Præfecto accrevit. Cæterum ab Hollandiæ de qua dictum, Curia provocari olim ad Mechlinienſe auditorium solebat, cujus in locum plures ante annos, Hollandi, Zelandique novum consessum virorum doctrina eminentium instituere, à quorum sententijs non appellatur, supplicari tantum Ordinibus solet, ut lectos extra ordinem judices ad collegium adjungant, qui diligenter exquirant, rectene an secus sit judicatum. Auctis cum bello & oneribus & negotijs, alius quoque consessus institutus, qui Hollandiæ ærarium regit. Constat ex his, quos nobilitas & urbes pro se singulæ deligunt, ac subinde mutant. Sub horum inspectione ab alijs item quæstoribus ærarij rationes examinantur. Est & Collegium Fœderatorum Ordinum, in quod non tantum Hollandi, sed & reliqui fœderati, ut Gelri, Zeelandi, Trajectini, Frisij, Transisulani, Groningani deputatos suos mittunt. Hic & ea, quę inter nationes controversa sunt, disceptari consueverunt. Adjunctus his senatus, penes quem fœderum cura militiæque est regimen. Sunt præterea per Hollandiam, Zeelandiam, Frisiamquè dispositа collegia eorum, qui maris & maritimorum vectigalium curam agunt, mandata habent ab Ordinibus fœdoratis; vulgo Admiralitatis collegium vocant. Hinc, quæ tabulis seorsim expressæ sequuntur Hollandiæ partes, ut sunt Australis Hollandiæ insulæ Gorea, Vorna, Iselmonda aliæque, una cum Maselandia Rhinolandiaque, & ei Oppositа borealis Hollandia, Noorthollandia dicta, inspicienda nunc una cum partiū in singularium urbibus nonnihil proprius.

Hodieynum.

Hodie cum loco

Quo autem Ordines ipsi, qui Statum politicum constituunt, distinctius ob oculos proponantur, schema proximum his subjiciendum putavimus.

Statum politicū *Hollandiæ tres Ordines constituunt.*

- Primus Ordo sunt Equites aurati (Ridder Heeren vocant) quorum præcipui sunt.
  - Com. olim Egmont, Com. de Ligni, quo spectant Dominia, Wassenar, Valkenborch, & Vicecomitatus Leydensis civitatis.
  - Nominantur & hi Comitatus in Hollandia, Maeslandt, Texel, Goylandt, Kennemerlandt, Steenberge.
  - Dom. & Baron. Brederode, cujus est & Dominium Vianen; Est & Baronatus de Lijssfelt.
  - Referuntur quoque inter Baronatus in Chronico Hollandiæ hæc Dominia, Lecke, Sevenbergen, Voorn, Isselsteyn, Stryen, Teylingen, Putten, Haerlem, Leerdam, Asperen, Arckel, Altena, Botterfloet.
  - Poelgeest, Polanen, Lochorst, Assendelft, Warmont, Duvenvoorde, Sparwoude, Matenes, Schooten,
- II. Est Dominorum, quorum inter cæteros hi sunt.
  - Noortwijck, Schagen, Buchorst, vander Does, van Amstel, Spangen, Alcmade, Benthuysen, Heenborch,
  - Raaphorst, Sweten, Heemskercke, Ruten, Duyn & Sprangen.
  - Sunt præterea & hæc in Hollandia Dominia, Hoesden, Outheusden, Papendrecht, Wijngaerden, Ghisselborgh, Ameide, Woerden, Waterlant, Schagen, Purmerende, Goude, Naeldtwijck, Rijswijc, Schoonhoven, Wateringhen, Soetermeer, Heemstede, Hoochtwoude, Merwen, Haestrecht, Dalen, Spijck, Hardinxvelt, Bardtwijck, Wijck.
- III. Ordo sunt sex magnæ civitates, quæ nomine omnium Hagam convocantur.
  - Dordrecht, metropolis totius Meridionalis Hollandiæ, habet prætorem & Magistratum, cui cives parent, & Balivum, cui exterius territorium, tam in civilibus quam in criminalibus subest.
  - Haerlem, prætorem & magistratum domi habet, Ruri, Balivum qui civilibus & criminalibus præest.
  - Delft, prætorem & magistratum pro civibus, Balivum pro rusticis habet, in civilibus & criminalibus jurisdictionem exercentes.
  - Leyden, Prætor & Magistratus intus, foris Balivus præsunt, qui in civilibus & criminalibus jurisdictionem habent.
  - Amsterdam, domi prætorem & magistratum, ruri Balivum habet, qui civilia & criminalia judicant.
  - Goudæ, prætorem & magistratum habet, pro civibus & incolis, Balivum quoque & arcis præfectum olim.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [85] - -
PUBLIC DOMAIN

HOLLANDIÆ
II. TABULA

Continens, Delflandiam, Schielandiam & circumjacentes insulas, ut Voorne, Ouer Flackee, Goree, & alias.

Australis Hollandia.

HÆC Hollandiæ Australioris pars, ea præcipue complectitur, quæ Mosa amnis vel alluit vel circumfluit; efficiens hoc pacto suo affluxu haud unam insulam. Unde quoque præcipuus oræ hujus districtus *Maselandia*, ut plurimum indigitatur: sicut interior quæ est, Rhenum medium versus, *Rhinolandia*. Ejus olim & antiquissimis seculis cujusmodi facies fuerit, ex Plinio vel maxime est intelligere, qui paucis verbis velut penicillo depinxit, ubi inquit lib. 4. cap. 15. Natural. hist. *In Rheno ipso prope C. M. pass. in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatum, & aliæ Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorumque sternuntur inter Helium & Flevum. Ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus ab Septemtrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter hæc ore modicum nomini suo custodiens alveum.* Quibus ex verbis liquet, inter duo ostia Mosæ & Rheni quà Flevus dicitur, universos hos populos contineri: Et esse medium insuper Rhenum, cui modicum tribuit ostium, de quo inde dicetur. Primo igitur loco Batavos collocat, qui nunc, ut alibi diximus, Hollandi dicuntur, remanente veteris nomenclaturæ tenui vestigio in insulæ superioribus territoriis, quæ nunc ad GelriæDucatum pertinent; *onder & over Betouw* dicta. Quod autem effundere se Rhenum in Mosam addat intelligit superiorem tractum, ubi, accepto Vahali seu Rheno, infra tandem Brilæ oppidum in mare se Mosa evolvit, ut ita hoc, quod *Helium* dicit, occidentale, quod verò Flevum vocat, sit ostium Rheni boreale. Helium verò dictum olim hoc ostium, & ejus hodieque superesse non obscura vestigia, ostendit non unus hisce districtibus locus. Nam & *Helevoets sluijs* haud procul est Brila, *Heli* vocabulum præferens: Et ipsa *Briela*, ab ostii ut videtur latitudine quid aliud quam *Breheel, & Brehiel, id est, latum Helium* sonet? Minores vero, quæ hodie circa hunc in oceanum mare Mosæ exitum, insulæ conspiciuntur, an & olim fuerint, certo affirmare quis possit? cum Plinius simpliciter Batavorum insulam nominet? interim si verum est, quod alibi est disputatum, Scaldim, teste Iulio Cæsare lib. 6 belli Gall. Mosam influere, nihil abs re dixerimus Goream, Voornam, Beierlandam cæterasque hoc loci à Scaldi & Mosa, receptis Mervâ, & qui Goudam transit, Isala minoribus fluvijs constituas jam olim insulas. Harum Gorea & Voorna oceano objecta, arenaceos colliculos, ut reliqua Hollandia, habent, quibus ab impetu atque injuriâ magni maris defenduntur. *Gorea* & insula & civitas dicitur. Inter Hollandiæ civitates, quæ XXXII. numerantur, locum ultimum tenet, ut sunt indicio insignia ejus, quæ HagæComitis est videre in æde majore inter reliquarũ Hollãd urbium insignia certæ feneſtræ inserta loco infimo. Mœnibus ac valle hodieq; destituitur. Vnde & bello superiori militum direptioni facile patuit. Incolæ, ut & cæteri qui insulam inhabitant, algosa retia & nassas, piscatoria instrumenta, ut plurimum tractant, ijsque mare arando vitam tolerant: nonnulli & ijsdem texendis conficiendisque operantur. Nomen loco ab ipsa re, quod statio ibi navibus tuta ac fida sit, ob alvei profunditatem aliaque commoda, ut ita *Goere*, sive *Goderede*, si verbum verbo reddere libeat, nihil sit aliud quam *bona statio*. *Voorna* insula varie in codicibus scribitur. Hollandiæ Chronicon habet *Voervotzee*; alij *Voornerzee* & *Voornotzee*. Sed omnium emendatissime legitur in Chronico Rhytmico *Vernoutzee*, ubi *Ee* sive *Oe* nihil aliud quam insulam notat. Tria præcipue in hac insula, non numeratis pagis, loca eminent, *Brila*, *Geerflietum* & *Heenflietum*. Quibus & addi loco quarto potest ob portus commoditatem. *Hellevoetsluſa*. *Briela* à spatioso liberoque alveo accepisse nomen videtur. Nam ad ejus dextrum latus Mosæ fluminis amnem Rhenus oceano affundit, ut Tacitus loquitur, ut ita fortassis dicta ab Helio, cujus, ut diximus, Plinius hic meminit, occidentali Rheni ostio, & *Brila* nihil sit nisi *Bre-hiela*, id est, *latus Helius*. ut & ante injectum. Quamvis & loca in *Hil* desinentia, ut *Megers hil, Pietershil Ruygen hil* aliaq; circa hunc tractum occurrant. Ubi *Hil*, locum editiorem, collem seu tumulum significat. Situm habet *Briela* circa insulæ ortivam partem, quæ *Ooſt-Voorn* dicitur. Piscatorum negotiationis haliciariæ non infima, inter cæteras, sedes est, ut & *Gheerflietum* & *Heenflietum*. Quæ singula oppida proprium habere memorantur beneficiarium regulum: Sicut & *Somerdicum* & *Oelkensplata*, quæ in insulâ huic e regione posita ortum versus sunt collata, haud procul Zeelandia, sed Hollandicæ singula jurisdictionis. Quibus & *Bommenea* debet accenseri, in insula licet Zeelandiæ Scaldiâ, Scouwen vulgo, sita, ubi celebris est hodie è Zeelandia in proximam, quæ est ex adverso *Hellevoetsluſam*, Hollandicæ similiter, ut memoravimus, ditionis, trajectus. Est porrò in insula Voornensi ditio ac dóminium *Puttena*. Iuxta quam proxime è Mosa alveus procedit, qui à Voorna *Beierlandiam* & *Striam* separat: quarum est singularum, aut olim fuit, proprius beneficiarius dominus, Seorsim ab his est ex adverso *Iſelmonda*, ita dicta, quod Isalæ fluento tenui, ab Isel-ſteinia per Goudam decurrenti, è regione sit objecta. Hic præterea Portegaliæ ac Roonæ insignia territoria occasum versus se offerunt. Insulamque ipsam Mosa vetus, & novus sive Merva Isalaque simul constituunt. Agrum habet fœcundissimum, nec pascuum modo, sed tritico quoque & siligine lætum cujusmodi & ille est, de quo dictum, Voornensis, nisi quod hic insuper Isatis herba, seu rubia, qua utuntur tinctores copiose sata proveniat.

Facies ejus & situs antiquitus.

Helius Mosæ ostium.

Scaldis Mosæ mixtus.

Gorea.

Voorna.

Brila.

Geerflietum. Heenflietum, Somerdicii. Oelkensplata.

Bommenia.

Puttena. Beierlandia. Stria. Iſelmonda. Soli fertilitas.

Hinc ultra Mosam, versus ortum in ipsa fluminis crepidine pagus occurrit ædificijs & amplitudine oppidum æquans *Maeſlantſluys* dictus, & paulo interius vicus *Maeſlant* nomine quo & totus is districtus appellatur, complectens pagos perplures & opidum *Vlaerdingæ*, ad oram fere *Mervæ* seu *Mosæ* novi collocatum. Olim id munitum fuisse ex historia constat: & arcem quoque habuisse, quæ una cum mœnibus voragine Mosæ absorpta perierit. Antiquitatem loci præter ista testatur præsertim *Harmannus Contractus*, qui peculiari nomenclatura Hollandiam est complexus. Nam Didericum quartum ejus nominis Comitẽ *Fladertingæ Marchionem* appellat. Sunt qui volunt gemino & vero nomine Verdingam dici aut dicendam à pensi-

Maeſelandia.

Vlaerdingæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [86] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [87] - -

tando æstimandoque vectigali quod illic scilicet telonium quondam fuerit. Quidquid sit, *dingen* nostrate idiomate disceptare deque pretio contendere, & *ding* item que *dingbancke* forum notare, & *Dingsdach*, diem Martis, quasi litigijs dicatam diem certum est. Annales patriæ stetisse veterem Vlaerdingam circa eam hujus oræ partem volunt, qua Mosa marinis aquis miscetur: atque ibidem arcem à gigantibus conditam, qui è Britannia in has terras appulsi hic primitus sedem posuerint, ut pluribus illi alijsque additamentis fabulose allatis commemorant. Jdem hic tractus, versus oceanum in colles arenaceos adsurgit, quemadmodum & reliquum Hollandiæ littus. Ipsis his collibus adsita est *Gravesanda*, quæ etimo designat *Comitis arenam*. Oppidum fuit superioribus sæculis copiosum, mœnibusque circumdatum, portuque ad Mosam nobile, nunc ab eo diffidet ad tria ferme passuum millia, agro intermedio, quem alluvioni Mosæ acceptum ferre debet, auctum. Turrim habet editissimam, quæ olim veluti pharus navigantibus fuit, quo munere adhuc fungitur propter miram altitudinem, Palatium hic quondam fuit Comitis, & Curia. Hæc deinde à Gulielmo Romanorum imperatore Hagam translata. Hujus palatij extant hodieque vestigia seu nomina idem testantia, ut sunt *via regia*, Hofflaen dicta, velut *aulæ Principis via*, & ager *Hoflant* nuncupatus ab *aulæ* nomine: quin & Curionis loci domus, *Culina palatij* fuisse perhibetur. Habuit & Cœnobium Canonicorum regularium. Nobilitatur caseo primæ notæ cui sapor acris ac morsicans, quique sitim ingeniosam acuat. Ager tritici & quidem optimi candidissimique feracissimus est, ut & *Poeldicanus* qui finitimus est.

Gravesanda.

Soli fertilitas.

Maeslandiæ proxime vicina est *Scielandia*, *ita* dicta à *Sciæ* fluento, cujus nomen oppidum *Sciedamum* assumpsit, quod à Vlaerdinga paucis passibus distans eidem Mosæ imminet, habens portum satis commodum ac spatiosum. Nomen & privilegia urbis accepit demum anno Christi 1274. quo tempore *Novum damum* est dictum ad annum usque 1300. à quo deinde temporis tractu Sciedamum appellari in hunc usque diem suevit. Opidanorum plerique arti piscatoriæ texendisque verriculis ac retibus in halecarium negotium sunt operati. Hinc proxime abest ad eandem Mosæ ripam sita *Delfshavia*, Delphensium portus, de quo mox. Atque inde statim se aperit insigne hujus tractus emporium *Roterodamum*, ita dictum à *Rotæ* seu *Roteræ* rivi emissario, quod urbem ingreditur. Conditumque sat constat ante annos plus minus trecentos, quemadmodum in Batavia sua demonstravit Hadrianus Junius Hornanus; ut facile hinc pateat falli eos, qui à Roterio, fictitio Francorum rege deducunt, & Munsterum sequuti urbis antiquitatem ad annum à nato Christo quadragesimum secundum referunt, aut Regnionem, qui ad annum 778, ait Carolum Magnum *celebrasse pascha in Roterodamo civitate*. Nam ibi vitio scriptum *Roterodamo* pro *Rodomo*, quod est *Rothomagum*, ostendit evidentissime jam nuper in Originibus suis Francicis lib. 3. cap. 3. Ioh. Isacius Pontanus. Oppidum est copiosum, habetque bene constituta fortunæ suæ opes, quas auget partim pannificio non ignobili, partim cerevisia, quam coquit, post Britannicam optima. Sed maxime fortunas sibi mari parat captura halecaria, ad quam parata habet navigia magno numero, quas Busas vocant. Est & ibidem navale ac portus plurium navium capax, quem crepidine lapidea è saxo durissimo coloris cærulei ingentibus impensis communivit.

Scielandia.

Schiedamum.

Roterodamum.

Magnum urbi lumen ac decus addidit Desiderius Erasmus, cujus ibi natales lares demonstrantur, & statua ærea, in ejus honorem à S.P.Q. Roterodamensi publico in foro posita. Distat Roterodamo tribus circiter miliaribus *Gouda*, à veteri voce, ut existimat Iunius, nostri idiomatis *Gou* nomen trahens, quæ & fossam & aggerem fossæ oppositum denotet. Sed & fluviolus est, urbem mediam transiens, inter quem & Sciam, Scielandia concluditur, *Gou* dictus, ut vel inde quoque de urbis vocabulo facere coniecturam liceat. Sita est ad Islam, non illam quidem superiorem Gelrorum Islam, in quam Rhenus Drusiano divertigio sese exonerat, sed ad inferiorem, quæ ex medio Rheni alveo ducta per Trajectenses Islsteinum, Montfortium & Oudewateram leviter fluens, mediam urbem secat, copiosam & rebus omnibus affluentem. Vix ullum tota urbe domicilium est, quod observatione haud indignum, cujus non limen præterlabatur aquæ alveus, quod ita scilicet collicijs rivorum urbs undecunque divisa sit. Dynastam olim habuit, & Schoonhovia, Iohannem Blosium, natum ex Ludovico Blosio & filia unica Iohannis Hannonij, fratris Gulielmi Hannoniæ ac Hollandiæ Comitis. Quem eundem Blosium perperam alij ex Iohanne Hannoniæ genitum tradunt. Idem postmodum, ducta Machrilda Gelriæ Ducissa, se Gelriæ Ducem scripsit, & inter cætera, Goudanos suos immunitate omnium teloniorum per Gelriæ oras donavit anno 1372. Reliqui in hoc circo sunt *Delfphi* & *Haga Comitis*. Quorum illi, nomen habent à fossa Hollandis *Delft*, quæ Haga trans urbem in *Sciam* atqve inde *Delfhaviam* usque ut volunt, ducta. Opus est Godefridi Lotharingi cognomento Gibbosi, qui ut erat bellator strenuus & consilij maturus, perspecta loci natura, jaciendis hoc loco urbis fundamentis animum primus adiecit, & metatis finibus ante hos ferme annos quingentos condidit. Coquitur in ea primæ notæ cerevisia quam ei præripere hodie laudem vicinum Roterodamum omni vi omnique industria contendit. Huic urbi natales suos debet David Georgius vitriarius, hæresiarcharum facile coriphæus, *Delphis* subdita est *Delphohavia*, ad Mosæ, ut diximus, crepidinem sita; redeuntque ad Delphenses ejusdem universa commoda. Unde & cataractas ejusdem loci constituere ac reficere aliaque vicissim ferre onera Delphenses tenentur. Hagam quod ab *Heilich busch* & inde contracta voce *Haech busch* dictam nonnulli putant hallucinatio & nugæ sunt. Rectior Hadriani Iunij notatio, quæ Hagæ vocabulo vocari indicat sepem è dumis & senticetis opere topiario factam. Palatium quod ibi elegantissimum est, fossis & piscina perample circumdatum, Gulielmus Hollandiæ Comes, Romanorum imperator, exstrui fecit. Estque ab eodem Senatorum collegium, quod olim sedere apud Gravesandam erat solitum, huc translatum. Ab eâ aliquot passuum millibus littus distat in quo *Schevelingiæ* pagus est, cujus templum, ultra paucos supra centum annos fluctibus absorptum nuspiam nunc comparet. Illud vero, quod exinde magnificentius est exædificatum à mari quam remotissime, satis cum periculo ad littoris viciniam paulatim accedit: cum exinde anno 1570 nova eluvione complanata sint, inque ruinam tracta ædificia fere sexaginta. Ut inde quam infidum hoc littus sit, ac omnia adedat ac subruat oceanus, intelligi queat.

Delphi.

Haga.

Scheveslingia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [88] - -
PUBLIC DOMAIN

TABULA III.
HOLLANDIÆ.

Dordracenſis. Inſula.



DORDRACUM, & quæ vulgo Dordracenſis vocatur inſula, ſive Dortſche waert, ceteraque ut Alblaſſer waert, Crimper waert reliquaque à Moſa flumine & Rheno, qua ſe in Leccam effundit, eſſe conſtituta communis eſt opinio. In his primum locum meretur inſula Dordracenſis, *Dortſche waert* dicta, ab ipſa re: Nam *Waert* ſive *Weert* vox quidem noſtras ſed vetus eſt, quam & Angli ſaxones hodieque retinent, qui exiguam aliquam inſulam *Worth* & *Weorth* quoque dicunt. Hinc *Keyſers weert*, *Bommeler weert* aliaque ejuſmodi, quæ nihil aliud quam Cæſaris inſula, Bomeliæ inſula. Hæc autem Dordracena, circumſcribitur Moſæ præcipue flumine & alveo exiguo, qui recta eam ſecat, Striam & occaſum verſus, de Kil dictus. Ad ortum & auſtrum patens ac latum ſe pelagus aperit, cujus pars verſus Geerthrudenbergam het Bieſbos appellatur, à junco ſcilicet ſive ſcirpo, qui ibi olim in ſolo humido ac declivi læte provenerit. Quod eſt inferius, vulgo het Hollants Diep ſive Hollandicum profundum vocant. Juncea autem hæc ſilva, ſive Bieſ-Bos, de qua dictum, nunc latum mare eſt, in longum patens Germanicis circiter miliaribus quatuor, in latum duobus. Antea ſolum id fuiſſe ſed depreſſum ac declive, in quo juncus ac ſcirpus præcipue magna copia provenerit, ipſum, de quo dixi, veraculum nomen Bieſbos indicio ſit. Perijt & in ſalum, quomodo nunc eſt, inundatione verſum temporibus *Philippi* Burgundiæ Ducis, Hollandiæ Comitis, qui fuit annus 1421. Tunc enim pulcherrimus ibi ager, invaleſcente maris vi, abſorptus deſubito atque in æſtuarium commutatus eſt, una cum pagis ſeu vicis ſeptuaginta duobus præter arces ac villas hominumque ac jumentorũ maximam multitudinem, ut tradunt Junius alijque domeſticas memorias ſequuti: At Crantzius temporibus illis quam proximus, Saxoniæ ſuæ undecimo, parochias haud ultra ſedecim cum populo & jumentis eâ eluvione periiſſe commemorat. Et id Mollerum quoque in Rheni deſcriptione ſequutum reperio. Nec abludat maris, quod hodie relictum videmus, ſpacium, quod ad quatuor circiter noſtratia milliaria longitudinem vix habet, latitudinem duorum tantum, ut eſt indicatum: ut ita vicos iſtos ſeptuaginta duos, contiguas hinc inde domos viciniaſque, non parochias aut pagos fuiſſe, vero haud abſimile habendum.

Silva juncea Bieſbos.

Eminet in eâ inſulâ civitas ipſa, & unde inſulæ ipſi nomen, Dordracum ſive Durdrechtum, ut ſcribunt aliqui. Eam à continente avulſam inundatione anni, de quo dictum 1421, vocatamque Durdrechtum, quaſi *Dureti forum*, præter cæteros, Hadrianus Junius alijq; volunt. At *Drecht* & *Tricht* pro diverſa dialectorum ratione Trajectum potius eſt, ut *Maeſtricht*, *Trajectum ad Moſam*: *Vtrecht* ſive *Outrecht*, *vetus Trajectum* & *Swijndrecht*, è regione hujus urbis, ſuum Trajectus. Quibus poſitis, certum eſt urbibus plerumque ſua nomina à flumine alluente derivari, *Amſteldam*, *Roterdã*, *Sciedam* ab *Amſtela*, *Rota*, *Scia*. Alluiſſe autem hoc emporium flumen, DORTIAM nomine, non ſolum è vetuſtis monumentis, ſed ex antiqua inſuper tabula, quæ in eâ urbe adſervatur, notat libro 3 Variarum Lectionum Cap. 13. v. cl. Janus Rutgerſius; addens, pagum eidem adpoſitum fuiſſe, cui *Dortſmonda* nomen erat, quaſi tu *Dortæ os* dicas, ut *Iſelmonda*, os Iſalæ: eumque pagum graviſſimo illo diluvio anni 1421, quo, ut dictum, urbs ipſa à continenti divulſa eſt, aquis abſorptum eſſe; Dortam autem Moſæ miſtum diſparuiſſe, locum tamen nomen ſervare. Quod ita ſi ſit, quis jam dubitet DORDRECHTUM quaſi Trajectum ad Dortam fuiſſe vocitatum? Antiquitatem deinde loci inde eſtimare licet, quod ejus mentionem facere videatur, ut quibuſdam placet, Regino Prumienſis ad annum Chriſti 898. Urbs eſt totius hodie Hollandiæ primaria, jus, inter cætera, habens ſiſtendi & retrahendi ad ſe merces exoticas, quæcumque ſecundo amni importantur, ut nimirum eo loco ſtabulentur ac conquieſcant, donec divenditæ fuerint. Dordrechto proxime adſita olim fuit arx munitiſſima *Merwede*: cujus mentionem facere putatur antiquus Chronologus Dithmarus, qui claruit ſub annum 1018, *Mirwidu* minus emendate nominans. Ultra id fretum, quod hodie Bieſbos appellari diximus, eſt ſitus in ſolo Brabantiæ ad ſiniſtram Mervæ Mons S. Geertrudis, vulgo Sint Geertruydenbergh, ita dictus à diva Gertruda filia Pipini de Landen, qui aulæ magiſter fuit regis Francorum. Hæc defuncta eſt anno Chriſti 664, in vivis dum eſſet, hunc præcipue locum coluiſſe referunt, fuiſſeq; hoc ipſius hæredium, atteſtantibus codicillis dominæ Hilſwidæ, Comitis Striæ, de qua ante dictum, prope Dordrechtum ſitæ. Hi codicilli ſcripti anno 992, ſervantur in Abbatiâ Thorenſi prope Weertam in Kempis Brabantiæ. Ubi inter cætera hæc leguntur: *Attuli ad dictam Eccleſiam allodium meum, quod in terra meâ de Stryen, glorioſus Rex Zuendebolchus olim perdonaverat: imprimis Eccleſiam de Strien, quæ eſt conſecrata in honorem, Mariæ Virginis, Montem littoris, ubi beatiſſima Geertrudis corporaliter converſata eſt, & cellam habet & beato Amando conſecratam: villam Gillezelam, villam Baerlæ in honorem ſancti confeſſoris Remigij à me conſtructo caſtellum Sprundelheim, cum omni integritate ſicut ſitum eſt ſuper fluvium Merbatta.* De hujus oppiduli poſſeſſione certarunt ſemper cum Hollandis Brabanti. Hodie paret Arauſino principi, qui id ab hoſtibus interceptum, operibus, propugnaculis foſſisque ita communivit, ut inter inexpugnabilia non immerito habeatur.

Geertrudenbergh.

Dordrechtũ.

Sequitur hinc Alblaſſer waert ſive inſula, ita dicta à vico, qui ibidem eſt Alblas & Alblaſſerdam nuncupatus. Cui proxime accedit, quæ eſt in tabula Peutingeriana, circa infima Bataviæ collocatus locus *Tabli* nomine. Viſitur prope Alblaſſerdam Domus ſive arx Souburch dicta, ſpectans ad familiam Coebeliorum Hagæ Comitis. Habet autem hæc inſula Leccæ flumen à parte ſiniſtra. Quod elicem eſſe Rheni, quem medio ac modico ore in Oceanum deducit Plinius, plures ſtatuunt. Abrahamus Ortelius propius conſiderans illa Taciti verba de Corbulone loquentis: *Ne tamen miles otium exueret inter Moſam & Rhenum XXIII M. P. ſpatio foſſam perduxit, qua incerta Oceani vetarentur*, ſtatuit Leccam eſſe hanc foſſam Corbulonis. Cum Tacito. Dio conſentit, ubi de eodẽ Corbulone: *Quum pax eſſet foſſam per militum manus à Rheno ad Moſam perduxit centum & ſeptuaginta ſtadiorum longam, ne ij fluvij æſtuante oceano reſſluentes reſtagnarent.* Sedet ad Leccæ lævam ripam oppidũ haud inelegans Schoonhovia, ita ſcilicet à cultu atque amœnitate hortorum nuncupatum. Sunt enim in hoc tractu pometa belliſſima, quæ certare quodammodo cum Alcinoi pomarijs poſſint. Nobilitatur inſuper felice Salmorum captura. Creditur quæ è Neoporti oppidi, quod oppoſita in ripa ſtetit, ruinis creviſſe. Habet præter Leccam

Inſula Alblaſſer.

Lecca.

Schoonhovia.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [90] - -

præterfluentem etiam elicem ex Isala derivatum, qui urbem mediam perlabitur. Fuit olim hæredium Johannis Hannonij, fratris Gulielmi Hollandiæ Comitis: cujus Iohannis unica filia Iohanna, Domina Gaudę Schoonhoviæ & Tholæ, nupsit Comiti Gallico, Ludovico Blosio, qui ad suam familam hæc traduxit. Unde & tota, quæ est intra Gaudam & Schoonhoviam ditio vulgo *het landt van Bloys*. hodieque appellari solet. Sed defunctis postmodum sine liberis Ludovici Blosij tribus, quos ex Iohanna susceperat, filijs, redijt hoc totum territorium, una cum oppidis jam dictis, ad Hollandiæ Comitatum, anno nimirum 1397. Meminerunt urbis hujus annales domestici circa annum 1303. quo tempore arcem quidem habuit, sed muro adhuc ipsa tum caruit: Hunc ei primus lateritium circumduxit Iohannes Hannonius redintegrata, aut de novo exstructa simul arce satis munita. Istud natale solum fuisse clarissimi, & inter Ciceronianos primum facile locum obtinentis Christophori Longolij, quem hinc Gallia sibi vindicat, hinc Mechlinia asserit, demonstrat in epistola quapiam ad Damianum Lusitanum Erasmus Roterodamus, & liquido ostendit in Batavia sua Hadrianus Iunius. Haud procul ab urbe arx visitur Haertsbergh appellata. Pertinent vero ad Schoonhoviam Cabau, Polsbroec, Berghambacht, Ammerstol, Stolwijck, Bourepas, Berkou, Vlist, Iaersvelt, Crimpen, Leckerkerc ende Ouwerkerck. Quorum Iaersvelt arx est, Leccæ adsidens, à Crimpen Crimperweert sive insula dicitur. Schoonhoviæ è regione positum Neoportum, ad alteram Leccæ amnis oram, oppidum copiosum olim atque opulentũ, nunc municipium est mediocris conditionis, ut solent florentissima etiam pessum sæpenumero ire, & situ atq; oblivione obduci. Supra Neoportum Boetselariorum dominorum castellum occurrit, Langerack dictum: Et infra idem arx est ut munitissima ita hoc tractu vetustissima Liesvelda nuncupata dominorum olim de Liesvelt hæreditaria. Quibus emortuis, post varios dominos emptione tandem pervenit ad Ericum Ducem Brunsvicensem, dominum Woerdæ, qui deinde, facta permutatione, tradidit eandem Philippo Comiti Hohenloo; à quo postremum hæreditate devenit ad nepotem ejusdem. Ultra eandem ditio est Iselsteynensis & oppidum quoque Iselsteynum ab exiguo alveo Isalæ nominatum. Peculium est Comitis Burani, principis nunc Auraici. Viana, quæ ex adverso est ad dextram, si flumen ascendas, Leccæ ripam, forma fere quadrata oppidulum est, parens Brederodiæ familiæ. Castellum habet, opere non tam validum quam pulchrum: Et cui additum est viridarium longe exculissimum. Est & circa proximum oppido lucum arx Amelesteinum: quam annis superioribus felicis memoriæ Henricus Bredenrodius in gratiam conjugis Æmeliæ à Nienaren, servato ejusdem nomine exedificari curavit. Vianensi ditione continentur Heykoop, Boeykoop, Lexmonde, Laeckervelt, Achthoven, Meerkercke, Ameyde & Thienhoven. Distant ab oppido Viana paucis passuum millibus, in trivio veluti locata oppidula Leerdamum, Hueclomum & Aspera. Quæ singula cum ad ditionem ac dynastas Arculenses jam olim pertinuerint, sub quorũ quoque jurisdictione Goricomium fuit, loco primo de oppido Goricomio ac ditione Arculensi dicemus. Goricomium muris circumdidit inque oppidi faciem primus mutavit, addita arce elegantis structuræ ac munitissima, Iohannes Arculensis, sub annum salutis 1230. Inde solo æquavit Gulielmus Bavarus, Hollandiæ Comes, postquam & oppidũ & ditionem Arculanam, dato pretio, sibi à Duce Gelriæ Reinaldo IV comparavisset. Referuntur ad oppidum Goricomij & satrapiam Arculensem hi pagi, leegh en hoogh Blocklant, Scheluynen, Hornaer, Nieulant, Spijck, Kedichem, Oosterwijck, Middelcoop, Leerbrouc &c. His, postquam Hollandiæ fuit annexum & oppidum & ditio, satrapa præfidere consueverit, qui vulgo Drossardus Goricomensis nominatur. Leerdamum, quasi Lingerdamũ, quod ad Lingę fluviolum sit situm, appellari haud dubium est. Ditionis id quoque olim Arculanæ fuit, donec anno 1410 connubio Mariæ Arculensis ad Egmondanos pervenerit, à quibus similiter per connubiũ accessit principibus Buranis atque Auraicis, in quorum hodieque est dominio. Hueclomum ad eundem amnem est positum, oppidulum vetustum atque inclinatum: cujus domini ex Arculana itidem familia originem duxere. Nec alios quoque Aspera olim dynastas agnovit. Postmodum per certum item connubium delata est ad Boetzelariorum ex Clivis oriundorum prosapiam. Quorum nuperrime adhuc superfuit Vessélus vander Boetzelaer, Dominus Asperæ.

Neoportum. *Langherack.* *Liesvelt.* *Iselsteynum.* *Viana.* *Goricomium & Arkela.* *Leerdamum.* *Heuclomum.* *Aspera.*

E regione Goricomij in solo Brabantiæ posita Altenæ ditio, itemque Worcomium & Heusdenum. In his Heusdenum ædificijs egregiũ satisque copiosum est. Brabanti suum esse docere conantur, sed Hollandi ut suum defendunt. Worcomium similiter extra Hollandiæ fines in ripa Gallica, juris tamen Hollandici, situm est ad Vahalis & Mosæ confluentes, hinc arcem Lovesteinium, inde Goricomium ex adverso prospectans. Habuit olim dynastam Comitem Hornanum: ut & Altenæ ditio, quæ se in eodẽ Brabantiæ solo late exporrigit ac diffundit, fuitq; feudum antiquitus Cliviæ principum. Ad hanc, ut & Worcomium, spectant, præter arcem Lovesteinium, Almkercke, Gysen, Rijswijck, Neereyl, Opeyl, Wtwijck, Waerthuysen, Emmichoven, Sleeswijck, den Hil &c. Distingui Worcomium hoc debet ab illo Frisiæ Transrhenanæ, quod huic cognomine est, intra Staveram & Harlingam ad sinum Austrini maris situm, Worcum vulgo nuncupatũ. Pagi Heusdenenses ditionis hi numerantur, Herp, Hedichuysen, Vlymen, Engelen, Cuyc, Onssenoort, Outheusden, Elshout, Hulten, Baerdwijck, Doveren, Drongelen, Genderen, Babylonienbrouck, Heusseen, Helburgh, Wijck, Veen, Eeten, Meeuwen.

Worcomium. Heusdenum. Altena.

Hinc per idem hoc Brabantiæ solum recta Sevenbergam itur, relicta ad lævam urbe Bredana, ad dextram Geertrudenberga, de qua diximus modo. Habet vero Sevenberga, ut putatur nomen non à montibus aut collibus septem, qui ibi nulli sunt, sed à rivulis septenis, qui navigantibus ad conservandas, veluti intra portum, naves percommodi ibi fuerunt. Nam *Bergen* Belgice & *condere* & *custodiri* ac *tueri* significat. Olim ditionis Strienſis fuit. Est autem Striæ districtus haud procul Dordrechto, ut ante patuit. Sevenbergæ è regione oppositus. Et est memorabile quod referunt veteres memoriæ, ante nimirum inundationem, quæ, ut modo dictum, incidit in annum 1421, solitos mortales per Zeedijkam sive maris aggerem, qui à Stria ad usque Sevenbergam duxerit, terra iter facere nuspiam aquas aut ullum fluentem trajiciendo: ubi tamen hodie vastum mare patet. Sevenbergæ proxime adjacet insula Klundert dicta, habens, præter munitissimum propugnaculum ejusdem nominis etiam oppidum Willemstadium, exedificatum superioribus annis, ac jure civitatis donatum ab illustrissimo principe Aurai-co, Wilhelmo Nassavio: cujus & nomen gerit.

Sevenberga. Klundert. Willemstadium.

Superius ubi de Iselsteinensi territorio verba fecimus, omitti haud debuit, ei quam proxime esse adsitas Veteres Aquas sive Oudewateram, Oppidum hodie sic satis munitum, muris fornicatis, ac civibus abundans pro modo rerum, locupletibus. Id quam varia agitatum fortuna his superioribusque bellis sit, docet historia.

Veteres Aquæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [91] - -
PUBLIC DOMAIN

TABULA IV.
HOLLANDIÆ.

Rhinolandia. RHinolandiam, quam exhibet præter cetera, Hollandiæ hæc tabula quarta, à Rheno ſic dici, ipſum nomen indicio ſit. Eſt autem medius Rheni alveus, qui hunc diſtrictum præcipue conſtituit. Nam, ut ex Plinio jam ante demonſtratum, Batavorum inſula & Caninefatum, ſive, ut nunc vocamus, Kenemariorum, & aliæ Friſiorum &c, ſternuntur inter Helium & Flevũ, Rheni oſtia extima, quæ inter medio ore modicum nomini ſuo alveum Rhenus idem cuſtodit. Etenim Rhenus facto circa Lobecum in duos amnes divortio, hinc per foſſam Druſianam ſe in Iſalam effundit, inde Arenacum, nunc Arnheimum, urbem Gelriæ primariam, Vadamque & Rhenam petens Batavodurum advehitur, urbem Tacito nominatam, nunc *Wijck te Duerſtede* vocatur. Hic Rhenus, mutato nomine levam verſus, Lecca dici incipit, At olim, licet nunc maxima ſui parte obturatus, in dextram flexit Trajectum verſus, docentibus id riparum veſtigijs & veteris ibidem Rheni haud unquam intermoritura appellatione. Iſthic ſe iterum bipartito aquarum agmine dividit in Vectam, quod fluentum Weſopum Goilandiæ oppidulum præterfluit, atque inde per Mudæ municipium Auſtrini maris in ſinum abit. At ipſe Rhenus nomen auguſtum tenuis alvei anguſtis ſpatijs tuens, ſignes aquas præter Woerdenum provolvit. Hinc longo tractu per Albiniana caſtra, *Alphen* vulgo, tanta lenitate manat, ut oculis utram in partem fluat judicari vix queat: ſicque cunctabundus lætiſſimum utrimque rus ſecat Leidam uſque: Quam priusquam intret, in tres elices diffunditur, qui in lacum Leidenſem ſe exonerant: quorum hæc ſunt nomina, *Manna*, *Zylta* & *Douzia*. Leydã autem transgreſſus, infra eam hinc *Rhenoburgum*, inde *Catvicum*, quod interius vocant, petit: ibique ſtagnans, alveum per quem ſe quondam exoneravit, non invenit. Nam Rhenus, ut dictũ, cum ſe quoque infra Leydam dextrorſũ per Rhenoburgũ in agros verſus Harlemum effuderit, plures rivos verſus oceanum habuiſſe videtur, & maxime horum *os medium modici*, ut loquitur Plinius, *alvei* celebratum: idque *Egmonda*, quod, ſi Latine reddas, *arctatum* ſeu *modicum os* aut *alveum* denotat, fortaſſe fuerit, hodie *Egmondt op Zee* dicitur. Certe hoc pacto Caninefates, quos Tacitus nominat, ac partem inſulæ Batavorum colere inquit, origine, lingua ac virtute pares Batavis, hodie *Kennemers* ſive Kennemarios dicimus, ſuis propius reddentur ſedibus, facientque huc verba Reginonis, qui oſtium circa oceanum habuiſſe Kinnemarios ſive Kinhemum fatetur, & id claſſibus ſuis intrare ſolitos Normannos, cum dicat, *Eodem anno 804. Normanni in Kinhemè Danemarca venerant.* De quibus videndæ, Iuculentius Ioh. Iſaci Pontani adverſus Philippum Cluverum Diſceptationes chorographicę capite præſertim XI & XII.

Hoc toto diſtrictu (Caninefates ſive Kennemarios, de quibus jam dictum, ſimul includendo, quorum Harlemum caput eſt) municipia oppidaque illuſtria
Woerdenum. perplura ſunt. Quorum inter cetera, quod modo nominavi, Woerdenum eſt, quod ſtatim infra Trajectum Rheni medium alveum præterfluentem admittit. Oppidum eſt non ignobile cum mercatu, tum ſplendore ædificiorum, plauſtri loco conditum, arcem habens haud inelegantem, olim Trajectinæ ditionis, poſtea Erici fuit Brunſvicenſium Ducis, ex pignore. De quo videnda prolixius Valerij Gouthovij ad chronicon Hollandiæ Annotata. Subſunt Woerdeno pagi Bodegraven, Woerder, Indijc & Tekoop, Hinc Leydam verſus, ad eundem hunc medium alveum, occurrunt præcipui nominis duo loca Alphen & Poelgeeſt. Alphen enim eſſe eum locum, quem Antonius & auctor tabulæ Itinerariæ intra Trajectum & Lugdunum collocant appellantque Albiniana, docti exiſtimant: quamvis uterque & auctor Tabulæ & Antoninus corruptius exprimant, *Albimanis* vocitantes. Caſtra fuiſſe Romana ab Albino quopiam præfecto condita vero videtur non abſimile. Inter hæc ipſamque Leidam ſive Lugdunum arx proxime ſtetit Poelgeeſtanæ gentis, Poelgeeſtia dicta, validiſſimis muris conſtructa: quæ ſolo tenus dejecta fuit anno 1449, factionibus diſſidiiſque inteſtinis fluctuante Hollandia, ut docet uberius hiſtoria. Hinc Leida ſe offert, quod eſſe Lugdunum Batavorum, Ptolemæo nominatum, doctiorũ conſenſus ſuadet, quamvis à littore nec hagâ Leidâq; procul diſtet locus Lugdunum dictus, Lugdunum ſuo vocabulo propius exprimens. Sed Leidam eſſe Batavorum Lugdunum, præter alia antiquitates evincant, quæ ibi, & in proximo magna copia erutę. Cujuſmodi, inter cetera, ſtatuas, lapides, imbrices, numiſmata vidit & expreſſit perplura in Batavia ſua Hadrianus Iunius. Quibus addi debet, qui nuper in agro Vorburgenſi repertus eſt lapis quatuor plus minus pedes altus, duos circiter latus, unius craſſitudine, erutus nimirum anno 1624 Iunij 7. ſpectante Thoma Segetho, qui & primus exſcripſit, atque inde v. cl. Ioachimus Morſius, in modum ut ſequitur:

Albiniana caſtra Alphen. *Poelgeeſtiæ arx.* *Leyda.* *Lugdunum Batavorum.*

A latere Cornu copiæ. I.O.M. SARAPI. *A latere Cornu copiæ.*
ISIDI. FRUGIFERO.
COELESTI. FORTUN.
BONO. EVENTO.
FELICITATI. LARI.
VIALI. E. GENIO.
LOCI. L. LUCREIUS.
PAL. FAUSTINIAN.
Ↄ. LEGI. I.M.P.E.PRO. SE.
SUIS Q. I.E.R.V.L. CONSAC.

Quæ ita legenda: *Iovi optimo Maximo, Sarapi, Iſidi frugifero, Cæleſti Fortunæ. bono Eventu, Felicitati, Lari Viali, & Genio Loci L. Lucretius. Palatina (ſc. tribu) Fauſtinianus. Centurio Legionis primæ, monumentum poſuit & pro ſe ſuisque in eam rem votum libens conſecravit.*

Ubi, inter cetera, notanda illa CAELESTI FORTUNAE. *Cæleſtis* enim ſubinde abſolute ponitur, ſubinde addita voce *Dea Cæleſtis* auctoribus dicitur; ſubinde *Virgo Cæleſtis*; ſubinde etiam, quod huic loco proprie convenit, *Fortunam Cæli* vocant. Tertullianus in Apologetico: *Vnicuique etiam provinciæ & civitati ſuus Deus eſt, ut Syriæ Adſtartes, ut Arabiæ Dyſares, ut Norici Belenus, ut Africæ Cæleſtis.* Spartianus in triginta Tyrannis: *Afri Celſum imperatorem appellarunt peplo Deæ Cæleſtis ornatũ.* Ammianus Marcellinus lib. 22. *Aſclepiades Philoſophus cũ viſendi gratia Iuliani peregre ad id ſuburbanũ veniſſet, Deæ Cæleſtis argenteum breve figmentum, quocunque ibat ſecum ſolitus efferre* &c. Philaſtrius Brixienſis in Catalogo hæreſium: *Alia*, inquit, *hæreſis in Iudæis, quæ Reginam, quam & FORTVNAM COELI nuncupant, quam & CAELESTAM vocant in Africa* &c. Iterum Tertullianus in Apolog. *Iſta ipſa* VIRGO COELESTIS *pluviarum pollicitatrix.* Qui ultimus locus reſpondet voci, quæ hac quoque inſcriptione poſita,





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111 2, [93] - ...

quæque Iovem FRUGIFERI similiter epitheto afficit.

FAUSTINIAN) Faustinianum se hic Centurio appellat quod FAUSTINA, ut diserte habet Dionis Xiphilinus, MATER EXERCITUUM sit appellata post victoriam ex Quadis ac Marcomannis ab Antonino partam. Unde & de ætate hujus monumenti conjecturam facere licet. LARI VIALI, ut ad Iovem referatur, numero singulari posuit. Plautus numero plurali ita extulit in Mercatore Acti. 5 Sc. 2. *invoco vos lares Viales.* Et denique BONO EVENTO pro *Bono Eventui* non ubivis obvium. Atque hactenus quod ad eam inscriptionem. Leyda porro non Batavorum modo Lugdunum hodie omnisque antiquitatis, sed & doctrinæ omnigenæ emporium, ac vere *Athenæ Batavicæ* nuncupanda. Estque agri hujus, quem Rhinolandiam dicimus, metropolis, pagos quinquaginta septem sub se habens, aëre & aquis varie transfluentibus, ut & viridariis, perquam amæna ac salubris. Distat ab ea Oceanus ad secundum lapidem, ut & Haga, Comitum sedes: Delphi ad tertium: Haerlemum, Woerda, Gouda ad quintum circiter: Ad septimum Mercurij forum atque officina Amsterodamum, ut & Dortrechtum, vetustatis inter urbes Hollandiæ sibi fere prærogativam vindicans. Pagi qui proxime adsiti, sunt fere isti: Wassenaria, Rhenoburgum, Valkenburgum. Catwicum ad Rhenum, Catwicum ad oceanum, Nordwicum item geminum, alterum interius alterum exterius; tum Oostgeesta & Warmonda ac Voorhouta. In quibus ut obiter hoc addam, *Rhenoburgum* verbis chronologorum medij ævi, Sigeberti & Hermanni Contracti, inter urbes censetur. Fladertingam enim & Rhinoburgum Frisiæ urbes vocant. Nam de Burgo, qui intra urbem est, deq; urbe ipsa id accipere, nisi certo authore, quis audeat? Arces præterea Leydensium urbi viciniores præter Poelgeestiam & Alphen superius positas, sunt & istæ: Warmonda, Bochorsta, Doesa Sweta, Cronestena, Sudovica, Engeesta, Roomburga, Rosenburga, Santhorsta, Duvenvoorda, Rucopia, Wingarda. Olim & hæ fuerunt, Alcmada, Boshusia, Ceubela, Berendrechta, Torenvlieta, Sonnevelta & Teilingia nuper instaurari cœpta.

Pagi sub Leida ditione 57.

Arces circa Leidam.

Sequuntur Caninefates Tacito dicti, qui hodie Kennemarij; ditioque ipsa Kennemerlandia & Kermerland contracte nuncupatur. Ejus est metropolis Harlemum, testante id vel maxime Rhytmici chronici, annos ante trecentos concinnati, authore, qui Harlemum Kinnemariorum facit, cum inquit, *Haerlem in Kinnemerlandt.* Antequam muro cingeretur dynastiam fuisse nonnulli putant cujus dominus celebratur Baldevinus de Haerlem, anno 1168 à Frisijs prope Scagam interemptus. Hodie & olim amplitudine urbis, ædificiorum cultu, situs amœnitate nobilitatum est. Templum habet totius Hollandiæ pulcherrimum, firmissimis innixum columnis foro imminens. Urbem mediam Sparnus interlabitur. Exstruique cæptam Iunius exstimat ab Harlemeæ prosapiæ dynastis circiter annum Christi 506. Ejus est gloria, capti novo consilio Pelusij, quam Damiatam vocant, cujus rei symbolum habet nolas binas ex ære Corinthiaco, quæ & Damiatæ appellantur. Est & altera ejusdem gloria, artis typographicæ inventio. Arces illustriumque familiarum prædia circa eam perplura sunt, & inter cetera arx Brederodia, Assenburgum, Heemskerkia, postea Domus Marquettia, Meresteinum, Forestum, Reewijckum, Velsena, Polenburgum, Harlemum propeBeverwijckum, stirpis Harlemeæ olim domicilium, postea ad Assendelphios aliosque delatum. Heemstedium lacui propemodum Harlemensi imminens, defunctis dynastis Heemstedijs, ad Flandriæ Thesaurarium Rolandum de Febure devenit, qui dominam Hadevinam Heemstediam & Benthusæ connubio sibi junxerat. Quorum hæredes ære alieno gravati vendiderunt Lochorstijs. Et eorum postremo neptis Anna ab Arckel nupta nobili Gelro Walravio à Gent, filio domini ab Oyen venditione transtulit ad virum prædivitem, civem Amstelodamensem N. Houwinum. Estque deinde Petro Ruytenburgio Amstelodamensi; Flaerdingæ domino, pro parte venundatum. Cujus nunc posteri, & in his gener Ruytenburgy ampliss. ac nobilissimus Hadrianus Pauw, Eques, Cameræ Rationalis Hagæ Comitis adsessor ac consiliarius, hæreditarium ac totum possidet. Sunt & alię prę terea in propinquo arces aut rudera earum ut Clevia, Tetrode, Baeniart, Berckenroede, Hillegum, de quibus ut & prioribus singulis, videndus prolixe Gouthovius in Annotatis ad Chronicon Hollandiæ, quorum & modo memini.

Kennemerlandia. Harlem.

Arces & prædia circa Harlemū

Harlemo Bevervicum duobus miliaribus disiunctum loco oportuno ad sinum Tyum adsidens, duobus passuum millibus ab oceano distans, amœnissimas nobilium villas in vicinia prospectat. Ipsum municipij vocabulum sonat Bavarorum, qui & Baioarij, vicum, sedem & perfugium. Ab eo recta per sinum jam dictum relicto ad dextram Sparnedamo, quod Sparni amnem in sinum Austrinum emittit, Amstelodamum trajicitur. Quod oppidi non quidem Kenemerlandiæ, sed ipso se nomine prodens, esse Amstelandiæ sive Amstelæ emissarium ostenditur. Est vero Amstelandia ager spectans ab occidente, meridiem versus, Australiorem Hollandiam: a Meridie fere, ditionem Trajectensem: ab oriente ac borea, Goylandiam conterminam habet. Amstelodamum in extrema propemodum parte ejusdem, ad Amstelæ fluenti in Yam exitum, aquilonem versus, ipsi Yæ amni adsidet. Solum universum præcipue hic palustre ac uliginosum: unde & cespitẽ, qui focis adhibetur, passim conficiunt incolæ, appellantq; ejusmodi tellurem lingua vernacula *Venen*, & vicum in eâ præcipuum *Amstelveen*, ipsam Amstelandiam territorium quondam fuisse dynastarum Amstelę & Iselsteny, quæ amplissimæ fuere at potentissimæ familiæ, Trajectensibus præcipue obnoxiæ, alibi demonstratum est. Urbs hodie perpetuo frequentatur ac patet Hispanis, Italis, Britannis, Scotis, Gallis, Germanis, Sarmatis, Cimbris, Suecis, Norvagis, Danis, Livonijs, Polonis, Borussis, Moschis, & si qui alij Boreali subaxe latent, ut taceam post sæpe iteratam urbis ampliationem, nunc etiam Indicis atque exoticis alieni orbis navigationibus frequentari. Unde author libri, qui de Amstelodamo est editus, ita loquentem AMSTELAM introducit:

Bevervicum.

Amstelandia.

Amstelodamum.

Indus & Euphrates & qua patet extima China,
Quaque etiam prisci non cognitus Orbis in orbe,
Huc mea vela fero, referoque per æquora classem,
Nunc Euphrate ipso nunc AMSTELA clarior Indo.

Amstelodamo proximum est ad duo circiter milliaria Wesopum, ut & Muda., Nardenum Gœdelandiæ caput est. Wesopum hinc muro cingitur, inde amne vecta, qui e Rheno Trajecti originem suam ducit, alluitur: atq; idem deinde per Mudam in sinum Austrini maris excurrit. Nardenum caput est, ut dixi, ditionis Goedelandiæ, quam corrupta & vitiosa consuetudo Goeylandiam nuncupat, olim ab Othone imp. ejus nominis primo, Goedelæ cænobij antistitæ donatam, atque illius vocabulo ceu magno auctoramento ornatam. A qua transisse ad Hollandi principis jus in loco beneficij annotatum legitur. Porro crevisse oppidum ipsum è ruinis veteris Naerdæ, postquam eam solo tenus captam præsul Trajectinus ex Arculana familia everterat, literis traditum reperitur.

Wesopū. Muda. Nardenum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [94] - -
PUBLIC DOMAIN

TABULA V.
HOLLANDIÆ.

Northollandia. Weſtfriſia.

QUinta hæc tabula Northollandiam complectitur, quæ non tantum partem Kermerlandiæ, de qua ante dictum, ſed & Friſios ſive, ut hodie vocamus, Veſtfriſiam præcipue ſimul exhibet: qui Tacito *Friſij minores* dicti, aſpectu eorum, qui ex adverſo & ultra Flevum, Rheni borealem alveum, eidem *Friſij majores* appellati. Plinius *Friſios* hos *minores*, *Friſios in Rheno* dixit; qui ultra erant, *Friſij trans Rhenum* ſeu *Transrhenani* eidem nuncupati. Northollandi vero nomen aſſumpſere iidem minores poſt varia demum bella pugnaſque diutinas cum Hollandis pugnatas, idque ſub annum Chriſti 1303, cum dare manus victori, Hollandiæ Comiti Iohanni Hannonio, coacti ſunt. Tum inquam victoris populi nomen omiſſo Friſiorum ac proprio, illis inditum, quamvis ipſi libentius Veſtfriſij audiant ſeque Veſtfriſios in publicis hodieque tabulis atque inſtrumentis nominent ſcribantque. Sed Plinij verba quibus *Friſios*, qui *in Rheno*, & qui *trans Rhenum*, accurate diſtinxit, adducenda exiſtimo. Sunt enim iſta lib. 4. cap. 15. *In Rheno ipſo prope C. M. paſſ. in longitudinem nobiliſſima Batavorum inſula & Caninefatum & aliæ Friſiorum, Cauchorum, Friſiabonum, Stiriorum &c. Sternuntur inter Helium & Flevum. Ita appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus ab ſeptentrione in lacus, ab occidente in amnem Moſam ſe ſpargit &c.* Hic locus, qui & alibi adductus diſerte *in Rheno Friſios* ac Friſiabones agnoſcit. At qui erant trans Rhenum Tranſrhenani Friſij, iſ fuerunt in continente ipſaque Germania, ut habet diſerte quoque Plinius idem lib. 25. cap. 3. Ubi ait: *In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis, qua pota dentes decidunt & reperta auxilio eſt herba, quæ vocatur Britannica. Friſij, qua caſtra erant, noſtris demonſtravere illâ.* Ibi etenim Friſios trans Rhenum ſive Tranſrhenanos conſtitui infra ſciſſionem amnis, non à Rheno medio, ſed à tertio alveo ſeu Iſala initium faciendo liquet, primo ex ipſo Plinio, qui Iſalam clare Rhenum nominat, cumà ſeptentrione in lacus eum ſpargi dicat: deinde ex Tacito, qui caſtra Germanici apud Friſios ultra hunc tertium Rheni alveum borealem, in ſinibus continentis Germaniæ collocet, expeditiones ejus in Cheruſcos enarrans. Atque ita duplices Plinio Friſij *in Rheno* nimirum, hi inſulani, de quibus hic agimus; Et *trans Rhenum* ſive *Tranſrhenani* in continente Germaniæ, ubi caſtra fuiſſe indicavimus Cæſaris Germanici.

Friſij minores.

Friſij majores.

Friſij in Rheno.

Friſij trans Rhenum Weſtfriſij quando dicti Northollandi.

Horum in Rheno Friſiorum ſive, ut Tacito appellari diximus, Friſiorum minorum ſeu, ut nunc, Veſtfriſiæ ſive occidentalium Friſiorum initium vulgo ſtatuitur poſt Kinhemum amnem, qui Alcmariam præterfluit, & in quem Caninefates ſive Kinnemarij, de quibus dictum, deſinebant. Pertinuerunt ad eoſdem Kermerlandios ſeu Caninefates etiam Alcmarienſes oppidumque Alcmaria, ut hodie vocamus. Quod & ſtatim poſt Bevervicum, de quo in Tabula ſuperius memoratum, verſus boream hic occurrit. Fuit id, ſicuti & ipſi Kinnemarii, Hollandis ſemper adſociatum, & veluti præſidium ad arcendos ac retundendos minores Friſios, qui nullis propemodum cladibus cedentes novas ſemper res moliendo agrum Hollandicum perpetuis incurſionibus infeſtare erant ſoliti. De his eorumque finibus hæc author anonymus: *Caninefates ſunt modo Kennemarij à Kinnâ fluvio ſic dicti, qui labitur apud Alcmariam infra caſtra Nuburch & Meddenburch, dividentibus Hollandiam à Friſiâ. Eſt autem Kinnemaria Aquilonaris Hollandia, habens oppida Harlemum, Bevervicum & Alcmariam: quæ eſt ad fines provinciæ Hollandiæ, haud procul à decurſu fluvij Rekere olim Ockenforde & Almeren dicti.* Hactenus Anonymus, Alcmariam Kinnemarijs & Hollandis adſocians. Rhytmicum Chronicon, ut videre eſt ſub finem fere ejuſdem Chronici, Alcmariam in Friſijs agnoſcit. Et eſt verisimile Alcmariam ab eâ voce *Almeren*, quod ſcilicet locus ipſe undique ferme lacubus ſit circumdatus, nomen accepiſſe. Et eorum quidem decem, adhibitis hydromylis alijſque ingenijs exſiccatos reperio, quorum nomina ſunt, Bergenſis, qui mille ducenta noſtratia agrorum jugera continet, Daelius, Veronenſis, Suinius, Bouclevius, Heiloenſis, Grebberius, Templinus, Argillarius & Poſticus lacus: ſuperſunt Diepius, Sterrius, Wormius, Schermerius, Biemſius, & Wardus. Quorum eminet vaſtitate ſua Schermerius. Reliqui aut exſiccati, aut agris interjectis ut exhauriantur comprimanturque indies elaboratur. Et in his Biemſius ſive *Bemſtræ* lacus, annis ſuperioribus, civium urbis Amſterodamenſis inenarrabili impendio, exſtructis circumquaque molendinis atque additis cataractis & operariorum populo, ita exhauſtus, ut ſolum, quod eſſe limoſum deprehendebatur, ſationi atque hominum cultui apprime idoneum nunc ſit. Circa Almeriam paullum ultra mille paſſus diſſitam ſtetiſſe olim, præter Warmenhuſam qui hodieque inſignis eſt pagus, Veronam ſive Vronam loquuntur cognomines inde campi. Iunius unicum & præcipuum inter minores Friſios emporium fuiſſe exiſtimat; nunc urbis buſtum eſt, cujus tumuli vulgo oſtenduntur inter Coedicum & immenſo ſpatio porrectum Lange Iicum Vronenſes, ut dictum, nominati, quos pagus Pancratio ſacer attingit. Primariam hanc urbem fuiſſe Veſtfriſijs jam dictis, gentis caput, bellorum facem & furoris adminiſtram credibile idem putat, quod oportunus ejus ſitus fuerit ad invadendam Hollandiam: Ac proinde ob violatam ſæpius fidem, rebellionemque toties repetitam, à Iohanne Hannonio, Comite Hollandiæ, de quo modo dictum, exciſam funditusque ſubverſam, & inducto aratro reædificari vetitam, ut refert ex annalibus dictus jam Iunius, & repetit ad annum 1303 ex eodem Ubbo Emmius, cum hemiſtichio chronoſtico ejuſmodi ECCe Cadit Mater FrISIæ. Author interim Rhytmici chronici, qui hoc tempore claruit, aliquando agrum, aliquando & pagum nominat Vronenſem. Hodie inter primarias urbes eſt Enchuſa. Quam ab ædificijs ſingularijs, quæ in vici modum rara in principio, poſt denſiora accreverunt, accepiſſe nomen autumant. Id namque ſonet **Enkelhuyſen**. Niſi ab halecibus, quaſi **Herenckhuyſen** accepit nomenclaturam quę ſententia *Zuerij Boxhornij* eſt, in deſcriptionem Comitatus, & urbium Hollandiæ. Oppidum eſt elegans, natura loci munitum, in extremo terræ margine ad ſinum Auſtrini maris ſitum: nobile nunc longinquis navigationibus & arte excoquendi ſalem, ex illo aſpero & pullo ſale, qui ex maritimis præſertim Gallię civitatibus aremoricis confertim eò advehitur. Superioribus temporibus ſolum circumquaque **Drechterlandt** appellatum ex Rhytmico Hollandiæ Chronico ſit colligere: Quod ibi ſcilicet non obvius tantum & facilis ſed & brevis fuerit ex Friſiæ continente ad Friſios minores ſive hos occiduos Trajectus. Adeo ut pleraque illa Belgij loca atque oppida; ut **Maeſtricht/ Utrecht/ Dordrecht/ Supndrecht**/ haud aliunde hauſiſſe nomen, quam à trajectu videantur. Meminit autem Drechterlandiæ Chronicon quod dixi ad annum 1155.

Verona Friſiorum minorum olim caput.

Enchuſa.

Drechterlandia.

Alſmen elf hondert las	Wie Dieſen dan Drechterlandt
Ende hůſ-en-hůſtrig ons Heeren jaer	En hebben geroofe en verbrandt
Quamen met Oozlogen ſwaer	Wie dan Kennemaer/ etc.

Weſtfriſia initiũ poſt amnem Kinnæ.

Alcmaria in finibus Kinnemariorũ.

Solum ejus, ut & reliquæ fere Weſtfriſiæ, paluſtre quidem maximâ ex parte, ſed graminis & aliarum re-


De Waert
Wieringer Vlack
't Hoornicker Hop
De Scher-mer
Wyker-meer
Het Y
Texel
Vlieland
Terschelling
Ameland
Schiermonnikoog
Rottumerplaat
Rottumeroog
Borkum
Reide
Helgoland
Duynen
Wieringen
Wieringerwaert
Nieuwe Sant
Kreeft sant
Bake op de Kreeft
Bake op de Kreeft
Ton op de Kreeft
Ton op de Kreeft
Kat gras
Kwelderen
Grote wiel
Oude Nieuwe Diep
Nieuwe Diep
Oude Nieuwe Diep
Oude Nieuwe Diep
Oude

Ejus & Westfrisiæ soli qualitas. Horna.

rum mire ferax, pascendoque pecori pene supra fidem præstans: argillosum tamen in orâ, qua colles arenarũ, quos contra fluctus natura comparavit, desinunt. Spectant ad Enchusam hi Pagi, **Grootebroec/ Luttebroec/ Bouwerskerspel/ Hoogekerspel/ Hem/ Deenhupsen & Broeckhaven.** Enchusæ proxima est Horna, à sinuoso & instar cornu inflexo portu nomen habens. Hęc fere Frisiorum minorum, qui Frisiam occiduam; sive Cisrhenanam habitant, metropolis & primaria civitas audit, nobilis præsulatu Decani, quem Occidentalis Frisiæ vicarium Trajectenses olim submittebant. Oppidum est copiosum & cibariæ lactariæque rei affluentissimum, quod ex semisse mari alluitur, reliquam partem amœni agri & læta pascua cum pagis minime obscuris & locupletibus cingunt: Plateas habet peramplas, quæ decus & ornamentum præcipuum solent addere urbibus. Portum navibus præbet tutum & tranquillum in sinu interiore, cujus commoditas magna est, olim major, quando opposita portui & oppido insula cum pago Dampta, quæ nunc mari hausta absumptaque, supereſſet: Ad Hornam hi vici referuntur, **Avenhoorn/ Beets/ Oudendijck/ Woggenom/ Nubirwou/ Hauwaert/ Berckhout/ Swaech/ Baenjaert/ Betlem/ Oostblocker/ Westblocker/ Binnewijsen/ Westwoude/ Schelluckhout/ Wijdenesse/ Gosterbeck/ Schaerwou/ Groesthupsen/ Opmeer/ Spanbroeck/ Opdam/ Hensbroeck.** Distat Horna duobus circiter

Medenblicum.

miliaribus Medenblicum sive, ut alij scribunt, Medelachum, municipium maritimum ejusdem hujus Austrini sinus portum habens egregium, manibus mortalium, adjuvante loci naturâ, constructum. Habet & arcem pervetustam, quæ civibus sæpenumero præsidio fuit. Inter oppida hujus tractus censetur fere vetustissimum, utpote cujus meminit ad annum 1255 Albertus Stadensis. Pertinent huc pagi **Warnartshouff/ Oppertoes/ Oostwoude/ Sybekarspel/ Bennebroeck/ Abbekerck/ Lambertschagen/ Twisch/ Hoochwoud/ Eerstwoude & Midwoude.** Ubi notandum attestante Rhytmico Chronico Gulielmum Romanorum imperatorem, Hollandiæ Comitem, occubuisse, à Frisiis hisce minoribus trucidatũ, in pago jam dicto Hoochwoudà: cum annos ante ducentos & sexaginta circiter in pago winckelæ ab iisdem in prelio cæsus atque interemptus fuisset Arnoldus Hollandiæ item

Scaga vicus.

Comes, anno scilicet 993. Et præter jam enumeratos pagos, eminent insuper Scaga, oppidi aut fori instar in agri parte inter boream & occidentem, prominente. Itemque Nieropa vetus, Nieropa nova. Ad Westfrisiam præterea seu minores hos Frisios pertinent quoque insulæ in tabula hac non usquaque expressæ Wieringa & Texela, inter quam & Huisdunum portus ille omnium profundissimus, ex Flevo effluens, Marsico nomine ex Marsacijs veteribus notus, circa ingressum Oceani existit. Wiringa interius est sita, & vado ab agro reliquo separata, omnes à continente quondam vi fluctuũ avulsæ, rarâ soli fertilitate. Et in his Texela octo vicis, Wiringa quinque, & quæ ijsdem est proxima, boream objecta, Flevolandia duobus habitatur.

Frisiabones seu Waterlandi.

Accedunt his in eadem hac tabula perspicue expressa oppida, austrum versus, Edamum, Monachodamum & Purmerenda, quæ proprie hujus Frisiæ non esse recte putantur à nonnullis, sed ad Waterlandiam & Waterlandios potius spectare, quos Plinius, ut supra est positum, Frisiabones appellavit Frisijs, in Rheno proximos. Quorum licet nec Tacitus, aut alij scriptores, meminerint, ita tamen eorum meminit lib. 4. cap. 15 superius Plinius, ut esse Waterlandos nostrates dubitandum haud sit. Nam apud eundem Plinium libro ibidem IV. jam dicto, capite insequenti XVII. qui nominatur in Galliæ Belgicæ continenti similiter Frisiabones, librariorum incuriâ in locum non suum irreptitij ad decimũ quintum præcedens, non decimum septimum Caput spectant. Et si divinare liceat, haud abs re monuit in Disceptationibus suis Chorographicis, qui jam semel iterumque superius est nominatus, Isacius Pontanus, quod & amicus ejusdem v. cl. Petrus Scriverius censuit, ibi loco *Frisiabonum* exaratum primitus *Eburones*. Eburones inquam, in illa Galliæ Belgicæ populorum censione, quam eodem cap. 17. instituit Plinius, nequaquam omittendi. Et porro Frisiabones quamvis soli authorum Plinio videantur nominati, exstat tamen & nomen quoque eorum in Codice inscriptionum Romanarum, ubi, inter cætera, *Frisiævoni* pro *Frisiavoni* sive *Frisiaboni* in hunc modũ legitur:

D. M.
T. FL. VERINO. NAT. FRISÆVONI.
VIX. ANN. XX. M. VII. T FL.
VICTOR. EQ. SING. AUG.
FRATRI. DULCISS.
F.C.

Utro autem modo scripseris, *Frisævo* sive *Frisiabo* parum refert. Nam utramque à Germanica & vernacula nostratium voce **Wonen**/ id est *habitare*, formatũ. Et Dani adhuc propius, quod nos **Wonen** dicimus, illi *Bo* dicunt. Unde & *Chaibones* & *Chaivones*, promiscue scripti veteribus sæpenumero occurrunt, sicuti & *Ingevones* & *Istevones*, alijq; ab eadem Germanica terminatione nominati populi. In his Frisiabonibus sive Waterlandis, præter cætera, eminent urbes jã nominatæ. Et Edamũ quidem, ut nunc nominamus, olim Ydamũ vocitatum, ab Ya seu Yda fluento, nunc aquæductu, primarium loci templum ambiente, qui stagnantem aquarum multitudinem exonerabat per emissarium suum communi appellatione, ut alibi dictum, **Dam** appellatum. Nominis originem testatur & pagus vicinus *Middelije* dictus, quod in ipso Yæ meditullio jaceat. Celebre est oppidum caseorum bonitate, satis opulentum, habetque portum oblongum ac navalia non una, in quibus naves magnæ minoresque fabricentur. Ab eo uno miliari remotum est Monachodamum, ita dictum à lacu vicino, cui nomen fuerat **Monnickemeer**/ quod *Monachi lacum* sonat: ut urbs fortasse rectius inde dici possit *Monickmeerdamum*. Hinc sequitur Purmerenda ita dicta, quod ad Purmeræ lacum seu finem potius ejus sit posita. Estque oppidi modo in plateas digesta, atque ędificijs haud inelegantibus exstructa, habens arcem lacui eidem Purmero, nunc exsiccato inque agros redacto, proxime imminentem. Dominus olim loci fuit Gulielmus Eggardus flagranti apud Comitem Hollandiæ Gulielmum sextum gratia, cujus etiam thesaurarius ac quæstor audijt. Ab eo ad filium, à filio ad ejusdem sororem ejusque maritũ dominum Zylæ devenit. Hinc deinde venditione transijt ad Burghgravium Montfortij. Et ejus mox aut hæredum ejus rebellione suum in fiscum redegit imperator Maximilianus, qui donavit exercitus sui prefecto Balthasari Volckensteinio Austriaco, qui exinde vendidit Iohanni Egmondano, penes cujus posteros permansit, donec tandẽ Lamoralij Egmondani bona confiscasset Rex Hispaniarũ, postquam ipsum Lamoraliũ, ut reum Majestatis, capite plecti fecisset. Ab ejusdẽ postremo Lamoralij filio Philippo, qui in Gallijs prælio occubuit anno Christi 1590 acceperunt soluto pretio fœderatarũ provinciarum Ordines, Hollandiæque adjecerunt. Spectant ad Purmerendam Ulpedã & Nec pagi. Urbi proxime etiam adjacet Bameſtra, lacus olim, nunc pascuus ac Cerealis ager, de quo & ante nonnihil dictum.

Edamum

Monachodamũ

Purmerenda.

Enchusam postremo qui à læva præterfluit Austrini maris interior, versus Amsterodamũ, sinus eũ ante annos sexcentos, & quod excurrit, paulatim ex pascuis, paludibus, insulis ac rivulis in tantũ tamque vastè patens mare conversum, ostendunt pag. 80. Disceptationes Chorographicæ, citatæ jam sæpius. Nam qui est exterior, versus Flevũ, à veteribus, Plinio præsertim & Tacito, agnoscitur, qui lacus ingẽtes Rheni in oceanũ borealẽ se spergentis, appellant. Sed de his alibi.

Austrinũ mare.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [97] - -
PUBLIC DOMAIN

MARIA EXSICCATA HOLLANDIÆ, vulgò ZYPE, BEEMSTER; PVRMER; WORMER, &c.

NAtura Terræ Hollandicæ descripta ordo postulat, ut quendam quoque sermonem de Zeelandia instituamus, sed antequam ad ipsam rem deveniamus præstat ut miram Batavorum industriã in exsiccandis marium stagnis quæ suo vocabulo Polders indigitant, agamus. Inter hæc præcipua sunt, vulgo *de Zype & Beemster*, quæ nostra ætate aggere circumsepta & ab suis aquis spoliata & ad frugem ferendam coacta sunt. Ex quo singularis Dei benedictio; Batavorum indefessa fatigatio satis elucet. Silentio præterire non possum molem istam ingentem ardui cujusdam montis caput superantem, quam à Canino & Scyllæam rabiem imitante latratu vocaverunt **thonts-Bosch** quasi silvam caninam, non absimilem in Ægæo mari *Charybdi & Scyllæ* celebrata Poetis. Hadrianus Iunius refert se vidisse Saxa ingentia numero pene ducenta, magnitudine instar columnarum per maris rabiem & continuum furorem procul ad littus ejecta. Hanc molem ibi statuerunt ad tres leucas mare versus deducere, ubi rerum parens natura non continuavit arenosos istos colles, quos vulgò **Duynen** vocant incolæ, ne furente Oceano interiora omnino absorberentur & inundarentur. Hoc opus immensum Pali valide confibulati & fistulis alte depacti, quorum spatia adhuc intermedia grandibus saxis marmoribus acervantur, & stipantur, sustinent tanto cum luctamine ut mirum sit, quid humana industria in hoc opere firmando non effecerit. Aquilonaribus ventis maxime infestatur. Ejus limites desinunt ad pagum *Pettenum* ad ipsum Oceani littus positum. Ab hoc *Zype* incipit, quod nomen sortitum est ab ingentibus maris seu Oceani lacrymis, continens sexcentas virgas, Ad Meridiem objacet illi **Petten** & **Medenblick**; ad Septentrionem Oceanus & Insula **Texel**. Hæc tetra continuo inundationibus obnoxia primum aggere cingi cæpta à Wilhelmo, domino de Schagen, quæ postea novæ terræ sive **Nieu-landt** nomen invenit. Postea anno CIↃ. IↃ. LII. firmissimo aggere circumsepsit magni ingenii vir Nicolaus Nicolai Frater Ioannis secundi Poëtæ, & contra Oceani impetum munivit. Eodem tempore multa salinarum tuguria ibidem erexit Bucholdus, vir magni nominis sic quidē ut tam adminiculo naturæ quam hominum labore, ab aqua seclusus ager inceperit frugifer esse. Anno vero CIↃ. IC. LXX. tantus æstus marinus exortus est, ut longe lateque aggeres perfregerit & exsiccatum solum denuo inundaverit primo quidem Novembris die. Æstuarium hoc per totam Hollandiam magna damna excitavit, in quo multi homines, pecora & ædificia interierunt. Et quamvis hoc damnum irreparabile videbatur, nihilominus animositas quorundam hominum hoc opus denuo aggressa est novumq; prioribus firmiorem aggerem ad Zype coacervarunt ita, ut jam nullum deinceps periculum timere necesse sit. Solum versus arenosos colles quos **Duynen** vocant, adeo luxuriosum, ut vix ejus fertilitas credi queat. Est autem **thonts-Bosch** ut vocant, opus tam magni momenti tamque efficacis præsidii, ut si casu fortasse vel Oceani aliqua intemperie id perfringi contingat, potiorem Hollandiæ partem, undarum violentia operiendam affirment. Verum aliquot retro annis ob ingentes, qui in hanc molē farciendam quotannis impendebantur sumptus, Prætermissa ea fuit maris ac procellarum arbitrio, ut jam pendentes ex alto trabes & hiatus ingentes passim appareant & vestigia prisci operis. Objecto autem mari ingenti agrorum spatio, ne arctius pressum perrumperet obstantia, aggeres terrestres in summam altitudinem unus & alter aggesti sunt, qui ob incolarum hodie securitatē, **Slapers** vocantur, & cum opus sit tanti momenti variis insuper donati sunt privilegiis homines hujus curam habentes.

BEEMSTER.

ALter lacus sequitur & quidem, inter præcipuos quem vulgo de Beemster indigitant, qui usq; ad annum CIↃ. IↃC. VIII. suam maris naturam continuavit in Waterlandia, circa quod tempus primum circumquaque terræ cumulis fastigiari cæpit. Longitudo hujus lacus Hamerodio teste quinque leucarum fuit, latitudo unius cum dimidia, profundus septem pedibus. Successu tamen temporis sic accreverat, ut in ambitu complecteretur duodecim leucas, & sua profunditate 7. 8. vel novem pedes; siquidem navibus septuaginta & octaginta lastarum ut vocant per hunc lacum in mare tendere poteramus, quare unicuique visum fuit, impossibile esse circumvallationibus posse ambigi. Primi, qui ex concessione Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ hoc opus aggeribus circumdare cœperunt anno CIↃ. IↃC. VIII. fuerunt Theodorus & Henricus de Os; & Arnoldus Grotenhusius & Nicolaus Ianssonius Croock cives & mercatores Amstelodamenses; postea cum illis fecerunt Rembertus Hogerbeets & Ioannes de Santen viri consulares consilii Hollandici: Item Nicolaus Cromhout, Iohan Buys viri consulares Provinciarum, Ioannes Basius, Dominus, Cameræ rationalis: Bartholomæus Cromhout Consul Amstelodamensis & consiliarius statuum, Elias ab Oldenbernevelt Roterodamensis Pensionarius; Adrianus Teidingh Berchout Pensionaris Monichodamensis, Petrus Boom Consul Amstelodamensis, item filius ejus Abrahamus Boom Scabinus ejusdem civitatis; Nicolaus Veen Consul Hoornensis cum Ioanne Grotenhusio I. V. Doctore & Iacobo Poppen Scabino Amstelodamensi, qui jus & potestatem dicebant haberein lacum Beemster ex



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [99] - -

BEEMSTER.

concessione Comitissæ Arenbergensis, primum aggerem instituendi, quibus plures successerunt quos vulgo *Heem-raden* indigitant, videlicet: Nicolaus Croock antea dictus, Ioannes Hermanni (in cujus locum suffectus est Thomas Blommert Harlemensis) Nicolaus Bambeck, & Cornelius Arnoldi Amstelodamenses, Iacob Ripersz. Franciscus Ianssonius Molen-Werf Hornensis, Philippus Landscoten Leidensis, Cornelius Ianssonius Melck-nap Alckmarienfis & Theodorus Franciscí Monicedamensis, ex quibus erat Secretarius, huic operi præfectus, Riwerdus Nicolai Allensis, tum temporis Secretarius Purmerensis, cujus sedulitas & labor non satis describi potest, quantum mortuum vehementer deplorarunt. Post hunc venit Simon Petri Ilpendamensis qui ipso officio magna cum laude functus est. Primus quæstor erat Theodorus Beugelius Alcmarienfis. Et post primum operis incepti collapsum erat quæstor Michaël Poppius Amstelodamensis. Geometricus erat Magister Lucas Sinck, Amsterodamensis, qui cum magistris Augustino Bas Alcmarienfi & Ioannes Petri Douw Leidenfi omnes vias, fossas & septa delineavit ac superinspexit. Rebus ita ordinatis prædicti viri qui signaverant una cum Bailliuo & quos Heemraden, vocant, operarios & fabros omnis generis constituunt, ut struerent 26. molas aquarias, quæ ibi collocatæ sunt, ubi melior commoditas erat istas aquas ejusmodi instrumentis avertendi. Postea à proximis huic operi adjacentibus agris tantum terræ emerunt, quantum istam circumvallationem opus erat. Rebus anno 1608. & 1609. eo deductis, aggeribusque exstructis aquisque magna ex parte abductis contigit anno 1610. vigesimo Ianuarii die, quod hæc circumvallatio perrumperetur omnisque aqua abacta pristinum cursum repeteret, quod damnum ultra centum florenorum millia excessit. Quocirca frustraneum esse à multis putabatur & fieri, non posse, ut ejusmodi opus immensum ad felicem finem perduceretur; nihilominus prædictæ partes opus hoc denuo aggressi, adsuptis ad prædictos sedecim Heemradios, his subsequentibus: Laurentio Ianssonio Spiegel, Scabino Amstelodamensi, Magistro Tobia de Coene advocato & post Dijckgravio, Wibrando de Warwijck, Ioanne Hellingx, Nicolao Bambeec & Augustino de Peyne mercatoribus Amstelodamensibus, Theodoro Gerhardi Meermã scabino Delfensi, magistro Ioanne Binnen blijff Consule Hornensi (in hujus locum suffectus Wilnelmus Petri Hasen, unus ex consulibus Purmerentanis) magistro Thoma Blommært Harlemensi, & Ioanne Pellicorn Leidensi. Hi simul cum Dijckgravio (quem ante duos annos elegerant) pro Heemraden constituerunt hos sequentes: Cornelium Arnoldi supradictum, Franciscum Ianssonium Molen-Werf, Theodorum Franciscí & Cornelium Canter. Hi omnes & præcipue Theodorus van Os & Ioannes Nicolai Croeck suo labore, industria & ingenio eo rem duxerunt, ut spatio quatuor mensium aggeris miliarium duodecim Rhynlandicorum aggestus & circum Beemster ductus, & undecim mensium intervallo, nempe vigesimo quarto Iunii anni 1610. (quo primum molæ circumagebantur) ad Iunii principium sequentis anni, omnes aquæ abactæ & lacus iste Beemster contra omnium hominum fidem & opinionem aptus factus & exsiccatus omnino fuisset, nisi Autumnus & instantia hyemis illud impediviſſet, quorum tempestate factum, ut denuo quædam loca undis occupata fuerunt, cui incommodo statim præfixerunt plures molas aquarias, quarum numerus triginta verno tempore suum officium subierunt tanto quidem cum progressu, ut decimo nono Maji anni 1612. lacus Beemster omnino exsiccatus omniaque jugera sive Kavelingas eo ipso anno ante trigesimum Julii distribuerunt, & unusquisque suam portionem pro sua signatione & contributione accepit. Quilibet igitur hic ædificare cœpit, & qui antea erat lacus, nunc sit quasi paradysus circumquaq; non simplicibus ædificiis sed quodammodo Palatiis ornatus, hortisque frugiferis passim vestitus, fertilissimisque agris amænissimus.

Quantum attinet ejus lacus capacitatem, intra se 7090 jugera continet, exceptis viis, fossis aliisque aviis, quibus additis, complectitur 10000. jugerum. Situs hujus Lacus (nunc insula factus undique undis circumseptus; latis quatuor, quinque, sex, septem & quibusdã in locis octo virgas, in quas molæ pro sua conditione suas undas simul protrudebant) hic est; ad Meridiem respicit, civitatem Purmerentanam cui ponte annectitur & non procul hac duos celebres pagos *Wormer* & *Iisp*; ad Ortum, Oost-huysen, *Quadijck* & *Wrede*; Versus Septentrionem, *Beets*, *Somerdijck*, *Vierhuysen*, *Avendyck* & *Avenhoorn*; Schermerhorn, Myssen, & lacum de Schermer. Ad Occasum *de Rijp* & *Gracht*, Circularis agger pro angulorumq; natura quibusdam in locis virgas octo Rhenolandicas crassus, alibi crassior, alibi non. Et hæc breviter scripsimus quantum ad horum lacuum seu sinuum exsiccationem attinet sua fama, sumptibus immensis per se celebrium, quibus deinceps successerunt plures eadem opera & conamine indefesse exsiccati & fertiles facti, antea nisi undis & periculis præguantes.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [100] - -
PUBLIC DOMAIN

ZELANDIA
COMITATUS.

Zeelandi etymon.



ZELANDIAM nonnulli volunt eas esse insulas quas Prisci *Arboricas* dixere; si vero Danorum annalibus credimus, constat recens terræ vocabulum & ab ipsis Danis de primaria quadam Danici regni insula, inditum, quo nomine finitimas quoque insulas complexi fuerunt. Ego componi crederem hanc nominis vocem ex duabus syllabis *Zee* nimirum & *Land*, quas Latine exprimeres *terram marinam*, quæ originatio satis mihi liquere videtur. Complectitur autem quindecim, vel ut alii volunt, sedecim numero insulas, quarum singulæ sua distinctim vocabula habent, & Comitatum hunc generali Zelandiæ vocabulo inter se junctæ constituunt. Positæ autem sunt in ea maris Oceani parte, quæ ad Africum Zephyrumque obvertitur, sed Cauro tamen magis expositæ à Septentrione habent sinus quosdam marinos, pæne instar canalium & nominatim Flackæam, quæ ab Hollandia separantur; ab Austro est lævum cornu seu brachium Scaldis, quod vulgo audit *de Hont* & à Flandria eas distinguit; ab Ortu dextero ejus fluminis cornu, quod vocabulum nusquam mutat, à Brabantia dispescuntur; ab Occasu denique Oceanum habent & Anglis jacent obversæ. Solum Zeelandicum pingue imprimis & cum aliarum quarumlibet frugum, tum tritici maxime feracissimum, quod eâ quidem specie & bonitate simul nascitur, ut non temere usquam pulchrius meliusve invenias; accedit enim quam proxime ad orizam; provenit item copiose coriandrum. Gignit insuper ager Zelandicus rubię quam tinctorum vulgo appellant, ea quidem luxurie, ut non parvam Europæ partem largiter ea impertiatur. Est & cespitis quoddam ustibilis seu bituminis genus, incolæ *Darring* vocant, sed quod nefas eruere, maxime juxta aggeres (vulgo *Dijcken*) cum sit soli ipsius veluti fundamentum & magnum adversus aquas præsidium. Sunt denique & uberrima pecori saginando pascua & innumera passim in usus humanos piscosa stagna. Octo in ea numerantur oppida muris clausa; Middelburgum, Zirizæa, Veria quæ & Campo-Veria, Flissinga, Tola, Agger D. Martini, Romerswalia, Goesa.

Soli Zelandici præstantia.

Middelburgum peroportune jacet ad latitud. gradus quinquaginta unum & tres quadrantes; & ab Ortu quidem Arnemuda, dominii sui portu, tantum leucæ triente; à Libonoto vero Sluса Flandrorum quinque; Dordraco denique Batavorum metropoli decem & septem leucarum intervallo abjungitur. Duplex urbi est portus sive alveus, uterque non longe ab Arnemuda in Oceanum influens, quorum alter antiqui est operis & vix amplius frequentabilis; alter recens effossus & ea cum latitudine & profunditate, ut ingentes & supra ducentarum *lastarum* ut vocant, sive quadringentorum doliorum naves inde à portu Arnemudensi usque ad ipsam urbem, magna civium commoditate transmittat. Est urbs luculenta imprimis, amœna & cum firmis admodum mœnibus, tum latis quoq; & altis fossis, alio rursus muro extrorsus vinctis, omni ex parte clausa. Vias habet admodum elegantes, domos amplas & laxas, pulchra denique & magnifica cum templorum, tum & cœnobiorum in alios usus conversorum ædificia. Claruit quondam Abbatia Præmonstratensis ordinis, & Episcopali sede. Gaudet insuper Middelburgum stapula sive emporio vini, è Gallia, Lusitania, Hispania, aliisque provinciis via maritima in has partes importari soliti, cumque navigationibus maximæ & negotiatione marina, tum & aliis quoque varii generis mercimoniis floret, estque non hujus duntaxat Insulę, sed & Comitatus Zelandiæ caput.

iddelburgum.

Zirizæa dissidet Arnemuda quinque tantum & semi, Middelburgo sex leucas, universi Comitatus Zelandiæ est urbs vetustissima, quondã mercimoniis florentissima ob portum commodũ, neque prorsus commercia sunt extincta; siquidem magis magisque indies gliscere incipiunt. Ædificiis publicis & privatis mediocriter est exculta, unde in Zelandia Orientalium Insularum metropolis habetur. Capti sunt ante aliquot annos non procul hoc oppido pisces quidam marini, horrifica plane & monstruosa corporis vastitate, qui Antwerpiam & ad alia loca ob carnis suavitatem sunt delati, ibique venditi. Est in eadem Insula *Brouwershavia* oppidum, Zirizæa duabus leucis abjunctum & prædivite magis piscatore, quam alio cive populosum. Natus hinc Petrus à Brouwershavia, vir insigniter literatus & Theologicorum aliquot operum scriptor.

Zirizæa.

Altera Insularum Orientalium & quæ Scaldiæ collateralis est, *Duvelandia* dicitur, à columbarum in ea multitudine. Patet in ambitum quatuor circiter leucas; sed quia nimis exposita violentæ undarum injuriæ, nullo prorsus insessa est oppido, at pagos tamen habet plusculos, & cum domos nobilium, tum & aliorum quorundam prætoria.

Duvelandia.

Tertia Orientalium Insularum est *Tola*; in ditione terræ Zelandiæ Comitis, quæ à territorio Aggeris D. Martini intermedia tantũ fossa, & ea quidem vix semiplena dividitur, unde contendunt nonnulli duas esse distinctas Insulas; hodie tamen revera est una, in qua duo sunt mediocri satis conditione opidula, quorum alteri nomen est Tolæ à vernacula dictione *Tol*, quod Vectigal significat; olim siquidẽ eo loci telonium ubi pendebantur Principi vectigalia, unde non oppidum modo, sed & ipsa insula denominata. Alterum dicitur Agger Divi Martini, quibus sui deinde accedunt pagi. Aliæ quædam minorũ gentiũ insulæ, quas ab Orientali illa Zelandiæ parte conspicias, ita parvi momenti ac pene desertæ sunt, ut non sit opus plurib. eas attingere.

Tolæ.

In Occasu occurrit Walachria vulgò *Walcheren* estq; omniũ universæ Zelandiæ Insularũ primaria, non tantũ ipsa soli amplitudine, quod decem tantum leucas in ambitu continet, quam securitate quadam & oportunitate situs, opidorum conditione & incolarum non opulentia minus, quam densitate. Tria numerat oppida muris clausa, inter quæ primum locum habet Middelburgũ supra à nobis descriptum, cui succedit *Veria* quæ & *Canfera* vel Campo-veria potius dicitur) alterum est inter oppida hujus Insulæ, muro & mœnibus clausa, situ quidem ad Aquilonem obversa & in ipso Oceani littore. Fossam habet quæ Middelburgum usq; extenditur à qua urbe leucæ tantum unius intervallo, Flissinga vero altero tanto abjungitur, muris cingi cœpit anno 1358, estque oppidulum satis concinnum & mercimoniis florens, maxime propter commercia. Marchionatus jactat dignitatẽ, cujus Marchio ex antiquo quodam statuto eam habuit prærogativam, ut solus & sine ullo competitore in Conventibus terræ Ordinum suffragium ferat pro omni nobilitate Zelandica.

Walachria.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [101] - -





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [102] -

Flissinga. *Flissinga* tertium est Walachriæ oppidum Africo fere obversa & in Flandriæ terræ conspectu; Middelburgo autem leucæ unius itinere dissita, tam eximio portu spectãda, ut quotquot fere ab Oriente, Occasu, & Austro denique ultro citroque commeant naves, eo perpetuò transeant, cujus transitus adeo momentosus, ut quis merito clavem dicat Ocani Belgici. Hic communis Amstelodamensium naviũ, aliorumque mercatorum statio est, præsertim in Orientalem & Occidentalem Indias tendentium. Hic no procul visitur Domburgum municipium.

Arnemuda *Arnemuda* vulgo *Armueden* oppidorum Walachriæ postremum, murorum expers at portu celebre, ad ipsum Oceani littus positum; habet deinde hæc Insula complures pagos inter quos nominatim Zuydburgum, medio fere inter Flissingam & Middelburgum itinere, loco amæno & palatio quodam insigne.

Zuydbevelandia. Sequitur in Occidua Zelandiæ parte *Zuydbevelandia* Insula, Belgis sic dicta, quod priusquam aggeribus cingeretur, quasi fundo non satis solidato sub pedibus tremeret; est autem hæc insula Zelandicarũ omnium longe maxima, ut quę aliquando viginti leucas ambitu suo incluserit. Hodie propter sævas Oceani tempestates & horrenda subinde diluvia, tum perpetuum illum Scaldis, Bergozomium inter & Romerswaliam, violento suo cursu jugiter eam atterentis æstum, toto fere semisse contractior. Claruit olim tribus haud ignobilibus oppidis, quorum primarium *Borsala* dicebatur, ad austr alem Insulę plagam exstructa; sed misere tandem anno 1532, una cum territorio omni circumjecto, quod Dominium Borsalanum audiebat, mari absorpta.

Romerswalia. *Romerswalia* igitur hodie Zuytbevelandiæ caput est, & ab Ortu adspicit Bergozomium, unde leucæ duntaxat intervallo abjungitur, sed eadem inundatio ab Insula omni avulsam seorsim in Insulæ formam redegit.

Goesa. *Goesa*, quam vernacule vocant *ter Goes*, sola è tribus istis oppidis mansit intacta, & ad Aquilonarem Insulæ partem, ac brachium illud Scaldis, cui *Schengæ* nomen est, posita; opidulum satis lautum & luculentis admodum privilegiis exornatum. Juxta Goesam est pagus Barlandia, ubi natus doctissimus Ælius Adrianus Barlandus, qui cum alia quædam opuscula, tum accurate inprimis conscripsit terræ Brabantiæ Chronicon. Habet præterea multos insignes pagos & toparchias, præsertim amœnam & amplam Elfdicam. Habet denique amœnissimas aliquot sylvulas & in iis non tantum feras, sed multa quoque avium genera.

Tertia Insularum Occidentalium *Nordbevelandia* dicitur, Insula olim tam nobilis & fœcunda, tamque omni ex parte amœna, ut jactaretur pro Zelandiæ terræ deliciis, quam absorpsit quoque prædicta aquarum diluvies: opidum habuit satis celebre, Campoveriæ fere oppositum, quod sic fluminibus petitum, ut nihil relictum sit reliquum præter turrim. *Nordbevelandia.*

Quarta & ultima prædictarum Insularum Occidentalium dicitur *Wolfersdica*, estque cæteris longe angustior & duobus duntaxat pagis, tum & pascuis uberibus commendabilis. *Wolfersdica.*

Anno 1007 Imperator Henricus tertius cum Walachriam & vicinas aliquot Insulas donasset Balduino Barbato, Comiti per id tempus Flandrorum, diuturna & gravia admodum bella inter Flandros Hollandosque vario quidem eventu exorta sunt; nominatim vero internecinum illud prælium, anno 1253, quod Florentius Frater Guilielmi Regis & Cliviæ Princeps Lupus in exercitu Margaretæ Comitis Flandriæ edidere, quo prælio juxta quosdam scriptores, cecidere quinquagies mille Flandri partim aquis submersi, partim capti. At Mejerus Historicus Flander cæsos narrat fuisse duntaxat tricies mille, addens Guilielmum Regem victoria tam nobili elatum, aures præbere noluisse ullis de pace sermonibus. Sed prælio cæsus quod cum Frisiis tunc imperium detrectantibus committebat, subsecuta brevi inter prædictos Florentium Regis fratrem & Margaretam est pax; & sponsalibus contractis inter Florentium quintum, Regis Guilielmi filium & Beatricem Margaretæ ex filio natu majore Guidone videlicet, neptem; quibus Flandri rationes omnes & jura ipsis quomodocumque in Zelandia competentia, Hollandis cesserunt in dotem; ac tunc demum dicio Zelandica in Comitatum erecta est. Ornatur inter cætera pagis centum & duobus. *Zelandia quando in Comitatum erecta.*



EPISCOPATUS ULTRAIECTINUS.

Regio & unde dicta.

EPISCOPATUS ULTRAIECTINUS (qui ab urbe primaria nomen accepit) etsi cum Hollandiæ Comitatu conjunctissimus, peculiaris tamen & distincta est ditio. Eum à Septemtrione, Occasu atque Meridie, pene omni ex parte Comitatus Hollandiæ cingit: ad Ortum Ducatus Gelriæ obtenditur. Saluberrima ibi aëris Cœlique temperies: Solum bonum & fertile: quod ut editum magis & siccum, ita etiam multo est quam Hollandicum excultius, & ad segetem opportunius. Metropolis est, quæ *Trajectum* Antonino Trajecti ad Rhenũ in Itinerario suo mentionem facienti. *Antoniam* dici passim invenimus, sed quo authore condita, aut cujus memoriam repræsentet, incertum. Sunt tamen qui ad *Antonium* Primum Senatorem & Legatum Vespasiani, cui cum Civili Batavo amicitia fuerat, originem nominis referendam putent, quem Senatoria dignitate exutum à Nerone, falsique damnatum, pristino inde restitutum ordini & loco refert Tacitus: Aut ad *M. Antonium* Iulij Cæs. Legatum, quando Galliam Belgicam subjugaret. Nec desunt qui titulum nominis *M. Antonino Pio* transcribunt, urbis instauratori; quod sensisse videtur author inscriptionis quæ in adventum ad urbem Traject. Philippi Regis posita legebatur: ANTONINI PII IMP. FELICIBUS AUSPICIIS URBS TRAIECTENSIS INSTAURATA, FELICIORIBUS PER PIENTISSIMUM IMP CAROLUM V. AUCTA FELICISSIMAM SE HOC PRINCIPE FUTURAM HAUD DUBIA SPE CONFIDIT. Trajectum postea per Vultas, seu Wiltos, mutato nomine *Wilteburgum* dictum, sunt qui contendunt, hausta opinione ex Sigeberto Gemblacensi, qui Willebrordum sedem Episcopalẽ statuisse in loco *Vultaburch* nominato scribit, qui tunc *Vultrajectum* nuncupabatur, à Vultarum gentis nomine & Trajecto compositum quasi *Vultarum oppidum*, à voce *Drecht*, qua oppidum denotatur, non à trajiciendo; quod veritati consonum non videtur: quum *Vultaburgum* ad Rheni ripam supra Trajectum ad II aut amplius pass. millia sedisse res ipsa loquatur. Invenias & curiosa indagandæ originis ingenia, quæ ab *Vlpio Trajano* Germaniæ Domitiani temporibus Præfecto *Vlpitrajectum*, & P litera extrita *Vltrajectum* appellatum existimant. Hodie *Vtrecht* nostri vocant. Id Junius ex eo factum putat, quod ibi quintæ tricesimæ legionis stativa & hyberna essent. Itaque quum barbarũ vulgus & rude legeret V. TRIC. LEG. STAT. fecit ex eo VTRIC. quod postea abijt in *Vtrecht*. Plane ut in Sueviæ oppido accidit, dicto *Cantstadt*, Nam oppidi epigraphe in marmore incisa quum haberet, LEG. ANT. STAT. hoc est, legiones Antonianiæ stativa, vulgus imperitum, resectis prioribus duobus elementis legit *Gantstat*, & postea G in C mutato *Cantstat*. Quod igitur apud Ammianum Marcellinũ exstat Vtricesima, id (si vera & genuina est lectio) inde venisse putandum est, quod ex V. TRIC. vulgares homines, fecerint Vtricesima. Situm est Trajectum ad veterem alveum Rheni, qui prius quam in Leccam prorupisset, eam olim interluebat, atque hinc porro ad Oceanum properabat. Vnde etiam hodie aquæ ab accolis undique conquisitæ, & per varias fossas in urbem corrivatæ, ac Woerdenũ inde & Leydam, ea qua Rhenus tunc via perductæ, Rheni apud promiscuam multitudinem nomine celebrãtur. Illud vero notatu dignum, eo loco positam esse hanc urbem, unde unius diei itinere (& ubi terrarum quæso hæc urbem densitas?) pedibus pervenire queas ad quodcumque libuerit è L ut minimum oppidis Trajectum undiq; circumstantibus, nec majore quã diximus spatio, quod & Tabula Geographica satis ostendit, illo abjunctis. Amplius, posse aliquem mane Trajecto egressum ad quodvis è sex & viginti prædictis oppidis etiam lento gradu inambulantem accedere, genio ibi indulgere, & vespere domi rursus ad cænam adesse. Porro hæc urbs Nortmannorum procella ita fuit oppressa Alfridi Præsulis tempore, ut is coactus fuerit sedem Episcopalẽ Daventriam transferre: quam inde retraxit ad pristinos lares Baldricus Clivensis Præsul, qui recidivam urbem posuit, muro fossisque adjectis. Olim hic Archiepiscopus primus institutus fuit *Willebrordus* cognomento *Clemens* à Sergio Pont. temporibus Iustiniani minoris F. Constantini. *Willebrordus* iste natione Britannus fuit, Frisiosque Christianæ pietatis rudimento imbuit: postea relicto Præsulis munere, velut oneri impar ad Trevirorum Augustam concessit, quinto-que ab ea urbe milliario, horrido & salebroso loco, inter montium juga, construxit Monasterium *Absternacum* nomine, quod hodie *Echternacum* vocitatur: cui alij ex ordine successerunt, quos numerant nominantque Annales IXI. inter eos autem ultimum Ftidericum Tautenburgensem, filiũ inclyti viri Georgij Schenkij, equitis aurei Velleris. Vrbs est ampla, dives, & potens, quam concinnæ & elegantes admodum domus, tum hypogæa, quoque & ædificia subterranea miri equidem & pulcherimi operis passim exornant. Templa in hac urbe permulta sunt, primaria vero quinque *B. Martini, Salvatoris, Petri, Ioannis & Mariæ*. Primum illud Cathedrale est, omnium augustissimum. In eo celebravit anno CIↃIↃXLVI Carolus V. Imp. Comitia Ordinis Aurei Velleris. Cæteræ Templa Collegiata sunt. Postremum vero Deiparę Virgini sacrum exstructum est ab Imperatore Frederico Barbarossa Papę jussu, ad satisfactionem scilicet culpæ à se commissæ in vastatione Mediolani & sacrorum omnium Mediolanensium. Quum autem hujus ædis fundamenta jacerentur, vorago quædam se ostendit, medio pene templi loco, quæ nulla cæmentorum farctura, nullisque injectis molibus, ac ne carbonibus quidem (quibus tamẽ Ephesinæ Dianæ Templum in palude firmatum fuisse legitur) oppleri poterat: sed solo taurinorum tergorum substrato pulvino stetit: cujus rei memoriam tuetur basis columnæ voragini impositæ hoc distichо consignatam.

Accipe posteritas, quod posti tua secula narres,
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

Habuit insuper urbs Monasteria varia, inter quę excellebant amplissima II, alterum *Equitum Melitensium*, alterũ *Teutonicorum*, suo utrumque templo & superbis admodum ædificijs nobile. Erat & egregium illud & opulentum *Cœnobium D. Pauli*, Ordinis Benedictini: aliaque duo, in nobilium, aliarumque primarum Virginum, *dormicellas* appellant, usum exstructa, alterum ordinis *D. Bernardi*, alterum *Præmonstratensis*. Cives hujus urbis humani, industri, locupletes. In ea natus fuit Hadrianus V Pontifex infimi ordinis parentibus. Is Lovanii linguarũ, artium. atque etiam Theologiæ studijs tantum profecit, ut in eadem Academia ad summos honores emerserit: præfectusque fuerit Caroli V Imperatoris institutioni, à quo primum Legatus in Hispaniam, postea Episcopus Dertotensis factus est, inde Cardinalis, ac postremum Papa, quo munere quum non amplius XX menses functus esset, obijt. Mortuo hoc inter cætera positum est Epitaphium: HADRIANVS VI. HIC SITVS EST, QVI HIHIL SIBI INFELICIVS IN VITA DVXIT, QUAM QVOD IMPERARET. Exstat hodie Trajecti domus Hadriani, quam pontifex exstruendam curavit. Sedes insuper Trajecti Consilij Regij, ad quod totius Provincię provocationes

Sinus.

Aëris temperies.

Vrbes & oppida.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 6111:2, [105] - -

Episcopatus Vltrajectinus.

deferuntur. Habet & hæc urbs cudēdæ monetæ jus indultum diplomate Othonis Imp. ejus nominis primi, ut gratificaretur Eggidę conjugi, Baldrico tunc Episcopo. Metropoli visa reliqua oppida Trajectinę Provinciæ subdita indicabo. Inter ea primum occurrit *Batavodurum* ad Rheni elicem Leccam, cujus mentionem Tacitus facit lib. v. Hist. ubi Germanorum (qui postea Franci dicti fuere) manum scribit admixam fuisse irrumpere pontem qui Batavoduri recens inchoatus fuerat: postea vero nomen habuit *Durostati*, Incolæ dicunt *Wyck te Durstede*. *Doreſtadum* quod nunc *Wyck* vocatur, legitur in vita S. Friderici Episcopi Trajectensis. Hanc opibus copijsque affluentissimam fuisse urbem memorant Annales, in eaque plura quam quinquagena abundasse fana, quæ res (quod bona pace Annalium dictum sit) verisimilis mihi non fit. Vtcumque sit, à Nortmannis qui cuncta ferro & incendijs fœde vastabant, excisam dirutamque omnes ferme consentiunt, contractioribusque pomerijs inclusam. Locuples satis hoc tempore est oppidum ob situm ad Rhenum commoditatemque subvectionis rerum necessariarum. Distat Culemburgo ad milliare unum, Trajecto ad III: situ loci peramœno, habet arcem veteris operis non contemnendam, in qua ferme sedem habere solebant Præsules Trajectini, non ob amœnitatem tantum & omnigenam commoditatem quam locus vitæ præstat, sed quod veluti secessus quidam sit secretus à turba interpellatorum. *Rena* vulgo *Rhenen*, antiquum oppidum. Tacitus loco jam à nobis citato *Grinnes*, (Iunius apud hunc libentius *Rhenes* quam *Grinnes* legerit) nominat, scribitque oppugnatū fuisse à Classico Præfecto alæ Treuirorum, defessumque fortiter ab incolis, quod in eo ut & Vadæ (quod nunc *Wageningen* dicimus) cohortium essent alarumque castra. Situ habet ad Rhenum, quarto à Trajecto milliari, muris arduis valloque cinctum. *Amersfordia* (*Amerfurtum* Hadrianus malit) a trajectu Amisi fluminis nomen sortita est, (vulgo *Eems* dicunt) plane ut a Francorum trajectu *Francofordia*. Oppidum initio parvum fuit, ut ex antiquo vallo & fossa liquet: postea extensis pomerijs amplificata. Injurijs Gelriorum obnoxia, quas nos semel olim experta fuit: & anno CIↃIↃXLIII per deditionem occupata a Martino Rossemio. Amisus in Velavia ortus medium oppidum intermeat: ad Ortum & Meridiem habet agros frumenti feracissimos: ad Occasum sylvas: ad Septemtrionem pascua, & interjecto milliari uno mare. Cives feroces & martij, quique occupato per proditionem Trajecto ad annum sesquimillesimum duodetricesimum Henrico Bavaro Episcopo strenuam operam navarunt in ulciscendis militariter injurijs, edendisque præsidiariorum stragibus. Supereſt *Monfortium* non ignobile Oppidū opere situque loci munitum, præsidij causa à Gotefrido Præsule Trajectino olim exstructum ad excludendam vim & arma ab Hollandis ingruentia, positum ceu in trivio, punctique obtinens vicem, quippe intra ambitum trium pari intervallo distantium oppidorum conclusum, Iselsteinij, Oude-wateræ & Woerdeni. Affidet Iselæ fluminis ripæ, arcemque habet. Flumina in hac ditione sunt *Rhenus*, *Amisus*, *Isela*. Cæterum Trajectensis ditio per se statum habet, cujus Ordines tribus constant membris, Primum membrum Clerus Primarius v collegiorum vrbis, quorum primarium est *Canonicorum S. Martini*, vulgo *Domum* vocant, cujus Decanus omnes Status semper evocare solet ad Conventus; in Cōventu difficultates proponere, vota colligere & cōcludere: cæteraCollegia sunt *S. Salvatoris* (vulgo *Oudemunſter*) *S. Mariæ*, *S. Petri* & *S. Ioannis*. Secundum Membrum Ordinū Nobiles & equestris ordinis viri constituunt; è quorum numero *Burchgravij Monfortenſis*, *Culemburgi*, *Abcoudij*, *Vianij*, *Zuleni*, *Riſenburgi*, *Ruelij*, *Horſtij*, *Nienrodij*, *Nieuweldii*, *Amſtelij*, *Lichtenbergij*, *Hardenbrouckij*, *Steoutēburgij*, *Macchenburgij*, *Vtenhammij*, *Vtenengij*, *Renij*, *Vliet*, *Overdevechtij*, *Grauwertij*, *Amerongij*, *Borrei*, *Taetſij*, *Lonretij*, *flotij*, *Iutphaſij*, *Wellij*, *Vleuteni*, *Harei*, *Oudanij*, *Waelij*, alijque quamplurimi, quorum jam magna pars interijt, succesſeruntque alij non infimæ nobilitatis ex vicinijs vel ex matrimonio vel ex donatione, vel exemptione possessionem nobilium Feudorum adepti: qui jam æquo jure cum antiquis illis censentur: Horū hi præcipui, *Rheneſſij*, *Vchtenbrouckij*, *Rhedij*, *Bongardi*, *Ghentii*, *Aeſwindij*, *Baexij*, *Lindeni*. Tertium constituunt v Civitates capitales, *Trajectum*, *Amersfordia*, *Batavodurum*, *Rhena*, *Monfortium*. Quod ad Iurisdictionem: Ex omnibus Diœcesibus judicis provocatur ad Consilium Provinciale Hagam Comitis, ubi summa est hodie non tantum Hollandiæ, sed etiam omnium fœderatarum Provinciarum Jurisdictio. Inde ad Magnum Consilium Mechlinienſe apellatio fieri solebat. Est & Trajecti Parlamentum, unde appellatio nulla fit: sed solummodo ab ijsdem revisio. Ad Statum vero Ecclesiasticum quod attinet; Tota Hollandia in Spiritualibus Episcopo Trajectensi solet subesse. Erat porro Diœcesis Trajectina olim & amplissima simul & præpotens: sed quadragena hominum millia in hostem armare posse, Trajectum, quando ferat necessitas, impudenti mendacio, scribit Dominicus Niger: quod hausisse è Volaterrani Commentariis, & Æneæ Pii scriptis videtur qui Præsulem Trajectinum XL bellatorum millia educere, memoriæ prodiderunt. Sed de Episcopatu Trajectino quæ dicta sunt hactenus, sufficiant. Nefas sit autem non adscribere, Coronidis quasi loco, versus quosdam latinos qui extant in æde B. Martini in gemina pensili tabula binis ibi ad cellam columnis appensi. Sunt autem ad dextram isti.

Circumquaque fluens Hollandia gurgite Rheni
Cingitur Oceani fluminibusque maris.
In qua cum muris urbs Antonina novellis
Tempore Neronis ædificata fuit.
Hanc devastavit fera flamma gens & ibidem
Castrum Wiltorum conditur inde novum
Turribus excelsis: quod adhuc plebs Abroditorum
Funditus evertens, diruit usque solum.
Hinc Trajectense Castrum cum mœnibus altis
Conditur à Francis Christicolis: sed idem
Vulgus Danorum confregit humo tenus, omnes
Cum clero cives insimul ense necans.
Denique Baldricus Præsul nova mœnia struxit,
Quæ modo subsistunt auxiliante Deo.
Sic Hollandensi terra veraciter omni
Trajectum constat urbs capitalis adhuc.

Ad lævam vero isti:

Tempore Francorum Dagoberti Regis, in isto
Præsenti fundo conditur ecce decens
Primitus Ecclesia Sancti Thomæ prope castrum
Trajectum: quam gens Frisica fregit atrox.
Sed prior antistes Dominus Clemens in honorem
Sancti Martini mox reparavit eam
Desidis Hildrici sub tempore Regis, ad illam
Præsul Adelboldus fregit, abinde novam
Ecclesiam fundans Henrici tempore primi
Cæsaris electi: quam duodena cohors
Pontificum pariter benedixit, denique Præsul
Henricus capit hanc renovare suam
Ecclesiam, Regis Guilielmi tempore, qui tum
Hollandensis erat inclytus ecce Comes.

Flumina. Ratio gubernandi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [106] - -
PUBLIC DOMAIN

COMITATUS NAMURCENSIS.



AMURCENSIS Comitatus perexiguis atque anguſtis finibus inter Brabantiam, Hannoniam, Luceburgum & Epiſcopatum Leodienſem continetur. Incolas habet frequentiſſimos, bene moratos & fideles, arte etiam militari probe exornatos; aërem ſalubrem, temperatũ; flumina piſcoſa, inter quæ primas ſedes obtinent Moſa & Sambra. Sylvæ hic plurimæ feris & volatilibus in fructum pariter ac voluptatem, plenæ, quarum ceteras magnitudine longe præcellit Marlania. Planities tritici aliarumque frugum eximie fertilis. Montes quibus regio abundat, præter utiles illas & amœniores ſylvas ac ſcaturientes undique limpidiſimarum aquarum fontes, plurimas habent ferri, quaſdam etiam plumbi venas, plurimas etiam varii generis lapidum, inter quos eminet maxime ſubnigrum marmor, item rufum quoddam albo intermixtum, cui Iaſpidi nomen eſt. Neq; ita pridem cœperunt effodi ſaxa illa ad ignem idonea, quæ Lithantracas nominare poſſumus. Eruitur inſuper copioſiſsime optimum genus nitri. Verum eximia illa tot aquarum & fluminum totque nemorum & lignorum oportunitas, purgando, coquendo & ad perfectionem conducendo, imo in Chalybem acuendo, ac de loco porro in locum transferendo ferro inſerviens & conatus ſimul & ſumptus ita faciles reddunt minuuntque, ut nunquam non & quæratur & inveniatur; nunquam non ſedulo induſtrieque laboretur; idque tot & tantis fornacibus, officinis ac inſtrumentis, præſertim in Marlania, ut verſari tibi videaris in ipſis Vulcani ac Cyclopum fabricis. *Situs.* *Qualitas aëris.*

Vrbes in hoc Comitatu muro cinctæ ſunt quatuor: *Namurcum, Bovinæ, Carlomontium & Valencourtium.* Pagi 182. Abbatiæ quamplurimæ. Reipublicæ adminiſtratio eſt penes Eccleſiaſticos; Nobilitatem urbium capita, qui Status eſt optimatum. *Vrbes.*

NAMURCUM urbs eſt primaria, quam ob cauſam novus ei Epiſcopatus eſt impoſitus. Origo nominis ſatis obſcura eſt; auctores enim quidam graves ſcribunt, a ſe, an ex aliis, neſcio ab Naino Gentilium deo appellatum; eum in montis vertice, ad cujus radices ſita eſt habitaſſe & cultum fuiſſe, omnibus ad eum opis auxiliique gratia concurrentibus reſponſa dare conſueviſſe; poſt vero Chriſti Adventum (Materno prima hic fidei Chriſtianæ fundamenta collocante) obmutuiſſe. Alii hanc urbem a Romanis tanquam inexpugnabilem rupem exſtructam eſſe referunt, ipſos *novum murum* appellaſſe, unde poſtea Namurci, ſive ut alii volunt, Namuri æ appellatio orta ſit. Sita eſt inter duos montes ad lævam Moſę ripam. Ad Occidentem Sambra Namurcenſe oppidum alluens id duas in partes interſecat, Moſam pertranſit, exituque dein ſuo in eum ſeſe regurgitat. Abeſt Lovanio octo miliaribus, Leodio decem, undecim Bruxella. Pulcra eſt & amœna & arce loco ſublimi conſpicua. In hac præclarum eſt Canonicorum Collegium fundatione & ſumptibus Comitis olim inſtitutum. Sunt & aliæ duæ in civitate ipſa Canonicorum collegiatę ſocietates. Altera in Eccleſia D. Albano ſacra, quę Pauli quarti Pontificis Max. authoritate, Hiſpaniarum Rege Catholico petente, in Cathedralem eſt evecta cujus primus omnium antiſtes deſignatus confirmatuſq; eſt Reverendiſſ. D. Antonius Havetius. Altera Canonicorum Eccleſia eſt B. Mariæ Virgini nuncupata, idque, uti Annales perhibent D. Materni, primi Tungrorum Apoſtoli, auſpiciis. Monaſteria etiam hic aliqua ſunt utriuſque ſexus, inter quæ principem fere locum obtinet, fratrum, inſtituti D. Franciſci cœnobium, non modo ſumptuoſæ & celebri ſtructura, ſed doctrina ac pietate eximiis viris celeberrimum. Multa ſunt inſuper in ipſo Comitatu cœnobia ſplendida, Namurcenſium Comitum olim pietate conſtructa & opimis donata reditibus, inter quæ excellit illud Præmonſtratenſium apud Floreffiam. *Namurcę deſcriptio.*



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [108] - -

reſſiam. In hac urbe ſedes eſt Concilii Regii a quo appellatio eſt ad Curiam Mechlinienſem. Eſt & ſedes Epiſcopi. Cives armis adſueti ſunt. Gallicus iis ſermo ſed corruptus. Mercatores & opifices pauci. Nobilium magna turba, ſed qui nothi ſunt Illuſtrium Principum, vel e nothis oriundi. Tertio miliari a Namurco dives eſt pagus *Audennas*, in quo vetuſtiſſimum Collegium Canonicarum nobilium feminarum exſtructum, inſtitutumque a Begga filia Pipini Veteris, a qua primum creduntur dictæ Veſtales, Begginæ. Ex hac Begga Pipini poſteriores, Carolus Martellus & Carolus Magnus originem ſuam traxere. Quarto miliari a Namurco ſunt

Bovigne. *Bovinæ Bovigne*, oppidum exiguum, quod bellorum injuriis jam aliquoties vaſtatum; poſtremum vero ab Henrico II Galliæ rege Anno 1554 magna parte deſtructum eſt. Id ex eo tempore civium induſtria reſtitui & inſtaurari cœpit.

Charlemont. Carlemontium *Charlemont* arcis fere effigiem præ ſe fert, propugnaculis ſuis bene munitæ. Diſtat Marieburgo tribus, Namurco ſeptem miliaribus, ſitum eſt peroportune in monte ad levam Moſa ripam, circa nobilem illum locum, quem vulgo vocant *Givet*. Nomen habet à Carolo v Imperatore, qui coercendis hoc tractu Gallis, Marieburgum tunc tenentibus, exſtrui

Valencourtium. juſſit Anno 1555. Valencourtium, *VValcourt* oppidum tenue eſt, ſed pulcherrimos undiq; agros adſpectans. *Dava* pagus eſt ad Moſam flumen, qua Bovinas itur, arce validus amplæque juriſdictionis, ita ut titulo gaudeat Vice-comitatus. Sunt præterea in pagorum catalogo varia loca non amplitudine minus quam amænitate ſpectanda, qualis eſt *Floreu*, *Viſeja* & *Samſonia*.

Ditionis mutatio. Mutavit iſta ditio ſuperioribus ſeculis ſæpe numero ſuos dominos, unde ex variis bellis modo hac, modo illa de cauſa concitatis obnoxia fuit. Tenebat Marchionatum Namurcenſem anno 1200 Philippus, frater Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani. Factum autem, variante fortuna, ut ſubinſecutis Principibus Marchionatus tranſierit in Comitatum, ac tandem hæreditario jure, vel ut alii volunt, emtione venerit in poteſtatem Philippi Boni, Burgundiæ Principis, atque inde Auſtriacis ceſſerit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [109] - -
PUBLIC DOMAIN

COMITATVS ZVTPHANIÆ.

ZVTPHANIÆ Comitatus nomen habet à Metropoli cui & humilitas & paludes contiguæ dederunt nomen, quæ vulgari lingua *Veenen* dicuntur. Complectitur oppida territoriaque sequentia: Doesburgum, Deutecomium, Lochemium, Grollam, Bredefortium atque Bronckhorstium opida, quamvis ultimum istud titulos oppidi comitatusque distincti, ac sub hoc tamen quadrantis capite Zutphanienſis comprehensi, inscribat. Territoria verò sunt oppidorum jam enumeratorum præfecturæ, præter quorum præfectos est aliquis Generalis Drossartus Comitatus Zutphaniæ. Cæterum continetur adhuc hoc ipso quadrante Zutphanienſi opidum comitatusque Ts'herenbergenſis. In Ecclesiasticis quondam paruit Episcopo Monasterienſi.

Zutphania. Adjacet civitas Zutphania dexteræ ripæ fluminis Isalæ, loco quem Plinius & Pomponius Mela Flevum nominant. Interfluit urbem & fluvius *Berkela*, qui Isalæ ad eam commiscetur. Distat Teutoburgo quidem sesquileucâ, Arnhemio vero circiter quatuor, Noviomago denique sex plus minus leucarum itinere. Opidum sane lautum & cùm publicis privatisque domibus, tum cœnobiis quoque ac templis; præsertim vero insigni Canonicorum collegio, cui & Præpositus suus atque Decanus est, & primaria Divæ Walpurgis æde nobili conspicuum, operis valde antiqui quod studio equidem videtur factum; judicabant enim majores nostri sapientissimi (vigente prisca & syncera fide) decere, ut sacra & pietati dicata loca, primo statim sui ingressu splenderent gloria & decore, ut ea adeuntibus venerationem piam incuterent non tantum, sed & timorem. Zutphaniâ ortus est clarus ille & doctus scriptor Gerardus, cujus meminit Abbas Trithemius, & præter hunc habuit Ioannem Vortrusium, Præpositum Daventrienſem præsulem valde doctum, præsertim antiquum scriptorem, auctoremque pulcherrimi illius opusculi, quod inscribitur Phœnix.

Doesburgum. Doesburgum, ut volunt scriptores aliquot neoterici, idem illud est oppidum, quod Cornelius Tacitus Asciburgium nominat. Alii, quibus quod verisimilia magis tractant, majorem habeo fidem, conditum esse affirmant ab Druso Nerone, ad fauces videlicet nobilis fossæ Drusianæ, & à conditore Drusoburgum dictum. Dissidet autem Neomago tantum leucæ unius itinere, estque opidum pulchrum, frequens, ac valde admodum nuper adversus hostiles insultus munitum, prætereaque Obsidione Caroli v Imperatoris valde nobilitatum.

Grolla Bredefortio distat duabus leucis, quam obsidione cinxit anno 1627 Fridericus Henricus Princeps Aurasinus & invasit, frustra Hispanis hinc & inde suas copias in obstaculum colligentibus. *Grolla.*

Bredefortium totidem leucis abest Anholto, suo munimine firmum. *Bredefortium.*

Bronckhorstium adjacet dexterę ripę fluminis Isalæ, unâ tantum Zutphania leucâ disjunctum, oppidulum neutiquam contemnendū & Comitatus dignitate ideoque & peculiari Dynasta conspicuum. *Bronckhorstium.*

Ts'Herenbergia sesquileucæ itinere dissidet Doetecomio, estque oppidum satis concinnum & territorium ejus latè porrectum, ut Comitatus gaudeat titulo, cujus Comes est modernus Princeps Aurasinus. *Ts'Herenbergia.*

Doetecum ad veterem Isalæ ripam visitur uno miliari Duysburgo dissitum oppidum satis mediocre, prope quod Henricus nomine primus Comes Gelrię celebre cœnobium instituit *Bethlem* nominatū, continuis bellis misere direptum. *Doetecum.*

Accessit Comitatus Zutphanienſis ditioni Principum Gelriæ, matrimonio inter Ottonem primum Geldriæ Comitem & Gorlacci Comitis Zutphanienſis filiam inito anno Christi 1082. Post illum Carolus Egmondanus Adolphi filius, qui cum multis aliis dominis à Ludovico Gallię rege captus fuit. Hic Carolus valde bellicosus fuit, qui cum suis vicinis diuturna bella sustinuit contra Albertum Saxonem Flandriæ Feudatarium & postea cum Carolo v Philippi Regis Hispaniarum successore. Tandē inter hos pax composita est Gorici anno 1527 & Graviæ 1536 ea conditione, ut Geldriæ Dux fœdus cum Gallis compositum & Holsteiniis & Danis, plane resignaret & subsigillatas literas transmitteret spatio sex mensium; quod Cæsar similiter facturus ante menses duodecim sponderet, Comitatumque Geldriæ cum Zutphania Carolo Duci & suis hæredibus legitimis offerret; & si forte contingeret se sine liberis mori, succederet Cæsar ejusque hęredes in Gelriæ & Zutphaniæ possessionem. Dux Gelriæ ab omnibus privilegiis & juribus quę forte in civitates Groningam, Ommelandiam, Dammam, Drentam, Twentam & Coevoerdam prętenderet & his subjectas jurisdictiones, in perpetuum abstineret. Econtra Cęsar, quamdiu Carolus Gelrię Dux aut unus ex



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [111] - -

liberis legitimis viveret, titulum Geldrię Ducatus omitteret: Cæsar numeraret 35000 florenorum millia & annuatim ex his viginti millia. Subditi pro suo libitu quaquaversum migrarent solutis ordinariis pensis. Bona per Fiscum sequestrata restituerentur. Vltrajectini solverent Carolo Duci viginti florenorum millia, pro quibus nummis omnem in illos actionem abdicaret. Captivi utrinque sine ullo mulctæ respectu dimitterentur. Hi articuli spatio dierum quatuordecim per totam Regionem publicarentur. Actum decimo Decembris anni 1536. His ita transactis, spatio duorum annorum post, Carolus Gelriæ Dux septuagenarius obiit sine liberis legitimo thoro natis, & sic vigore pactorum supradictorum Comitatus Gelriæ & Zutphaniæ devolutus est ad Carolum v Imperatorem. Nihilominus ob odium & invidiam quâ in Burgundiones eorumque hæredes flagrabat, Comitatum Gelriæ & Zutphaniæ per transactionem, Ordinibus Provincię consentientibus, omnique ansa bellorum evitante, Duci Iuliacensi, Clivensi & Bergensi obtulit. Huic juramento dato sex annis præfuit ditionibus. Sed deficientibus ab eo Geldris, cum Carolo V convenit illique prædictos Comitatus cessit, Principatibus his ad filium Philippum translatis, quos Hispanus in hodiernum diem eo titulo sibi vendicat.

Cum autem Gelriæ duces etiam Domini Zutphaniæ Comitatus fuerunt, placuit Gelriæ & Zutphaniæ Comitum & Ducum seriem adponere, quæ sic se habet:

Comites.

Otto Comes Nassavius anno 1079 ab Henrico IV Imperatore Francofurti ad Mœnum Comitis Gelriæ ac Zutphaniæ titulum & investituram obtinuit, ducta primum Adelheida filia atque unica hærede Wichardi Comitis à Ponte, postremi Gelriæ tutoris, deinde Sophia fil. Wichmanni Comitis Zutphaniæ. Obiit anno 1107.

Cerardus Ottonis filius duxit in uxorem Hedwigin, sive Hadewinim Florentii II Comitis Hollandiæ filiam. Obiit anno 1131.

Henricus Gerardi filius duxit in uxorem Seinaram Godefridi III Brabantiæ Ducis filiam, quæ illi dotis nomine Veluam attulit anno 1162.

Cerardus II Henrici filius obiit sine liberis anno 1180.

Otto II Gerardi frater, duxit in uxorem Richardam Comitis Iuliacensis filiam. obiit anno 1202.

Cerardus III Ottonis filius duxit in uxorem Philippiam Comitis Fani S. Pauli filiam. obiit anno 1271.

Reinoldus Ottonis filius dictus bellicosus. Obiit in carcere à filio suo captus, anno 1325. *Duces.*

Reinoldus II Reinoldi fil. primus Ducis titulum à Ludovico Bavaro Imperatore accepit.

Reinoldus III Reinoldi prioris filius obiit sine liberis anno 1371.

Gulielmus, Mariæ quæ Gulielmo IV Comiti Iuliacensi nupserat, filius, duxit in uxorem Catharinam Alberti Bavarię Ducis & Hollandiæ Comitis filiam, obiit sine liberis anno 1402.

Reinoldus IV, Gulielmi frater, Dux Iuliacensis & Gelriæ, obiit ἄπαις anno 1423.

Arnoldus Egmondanus Ioannæ, è filia Maria, quę Ioanni Dynastæ Egmondano nupserat, nepos. Hic Carolo Burgundiæ Duci Ducatū suum cessit, cessionem approbante Frederico Imperatore anno 1478.

Adolphus Arnoldi filius detruso in carcerem patre, Principatum invasit. Periit in bello anno 1477.

Carolus Burgundus, hoc titulo atque armis Gelriæ possessionem consecutus eam tenuit ad annum 1476, quo ad Nancejum S. Ian. occubuit.

Maria Caroli filia, Maximiliani Austriaci uxor Ducatum à Gelris, ab ipsa statim deficientibus, vix obtinuit; nam Adolpho cæso Gelri Catharinæ illius sorori administrationem Ducatus tradiderunt, quę prudenter aliquot annis illum administravit, donec Carolus adolesceret.

Carolus Egmondanus, Adolphi filius, Arnoldi nepos ab Ordinibus Gelriæ à Gallia evocatus, Gelriæ Dux & Zutphanię Comes inauguratus obiit sine liberis 1539.

Gulielmus Dux Iuliaci & Cliviæ & Bergensis, ex Ioanne Duce Clivię & Maria Wilhelmi Ducis Iuliacensis filia natus, ab Ordinibus Gelrię vivo adhuc Carolo Egmundano ascitus atque inauguratus, cessit Carolo V anno 1543.

Carolus V Imperator & ipso resignante anno 1555.

Philippus II Hispaniarum Rex, quem Gelria cum ceteris provinciis fœderatis anno 1580, ejuravit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [112] - -
PUBLIC DOMAIN

TRANSISALANIA.

Nominis ratio.



Dominium terræ TRANSISALANIÆ nomen habet ab Isala flumine, ultra quod ipsũ est positum. Intuetur autem versus Aquilonem partem illam Occidentalem quam Frisiam vocant, & partim Dominum Groningense; à Meridie Geldriam habet, vel potius Comitatum Zutphanien-sem; ab Ortu Westphaliam; ab Occasu deniq; Isalam flumen & sinum seu lacum Flevi, vulgo *de Zuyder zee*. Dividitur' ec regio in tria luculenta cumprimis membra, *Salandiam* nempe, *Drentam* atq; *Tubantiam*. Solum ejus omnino est planum, & cum aliarum frugum, tum & optimi tritici admodum ferax. Habet fluvium Vidrum cum minoribus aliquot rivulis, tum peramænas quasdam & utiles silvulas etsi exiguas nec certis vocabulis distinctas, venationes & alia commoda non inamæna præbentes. Octo in ea numerantur oppida muris clausa, inter quæ sunt Daventria, Swolla, Campæ, Vollenhovia, Stenovicum, Hasselerum, Otmarsia & Oldesalia. Sunt præterea decem primaria loca, amplissimis privilegiis prædita: Meppela, Gelmuda, Covordia, Hardemberga, Omma, Almeloa, Gora, Diepenhemium, Delda & Enscheda. Deniq; amplius centum turritis vestitur pagis. Ordines hujus Dominii constant duobus membris, præfectis nimirum & viris nobilibus ac primariis urbibus, inter quas extollit omnium prima caput Daventria, de qua igitur primo loco & deinceps de aliis agemus.

Termini.

Soli bonitas

Fluvii.

Civitates & oppida.

Daventria.

DAVENTRIA sita est ad ripam dexteram Isalæ fluvii, Swolla quatuor leucis abjuncta. Opidum situ prævalidum humanâq; industria mirifice communitum, præcipuè vero insigni muro circumdatum, pulchri & eximii operis porta (quam vulgo vocant *de Brinckpoort*) conspicuum, ubi aquila Civitatis Insigne suis alis ambit ex concessione Ottonis III Imperatoris, cum hac inscriptione visitur lapidi incisa:

Dat nobis aquilam Romania insignia Cæsar,
Iuraq; nostra sub his inviolata manent.

Vtrinq; columnæ eminent. Fortuna, dextro latere, apposita cum hisce versibus.

Me Duce Cattorum gens seditione coorta
Hæc, patriam fugiens, arva inarata subit;
Atq; meo Daventurium de nomine dictum,
Plus mille ante annos mœnia parva locat.

Sinistro latere hæc se pandunt:

Addidi ego hoc urbi vallum furialis Enyo,
Quod secura suis hostibus obiceret,
Tu belli esse memor debes in tempore pacis,
Nequa tuum feriat vis inopina caput.

Super his Caroli Quinti Imperatoris imago surgit lapidea cum hac inscriptione: D. Carolo Cæs. v. Imperatori Max. S. A. P. L. vindici P. P. S. P. Q. Daventriensis monumentum hoc, defensionis ergo posuit anno MDX LIIII. posteri diligenter conservanto. Inter opera publica palmam ceteris præripit Noribergensis Turris quæ annexa hujus nominis portæ conspicitur, murum habet octodecim calceos crassum. Forma civitatis ovalis est, extra *Brincpoort* autem parum se incurvat. Wilhelmus Stanlei proditione magna hanc civitatem tradidit Hispanis Anno 1587. in Ianuario. Princeps Mauritius Nassovius, eam illis denuo eripuit Anno 1591.

Regimen.

Civitatis regimen constat viginti quatuor viris, qui sunt Consules, Scabini & Senatus consultum. Hi singulis diebus conveniunt & de necessariis rebus consulunt. Præter hos numerantur adhuc nonaginta sex viri totam plebem repræsentantes, quorum congregatio quinquies aut pluries necessitate urgente quotannis incidit. Hæc duo collegia, audito in S. Petri Templo Dei verbo, juramentoq; in loco solito, à se præstito, quod nimirum in electione nemini addicti recta via procedere velint. singulis annis novum eligunt Magistratum, siquidem viginti quatuor virorum administratio per annum solummodò durat. Quatuor vero Secretarii hujus Civitatis officium, quam diu vivunt, obeunt. Ante aliquot annos numerus iste nonagesimus sextus, in sexagesimum quartum primò & tandem in quadragesimum septimũ mutatus est, præterea vigesimus quartus etiam in decimum sextum diminuerunt Fœderati Ordines. Ex ordinatione Transisalaniæ Status illustrem scholam accepit, in qua Theologia cũ Ebraica lingua & jus Civile docentur. Præter hebdomadarias nundinationes, singulis annis quinq; ibidem celebrantur, quarum festum incidit in quadragesima S. Ioannis, S. Iacobi, S. Lævini & S. Martini. Primarium templum D. Lebuino sacrum est, quod ad Occasum sibi adjunctum habet aliud fanum D. Mariæ Virgini consecratum. Templum B. Nicolai editissimo totius civitatis loco, quocirca Montensem Ecclesiam vulgo *die Bergkerck* vocant, conspicitur. Adhæc quinque Cœnobiis, Nosocomo item & Xenodochio ornatur. Publicã Tabernam habet vulgo *VVeinhauss.* ubi cives suas lites componunt hesternas, & novas ex ebrietate constituunt, invalescente Baccho.

Operapublica.

Adhæc civitas frequens civibus & universæ Transisalaniæ metropolis. Hic natus fuit Gerardus, cui ob raras virtutes cognomentum Magni est additũ; scripsit autem complures libros idq; docte admodum & nervose. Fuit etiam civis Daventriensis doctus & clarus Alexander Hegius magni nostri Erasmi Roterodami præceptor. Est item hinc oriundus Iacobus Daventrius', insignis plane Geographus, ut ex variis & pulcherrimis ejus operibus constat. Hæc urbs non solum fœdere Hanseatico gaudet, sed etiam immunitate Romani Imperii. Hodie eam tenent adhuc ex beneficio superius allegato Hollandiæ Ordines.

SWOLLA posita est ad ignobilem quendam amnem, qui aquas suas in Vidrum exonerat, distat Campis prægrandi duntaxat leuca; estque oppidum lautum, validum, duplici fossa circumdatum, aliisq; propugnaculis adversus hostiles insultus communitum. Est libera Imperii civitas iisdem privilegiis obnoxia, quibus Daventria. Hanc Fœderati Ordines Hollandiæ quoq; sibi vendicant.

Swolla.

CAMPÆ ad Lævam Isalæ ripam adeoq; ad ipsas fauces sunt positæ, Daventria quinq; circiter leucis abjunctæ. Civitas equidem momentosa, ampla & concinna, quæ patricium habuit clarissimum Albertum Pigium, virum omni litteratura magnum, præsertim in Theologia eximiũ, Martini Lutheri antagonistam vehementissimũ. Fuit idem cosmographus & insignis Mathematicæ suppellectilis architectus, ob raras virtutes acceptissimus Hadriano & Clementi Pont. Max. à quibus ditatus opibus & honoribus in patriam tandem reversus est, ubi in publica omnium gratia aliquot adhuc annos vixit & vitam finivit summa cum gloria. Hæ tres jam prædictæ civitates ob magnum earum æstimium quo passim celebrabantur, urbibus Sacri Romani imperii anno Christi 1495. accensitæ sunt, & privilegiis admodum luculentis supra alias urbes donatæ.

Campæ.

Vollenhovia jacet ad lacum Flevi, Stenovico duabus leucis abjuncta, oppidum valde lautum situq; admodum opportunum, ob annonam imprimis quæ summa undiq; abundantia civibus terra mariq; subvehitur,

VVollenhovia.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [114] - -

hitur,ob quam rem , hic Senatui perpetua& ſolennis ſedes eſt , à cujus ſententiis nulla datur ulterior provocatio,at limitata eſt tamen aliquatenus ejus auctoritas : nec ſententias unquam pronuntiat,niſi coram adſit Provinciæ Gubernator , qui propterea ut plurimum commorari ſolet,etſi Friſiæ quoq; ac Groningæ præfectus ſit. Quæ gubernandi ratio quidem valuit tempore quo Hiſpanus floruit , at nunc aliam faciem provinciis bello diſtractis,induerunt.

Stenovicum Stenovicum adſidet amni Blocſilæ in lacum Flevi influenti,Meppela leucæ duntaxat ſpatio diſſitum.

Haſſeletum. Haſſeletum adjacet flumini Vidro, duabus leucis ab Vollenhovia,eſtq; oppulentum imprimis & lautum oppidulum.

Otmarſia. Otmorſia trium leucarum ſpatio diſſidet Almeloa, eſtq; oppidum valde antiquum & juxta Trithemium ab Odemaro Francorum Rege, cujus & nomen gerit exſtructum,idq; ad tumulum ipſum Vechtani, magni & familiaris ejus amici.

Oldeſalia. Oldeſalia leucæ nimirum itinere diſtat Otmarſia, ſuntq; hæc omnia oppida ſane quam mediocria. Nunc occurrunt decem illa loca primaria paulò ante nobis enumerata,ex quibus prima ſtatim proſurgit.

Meppela. Meppela,ſita ad rivulum quendam ignobilem, Covordia quatuor leucis abjuncta.

Geelmuda. Geelmuda ad oſtium fluminis Vidri eſt,medio inter Vollenhoviam & Haſſeletum itinere,à quo utroq; pari unius leucæ intercapedine diſſidet. Eſt autem munita & pulchra ſatis arce conſpicua , in qua perpetuus præſidiarius miles eſt.

Covordia leucæ ſpatio abeſt ab Hardemberga. *Covordia.*

Hardemberga adjacet flumini Vidro.

Omma diſſidet Hardemberga duabus minoribus leucis & ad eundem Vidrum poſita. *Hardemberga.* *Omma*

Almeloa ſita eſt ad torrentem ignobilem qui in Vidrum ſe exonerat.diſtat autem Gora duabus leucis. *Almeloa.*

Gora quoq; ad Vidrum eſt, Diepenhemio leuca duntaxat abjuncta. *Gora.*

Diepenhemium Delda duabus leucis abeſt. *Diepenhemium.*

Delda ſeſquileucæ itinere diſſidet Enſchedam. *Delda.*

Enſchedam leucæ ſpatium Oldeſalia diſparat. *Enſchedam.*

Populi hujus ditionis,ut ſunt inter Geldros & Friſios medii,ita ingenium quoq; & mores utriuſq; illius gentis participant. *Populi indoles.*

Fuit olim hæc terra in ditione Præſulum Ultrajectenſium; verum Henricus Bavarus Præſul,iiſdem plane de cauſis , ob quas anno 1527. ſeculare , ut vocant diæceſeos ſuæ imperium Carolo V. Imperatori ceſſit, etiam hujus territorii jura in Cæſarem tranſtulit: Quare & filius ejus Philippus anno 1549. ſuſceptus eſt & juratus in futurum terræ Tranſiſalanæ Dynaſtam. Hodie magna ex parte Hollandici Ordines eam poſſident & tuentur. *Hujus regiminis olim ſtatus.*

Habet Tranſiſalania præter Iſalam , Vidrum & alia minora flumina ; habet & amœna & utilia nemora, quamvis exigua & ſine nominibus. *Flumina* *Silvæ.*



DRENTIÆ
COMITATVS,
Et Dominium
WESTERWOLDIÆ.



DE Regionis hujus nominis origine non habeo quod in medium proferre possum; progredior ideo ad fines quibus terminatur, qui sunt ad Orientem Westphaliæ pars; ad Septentrionem Gelriæ quædam portio; ad Occidentem Frisiæ Occidentalis particula; ad Meridiem habet Twentanum Comitatum cum quadam Transisulaniæ parte. *Finis.* Regio quibusdam in locis firmissima habet propugnacula quæ facile hostium incursus quantumvis propemodum subitos arcere valent; *Qualitas.* passim quoque referta est ericetis & dumis exiguisque collibus, ex quo facile colligitur quantum frumenti quotannis producat. Paludibus & stagnis non caret item, quæ totam regionem sua intercapidine occupant. Quocirca incolis aliunde vitæ alimentum mutuari licet; & cum suis commodis terra incolas non satis beare potest, præstat igitur ut sua sterilitate naturæ vicem suppleat, quod plerumq; contingere solet in iis locis, quibus provida Natura negavit rerum abundantiam, non detrehat necessitatem; siquidem ericeta quorum unum vulgo dicitur *Smilder-veenen* interfitum inter Groningam & Stenevicum; alterum *Echter-veenen* inter Coevordiam & Meppellam non exiguum commodum ruricolis accomodant, quibus effossis & sole duratis (quæ quadrangularem habent formam & Latine loquentibus cespites ustibiles & vulgo *Torf* vocant) magno ipsorum incolarum emolumento annis aliquot retro ad varia loca transvexerunt in subsidium ignis alimenti, scilicet in Hollandiam & in vicinos districtus, & ut facilius illorum esset distractio & e loco amotio, varias fossas & quidem latas & profundas fecerũt. Habet & Paludes ingentes versus Westphaliæ latus, inter quas primum locum sibi vendicat *Mussel-broeck* vulgo dicta. Hujus primarium oppidum est *Coevorden* variis obsidionum apparatibus clarum & nobile, quod mox ab Hispanis, mox a Fœderatis Hollandiæ Ordinibus occupatum varias belli vices sustinuit, quæ ejus fortunam non auxerunt, sed summopere debilitarunt; variis tamen propugnaculis munitur & fossis altis, quibus perpetuum militum præsidium additum; siquidem hoc oppidum magni est momenti.

Variis passim in locis stagna apparent quæ pro loci situ sua nomina sortiuntur velut *Grootsmilders-meer* quod videtur exaratum, cui adjacent adhuc alia suo liquore vacua & forsitan nunc *Maria.* in usum cespitum ustibilium; inque ejus finibus visuntur *Sulte-meer*, Groningam versus; *Suytlarer-meer*, versus dominium Wester-woldanum; *Noortwolder-meer* ad latus Frisiæ Occidentalis; prope quod exigua adhuc *Duyvels-meer* & *Eesser-meer* jacent.

Præfecturis etiam gaudet, ut sunt, *Ding spil Nordevelt* ad latus Groningæ; *Oostermeer-Ding spil* ver- *Præfe-* sus Dominium Westerwoldiæ; & ad latus Westphaliæ *Ding spil-Suydevelt*; & in meditullio hujus *ctura.* Comitatus *Polder-Ding spil*, *Beyler-Ding spil*; ad latus vero Trans-Isulaniæ *Diverder-Ding spil.*

Valteschantz fortilitium eminet prope Dominium *VVesterwald* probe munitũ quod quamlibet *Propu-* vim arcere potest, a quo duorum miliarium spatio dissidet exiguum illud fortilitium *Schantz ten gnacula.* *Hole* dictum. Nobilium ædibus non minus splendet, ut sunt, *Havixhorst*, *Roebrugge*, *Anse*, *Aldengaerde*, *Het huys te Batinge*, *Eutinge*; *Hoog smilde* & *VVesterbeek*, *Nienhoven* & Domus *ter Klincke*, Domus *ten Roen*, *Dwingelo*. Cœnobia sunt *Assen-Dickninge*, *Schoonebeeck*, & alia nonnulla.

Pagis quamplurimis & viculis stipatur qui visui hinc inde in tabula obveniunt. Fluminibus irrigatur *Aa* & *Roska*; & amnibus *Hoorendiep* & *Schuytendiep*, &c.

Dominium WESTERWOLDIA videtur unum genium cum suis vicinis habere tractibus, quod passim quoque paludibus & ericetis est conspicuum in cujus ambitu visitur propugnaculum *Bourtang* non exigui momenti, circumquaque quod vulgo *Moras* vocant septum, ad quod difficilis est aditus; & supra illud duo visuntur adhuc propugnacula, quorum unum ad amnem *VVestwolder-Aa*, *Bellingwolder Zijll* dictum; & alterũ non longe a *Bellingwolder-meer* suo munimine firmum. In hoc districtu apparet Cœnobium *Ter-Apel* undiq; fluentis interceptũ quod amœnitate gratum faciunt vicinæ arbores. Adjacent illi regiones Westphalia & Drentæ Comitatus; *Oldenampten* & Dollartæ pars; Regio ubi bene colitur, frumenti pro sua magnitudine satis ferax.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [116] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [117] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [118] - -
PUBLIC DOMAIN

FRISIA
OCCIDENTALIS.

Frisiæ termini ambitusque.

A Flevo FRISIA incipit, quæ mores nomenque priscum retinet. Flevus quondam fluvius non magnus, etiam inter ostia Rheni a Veteribus numeratus, ingens nunc maris sinus, agris abluvione absorptis, influens in lacum illum vel sinum potius magnum, quem Australe mare, *de Zuyderzee* vulgo nuncupant. Hoc sinu prima hodiernæ Frisiæ pars, quam *Occiduam* proprio nomine vocare cœperunt, ab Occidente tota alluitur, Hollandicam oram longo intervallo respiciens. Incepit quondam ab Austro à Vidri fluminis ostio, quanquam tempus fuit, cum ultra Vidrum, Hasseltum, Vollenhoa, Stenevicum, Cunera etiam per Episcopos Ultrajectinos Frisiorum Reipublicæ ademptæ sint. Sic post Cuneram demum Frisia hodierna initium meridionale capit. Inde secundum littus in Septentrionem modice primum flexa, ubi Stellingwerficus ager mox velut in Hollandiam excursura, recta in Occidentem longo se spatio porrigit, occurrsuque Hollandicæ oræ similiter prominentis, æstuaria Flevi ab Austrino sinu quasi secludit.

Civitates munitas habet octo, oppida pulcherrima sine muris tria, Abbatias novem, cœnobia in universum XLVI. Præfecturas juridiciales XXVIII, vicos celeberrimos CCC XXXI. Divisa usitate in tres partes, quæ jam fœderibus se jungere communemque rempublicam tueri, jam seorsim sibi consulere solent. Sunt autem illæ vulgo dictæ *Westergoa, Ostergoa,* & Sylvestria, sive septem-silvæ vernacule *de Sevenwolden.* Prima Westergoa est, à Stavera Frisiorum quondam metropoli illustri initium ducens, & majorem longitudinis universæ partem complexa, mari aut æstuariis magna ex parte circumfusa & multo opulentior, hominibusque & ædificiis frequentior. In hac *Franekera* est, civitatum Frisiæ amœnissima & mundicie rara, domibus virorum nobilium peramplis & insignibus ornata, rivo navigabili irrigua, vallo terreo ac fossa probe munita, civium elegentia ac institutis florens, domicilium Musarum hoc tempore. *Sneca* humili loco & aquoso piscium proventu imprimis felix; *Bolsverdia* vetustate pollens, mediterranea oppida & jam olim contra hostiles insultus communita: item *Harlinga* in littore, recens mænibus circumdata cum arce paulo ante firmissima & peregregio portu, mercatu celebris, velut emporium totius regionis, in annos singulos fortunam adhuc adaugens: tum *Slota* & *Stavera* quondam Frisiorum regia, superbo cultu, nunc oppidi vix nomen tuens aut speciem retinens. *Hindelopa* & *Worcumum* in littore Occidentali. *Ilsta* Snecæ vicina, agro humili & irriguo ut ipsa quoque Sneca, sita, quæ mænibus carent. Territoria porro octo; Wenseranum, Franekeranum, Barranum, Meinaldanum, Baerdanum, Hennerdanum, Wiimbritzeranum, Biltanum, & in his vici ad CXXVII. Cœnobia monachis aut sacris virginibus dicata XXIV.

Partes Frisiæ occident.

VVestergoa.

Franekera.

Sneca.

Bolsverdia.

Harlinga.

Slota & Stavera.

Hindelopa VVorcumum.

Ilsta.

Ostergoa.

Altera *Ostergoa* à Westergoæ fine in Lavicam flumen & Gerriconis cœnobium, agri Groningani limitem, porrecta; opibus & viris nobilis, præsertim qua Boream & Occidentem spectat, aut littori vicina est (nam ubi Groninganis contigua est & Meridiem versus procurrens *Sylvestribus* propinquat, reliquæ parti haud par est) ad cujus initium *Leovardia* est, civitatum Frisiæ Occidentalis maxima & splendissima, ædificiis, sacris, profanis, publicis, privatis, nobilium præsertim atriis magnificis illustris, rivis profundis per medios vicos præcipuos decurrentibus (ut pleraque Frisiæ oppida) permeabilis, vicis tersa & sine omni immundicie ac sorde, opulenta, nitida, populosa, cultu & moribus hominum præcellens, munitionibus validis per ambitum cincta, sedes, hoc tempore summi Senatus Frisici per ea loca, ad quem ab omnibus reliquis tribunalibus inter Flevum & Lavicam provocatio est, sita prope in umbilico regionis totius, loco uberrimo & ad quem ex cunctis oris omnibusque agri partibus navigari lenunculis possit; deinde *Doccumum* portu commodo, quem alveus non contemnendi fluminis in Lavicæ æstuarium se effundentis, quod Doccumanum rivum vocant, efficit, insigne oppidum ad IV passuum millia intus ab ortivo latere, ubi flumen exit, pauloque minus à Boreo recedens, aggere terreo cum propugnaculis & fossa in circuitu munita: præfecturas præterea habet XII; Leovardianam, Tyetzercanam, Idaerderanam, Ferverdianam, Rawerdianam, Dengranam duplicem, Dantumanam, Octopagicam, Columanam, Upsteranam, Smallinganam. Vicos CXXVII. Cœnobia XXI, arces nobilium vetustas quam plurimas.

Leovardia.

Doccumum.

Tertia pars Sylvestres, quos *Sevenwolden* nuncupant, continet cum agris vicinis Stellingwerfico & Scoterlandico, qui cõtermini sunt Ultrajectinæ diœcesi multumque pro libertate contra Episcopos certamen habuerunt. Hæc pars palustris aut fabulosi soli, silvas quoque habet modicas quæ nomen ei dederunt & lacus nonnullos piscibus copiosos; potissimum ubi Westergoæ conjungitur: oppidis omnino caret & in universum felicitate cæteris multum cedit. Præfecturis continetur novem, sed quæ Westergoæ præfecturis octo haud quaquam æquent: Donyeverstalæa, Lemmerana, Anieverdiana, Scoterlandica, Uttingara, Hascherana, Stellingwerficæ duæ Orientalis & Occidentalis, Geestana. Vici in iis numerantur LXXVII. Cœnobium vero unum. Qua parte aratur, frugum satis ferax, pascuis non perinde idonea. Terram palustrem fodit magna copia & devectam per rivos in usum ignis vicinis divendit. Hujus incolæ, ceu fieri solet animo & corpore ad bellum, laboresque magis quam reliqui, quas copiæ & delitiæ enervant, prompti sunt. Westergoa universa & ea quam dixi, Oostergoæ pars multo magis fruge, armento, gregibus, piscibus, avibus, quibus culina instrui laute potest, supra quam credi queat, felix est; sed illa humilior, lacubus aut stagnis abundans & pluribus fluentis irrigua atque ita piscatu & aucupio melior. Oostergoa vero editior & pascuis optimis satisque nobilior, utramque tamen rivi percurrunt multi navigabiles, sed excellit Documanus lati & profundi alvei Doccumo Leovardiam ducens, ac illic in duo se brachia scindens, e quibus alterum Franekeram perluens, Harlingam tendit ibique in mare rursus effunditur; alterum in Meridem se præcipitans & lacubus aut stagnis se miscens, Snecam, Ilstam, Slotam, Staveram, Worcumum per ambages contingit & connectit pluribusque locis in mare influit. In hunc & alii quoque rivi se insinuant, qui Sylvestrium agrum pererrant, quorum maximus *Cunerus* est, quanquam is proprio ore ad Cuneram vicum cognominem in sinum australem etiam effertur. Atque hinc maxima sane commoda incolis ultro citroque commeantibus proveniunt.

Cæterum alius longe, quam nunc est, hujus regionis habitus aliaque forma quondam fuit; nam longius extra id, quod nunc extat, littus agri procurrunt versus insulas, *cies.*

Alia olim Frisiæ hujus facies.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [120] - -

las, quæ octonis alibi, alibi senis aut quaternis passuum millibus à continente hoc tempore recedunt (hæ sunt Scellinga, Amalandia Schiermonicoga) quondam etiam cum iisdem cohæsisse feruntur; quanquam humiles & rivis stagnisque crebris divisi. Et quæ nunc continentibus agris ubique inter se junctæ sunt Oostergoa & Westergoa ex profundo latoque maris influxu totis lateribus dirimebantur, ad cujus influxus oram, eo loco ubi Berlecomum est, oppidum fuit, mercatorum frequentia ob insignem portum percelebre: *Vigongum* dixere, quod nomen in parte vici ejus, ut ampli, ita elegantis etiamnunc reliquum vestigiaque oppidi nondum penitus obliterata. Adhæc quicquid fere paluſtrium aquarum in Oostergoa ac silvestribus erat, aut e vicinis lacubus in Orientem se effundebat, id collectum per Lavicam in mare efferebatur, amnemque illum, qui jam pene exaruit, vixque rivi nomen, antequam in vadum exeat, tuetur, profundum & magnis classibus navigabilem faciebat.

Lingua. Lingua usi sunt omnes Frisii una & eadem, quæ ut Germanicam originem satis arguit, sic tamen à vicinorum sermone discrepat pene, ut sui cujusdam generis videri possit; nec enim intelligi potest ab exteris ullis; nec olim Frisius in patria educatus exteros etiam vicinos commode intelligebat. In universum tamen cum Anglico sermone tantum cognationis & similitudinis habet, ut ad nullum omnino aliarum gentium, ne finitimarum quidem, propius accedat. Quod sane Frisicæ originis in ea gente argumentum est maximum. Nomina quoque gentis diversa prorsus à gentibus cæteris, usque eo, ut horum argumento genuinum Frisium ab ascriptitio insititiove soleant quondam discernere.

Imperium. Ingenium genti in universum simplex, ingenuum, excelsum, promptumque pro libertate ad arma. Post regium imperium præfectos habuerunt suæ gentis, liberis populi suffragiis electos, ex quibus honoratissimus qui erat, & in omnes reipub. partes animum intendebat, accepta ab Italicis civitatibus consuetudine, Potestas proprio vocabulo dicebatur, eratque Magistratus ex populi arbitrio annuus interdū, interdum annorum plurium, nonnunquam etiam perpetuus. Præter istos Comitem quoque ab Imperatore singulis quadrienniis in Frisiam mitti solitum esse, eo nimirum seculo, cum id, quod de Potestate dixi, in desuetudinem isset, in codice antiqui juris Frisici legitur coram quo, si quæ majores in populo controversiæ hærebant, disceptabantur. Deinde & nobiles quædam familiæ, honore opibusque in ea gente eminebant, quarum ambitione factum, ut populus in factiones divisus, bello intestino patriam distraxerit. Feuda & dominos nemo noverat, nisi quod Imperatorem patronum ac Supremum Principem agnoscebant. Hodie federati Belgii pars, communibus studiis libertatem adversus Hispaniarum Regem fortiter feliciterque asserere pergunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [121] - -
PUBLIC DOMAIN

GRONINGA.

Termini.



AGER Groninganus ab Occidente Lavica flumine, à Septentrione mari Germanico, ab Ortu Amasis æstuariis & Dullarto sinu, à Meridie Drentiæ limitibus clauditur. Ejus populos in duas velut classes sed impares, fluviolus distinguit, qui collectis ad urbem Groningã per diversos ex Drentia & Fredevaldiis venientes rivos aquis paluſtribus, plurimisque emissariis auctus, & mire flexibus sinuosus, in Lavicæ æstuarium satis profunda alveo se ejicit, *Rivum* vulgo vocant, ab arundinibus cognomine impositio. Populorum nomina, situs, ratio ita se habent. *Populi.* Ad Occidentem fluminis, *Langovaldii* Ostergois finitimi, complexi vicos fanis insignes 13, *Fredevvoldii* silvestribus ac Drentiæ propinqui, vicis 10 comprehensi, tenui in solo utrique. *Hummerzii* in latere æstuarii Lavicani ad effluxum fluminis jam dicti, eluvionibus ad 3 tantum vicos redacti, sed agri felicis. *Medachii* ad ejusdem fluminis ripam introrsum magis pertinentes, in vicos 9 in solo omnium uberrimo sparsi. Ad Orientem amnis sunt *Hunesgonii*, latis simul & omni ex parte tum natura, tum hominum opere bene cultis finibus. *Fivelingii* Hunesgonios ad Ortum sequentes in Amasis ora, in duas divisi sunt partes, quarum prior 31, vicos complexa insignes, nulli superiorum felicitate cedit, tum ob terræ bonitatem, tum ob commoda fluminis vicini; altera vicis ratior, quos 9 tantũ habet, paluſtri solo sitos, *Dursvaldia* proprio nomine vocatur. Ad Dullarti finem *VVesterwaldii* sunt, Reideriorum quondam pars inter sinum & Amasim incolentium, in quos imperium legitimum habuit aliquot seculis Addingia familia nobilis. nunc ad Arenbergios omnia translata. Postremo est suburbanum territorium regionis totius limitem ad Austrum longo tractu, contra Drentiam tuens, vicos ambitu suo continens 12, cœnobia duo. Atque hujus in solo, ubi arenis gleba pinguior *Groninga.* jungitur, sedem habet GRONINGA quam dixi, non maxima solum inter urbes, quas Frisia amplectitur, sed nomine etiam & potentia & rebus gestis & specie quoque ipsa antecellens. Forma reipublicæ in urbe est Aristocratica, Democratiæ mixta. Magistratus, quive alii partem aliquam reipublicæ tractant, per suffragia lecti omnes, alii bienne, alii annuum munus habent, pauci perpetuum. In his Senatus 16 virũm, è quibus Consules quatuor, cæteri Senatores, toti reipublicæ præsident. Quatuor-viri judices cum Legato regio, prætoriam potestatem habentes in omnem agrum vicinum, ex ordine fere consularium; concilium delectorum juratum 24 viris constans, & in his trium-viri Concilio præfecti, ejusdemque oratores, omnes media sui parte Collegiis suis decedentes quotannis, totidemq; aliis surrogatis locum dantes, quos sorte ducti è Concilio jurato viri quinque in senatorio ac suo ordine legunt: senatus vero in ordine judicum & hos fere consulatu tum abeuntes. Deinde Ædiles tribunitiæ potestatis duo, velut plebis patroni, imprimis intercessionis jure pollentes, à Collegiorum plebejorum præfectis designati quotannis aut continuati; tum ipsi collegiorum præfecti, terni in collegiis singulis, à quibus ipsi similiter quoque quotannis eduntur, numero omnes 54, quorum 18 Seniores, qui auctoritate præstant, singuli nimirum singulis in collegiis, cæteri capita collegiorum vulgo sunt dicti. Præterea octo-viri duplices, hi mercantium & vendentium itemque naviculariorum controversiis cognoscendis præpositi quondam, ac in his Senior quem sic vocant, actor in collegio præcipuus, jurisque civium in mercando advocatus ac assertor. Populus oppidanus moribus comis, blandus, solers, in- *Mores populi.* dustrius, à literarum cultu & captu non abhorrens, neque abjectè de se sentiens, ideoque in veste ac victu sumptuosus, imperii cumprimis avidus, ac ejusce gratia quidlibet susçipiens & perferens; pertinacissimus vero in tuendo jure suo & libertate contra oppressores & cuncta potius, quam servitutem perpetiens. Pauci nunc in populo Frisii, plures è convenis orti, multo plures vero aut Westphali aut Drentini; inde velut soboles perpetua civitati sufficitur. Olim tamen ita observatum, ut ad Consulatum aut ordinem Senatorium nulli facile, nisi antiquis, partim etiam nobilibus familiis, quæ complures ex agro in civitatem concesserant nati, aut alioqui insignibus commendati dotibus admitterentur. Quæ ratio quam diu valuit, & pax cum vicinis, quos idem sanguis miscebat, immota, & prospera fortuna civitatis fuit. Ea projecta, cuncta reliqua etiam in contrarium iere. Urbs ipsa fossa valloque terreo maximæ molis & propugnaculis munitissima, ac prope inexpugnabilis: vici ejus recti, lati, amœni & quidem ad fora quæ duo sunt, magna ex parte pertinentes, è quibus sex etiam singulis à portis linea recta ducuntur; ædificia splendida & suppellectile nitentia; fora spaciosissima, imprimis id quod latum vocant, curiam cum Oenopolio ambiens, fana in universum duodecim, sed parochica tantum tria, quorum antiquissimũ formæ rotundæ ac arcis in modum validis parietibus structum, Walburgi virgini sacrum cum puteo perennis & ad summi labri altitudinem perpetuo scaturientis aquę; alterum ab amne dictum, in extrema fori piscarii area situm; tertium Martinianum longe splendidissimum foro præcipuo accubans, cui turris imminet firmissimi operis, ac ob altitudinem raram etiamnunc, quamvis fastigio excelso mutilata vi ignis, late spectabilis. Ex cæteris quæ monasticis familiis dicata sunt, duo quoque peregregia & splendida. Franciscanum in oppidi fere medio & Dominicanum Iacobæi ordinis; reliqua ejus generis, & quæ ptochodochiis cohærent, minora. Verum vix quicquam urbe tota jucundius, quam frequentium hortorum & frugiferarum arborum insignis amœnitas in ipsius urbis sinu, passim ædificiis interjecta, & se proferens, aspectu pariter & usu delectabilis. Annonæ forum in urbe omnis generis copiosissimum quotidie, atque ex eo precii pene vilitas. Quod sane ex jure illo per federa olim acquisito & per longissima temporum spatia usurpato hactenus, non minima ex parte existit. Adjuvat etiam plurimum fluminum aut rivorum oportunitas, omni ab regione agri ad oppidi hujus mœnia humana opera coeuntium, atque hinc in diversa supra infraque porrectorum. E quibus is, quem supra descripsimus (*Reit* vocant) onerarias etiam è majorum genere ferens naves, alter ab oppido contra æstivum fere ortum defluens, & ipse non lenunculis solum & scalmis, sed actuariis quoque mediocribus navigabilis, assiduisque remigantium aut velificantium commeatibus perstrepens, spatio duorum milliarium Germanicorum ac dimidii confecto per Fivelingios in Amasum exiens à loco cui *Delfzielæ* nomen à canalibus, per quos exit, datum, quo loco portum efficit, toto eo latere commodissimum, ac pene unicum.

Porro ad hunc rivum alterum regionis oppidum est *Dammona* cognomen rivo tribuens, ad duo passuũ millia, ab Amasis ripa loco felice situm in Fivelingiis, à rivo ipso divisum, amœnum & ædificiis præclaris, sed nullo mœnium honore, id quod Groningensium livori se debere queritur, quorum contentione factum sane, ut bis terve jam centum proximos intra annos excitatum in ambitu ejus vallum, in nihilum semper reciderit. Reliqua per agrum vici tenent singulis cum fanis, plus mi-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [123] - -

nus 160, quorum non pauci ea magnitudine & cultu sunt, ut oppidula videri possint. Ex his *VVarsumum*, *Bedumum*, *VVinsummum*, *Vthusa* in Heneſgoniis: *Northorna*, *Visseta* in Longovaldiis; *VVinscota* & quondam florentissima *Midvvolda*. At nunc Dullarti furoribus pene desolata. In præfectura veteri, *Loppershemum*, *Berwmum*, *Farmsumum* & quæ nominata jam ante est cum portu suo *Delfziela* in Fivelingiis. Et hæc quidem multo impendio & labore decreto Ordinum Belgicorum nuper fossa & vallo circumductis, spatioque ampliato in oppidi pene justi modum redigi cœpta, ad premendos atque in ordinem cogendos Groningenses. Distat hic locus ab urbe Embdana, quæ in adversa Amasis ripa est ad passuum millia novem. Egregia porro ædificiis ac opulentia. Monachorum & sacrarum virginum cœnobia in agro sunt numero 25; ante cætera vero *Adwardia* in Medachiis quinque pagis imperans, famosisque opibus inclyta & superbo imprimis fano visenda; ab eo Vetus ad Dammonam & alterum in Marnensibus, deinde Warfumum, Rottumum, Thesinga, Siloverdia, Grisomonachum, Wettowerumũ, Hilligerlea, Schiltwolda, postremo Iessæum non procul pomerio urbis Groningæ positum in præfectura suburbana. Nec ad hæc, quod mireris, Regum aut Principum liberalitas quicquam contulit, sed rusticæ plebis studia, paucorũque nobilium ista sane pro re ac agri modo majora congessere. Atque his omnibus si quis addat nobilitatis domicilia toto agro sparsa, inveniet nihil ad ejus pulchritudinem ac fortunam pene adjici posse.

Viri clari. Ut ad Groningam revertar, hæc illa est, quæ Rudolphum Agricolam Orbi dedit, virum consummatæ eruditionis & alterum Boëtium, in quo linguarum Græcæ, Latinæ & Hebraicæ excellens fuit peritia & dicendi summa facultas, Philosophiæ exacta cognitio & Musicæ artis singularis usus, adeo ut Groningæ in templo primario, quod B. Martino sacrum est, tubi spectentur in organo pneumatico facti ipsius manu. Sepultus est in æde Franciscanorum. Eadem Groninga & quidem eodem tempore habuit Wesselum, primum sui seculi Theologum & Philosophum, cui hoc elogium dedit consentiens doctorum vox, ut Lux Mundi vocaretur. Obiit anno 1479. Et adhuc nostro seculo tantus est Reipublicæ in eruditionem, sapientiam affectus, ut nuper magnis impendiis Scholam aperuerit, omnium scientiarum atque artium, in qua juventus caste atque sobrie educata ad Reipublicę & Ecclesię gubernacula præparatur. Magnum ei lumen attulit hoc nostro ævo Ubbo Emmius notus toto Orbe Historiarum Frisicarum voluminibus.

Quondam hæc Regio tributaria fuit Hollandiæ Comiti tanquam ejus tutelari Domino & Ultrajectino Episcopo; sed factionibus in Frisia ortis in quas simul juraverat, distracta. Ne autem hoc malum longius serperet, Maximilianus primus Romanorum Imperator rerum gubernacula Alberto (sub cujus Domino hæ provincię Frieslandia scilicet & Groninga) in perpetuum & quidem hereditarium feudum concessit, qui, exercitu ingenti conscripto, eo adegit eos, ut non solum omne jus, privilegium & jurisdictionem quam in *Ostergovv*, *VVestergovv* & *Sevenvvolden* prætendebant, renuntiarint, verum etiam quotannis triginta Coronatorum millia pependerint. Quam pactionem reliquæ civitates, inter quas præcipua Leu wardena, etiam subscribebant: at pœnitentia paulo post stimulati iterum defecerunt, quos tamen armata manu subito repressit. Metuentibus vero Groninganis ne idem illis contingeret, per intercessionem Episcopi Ultrajectini res suas stabiliverunt. *Leuvvardena.*



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [124] - -
PUBLIC DOMAIN

GALLIA
IULII
CÆSARIS.

QUod hanc Tabulam sic inscribo non sit sine causa; siquidem est pura puta Cæsaris, hoc est, ex ejus Commentariis tantum delineata, neque ullam vocem aut locum ex alio ullo auctore huic addidimus, neque etiam ullum, qui iisdem Commentariis continebatur, prætermisimus. Illud solummodo indicare volui, mi lector, ut scires, ne Austra, quæ apud alios veteres Scriptores de Gallia legeris, ex hac tabula peti debere, tibi persuaderes. De regionis & incolarum indole ut solitus sum aliorum, hic nihil commemorabo; quia quilibet hoc potest ex solo Cæsare, qui omnibus præsto & ad manus. Quare autem simile quid ex aliis discerperem, cùm ipsa tabula non ex alio. Visum verò est ejus loco, heic de Druidibus ex omni vetere historia huic attexere.

Duo genera præcipuorũ hominum in Gallia à Cæsare constituta.

Cæsar 6. Gallicor. duo genera hominum in Gallia esse, qui in aliquo fuerunt honore, scriptum reliquit, unum horum *Druidum*; alterum *Equitum* fuisse ait. Strabo tria nominat; *Bardos, Vates & Druidas.* Sic quoque Lucanus his versibus:

Laudibus in longum Vates dimittitis ævum;
Plurima securi fudistis, carmina Bardi:
Et vos Barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum Druidæ, &c.

Item Marcellinus, nisi quod loco *Vates* legat *Eubages.* Diodorus *Bardorum* tantum meminit & *Druidum*, sed horum alio nomine, idem tamen significante, *Saronidarum* nempe. Plinius non semel videtur eos communi nomine *Magos* appellare. *Philosophos* nominat Lucianus in Hercule Oginio. Illud de nomine; hoc de ipsis. *Equites* (inquit Cæsar) *cum est usus atque aliquod bellum incidit, omnes in bello versantur, atque eorum, ut quisque est genere copiisque amplissimus; ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.*

Bardi Poëtæ sunt testibus Athenæo & Strabone, qui Hymnos laudesque clarorum virorum cantant. Sunt melodiarum Poetæ apud Diodorum, qui cum organis, veluti cum lyra cantant, hos laudantes, alios vituperantes. Festus Pompejus quoque hos virorum fortium laudes canere scribit & Gallice *Bardum* cantorem significare. Hæc de iisdem Marcellinus: *Bardi fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Ex Strabone video hos *Vates* vocari, sacrificare & naturam rerum contemplari. Ammianus (qui eosdem *Eubages* appellat) ita de his: *Scrutantes summa & sublimia naturæ pandere conabantur.* Omnes has voces, *Bardi, Vates, Eubages, Semnothei* & *Saronides* credit doctissimus Petrus Pithæus synonyma *Druidarum*: quod autem illos, me quoque suffragari facit, quod videam omnia, quæ à diversis scriptoribus singulis his attribuuntur, unis convenire Druidibus, quod palam fiet ex his, quæ sequuntur.

Druides itaque sive Druidas (utrumque enim apud bonos auctores scriptum reperio) Philosophos & Theologos facit Diodorus. Horum disciplinam in Britannia repertam dicit Cæsar; docet Tacitus 14 Annal. & inde in Galliam translatam. Et qui eam rem diligentius cognoscere volunt, plerumque illò discendi causa proficisci. Sed hos eosdem his ipsius Cæsaris verbis, quia nemo alius luculentius, describemus: *Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur; ad hos magnus adolescentium numerus disciplina causa concurrit, magnoque in sunt apud eos honore: nam fere de omnibus controversiis, publicis privatisque constituunt; & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, de finibus controversia est, idem decernunt, præmia pœnasque constituunt: si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. A bello abesse consuevernunt, neque tributa una cum reliquis pendunt; militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. tantis excitati præmiis & sua sponte multi in disciplinam conveniunt & à propinquis parentibusque mittuntur. magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent, neque fas esse existimant ea literis mandare, cum in reliquis fere rebus publicis privatisque rationibus, Græcis literis utantur. Id mihi duabus de causis institusse videntur, quod neque in vulgus disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt, literis confisos, minus memoria studere, quod fere pleriique accidit, ut præsidio literarum, diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Imprimis hoc volunt persuadere: Non interire animas, sed ab aliis post mortem transire in alios; atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus atque eorum motu, de Mundi ac Terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant & juventuti transdunt.* Hactenus Cæsar.

Sed majoris notitiæ causa, ea quoque, quæ alii de his, adjiciemus. Apud Pomponium hæc extant. *His terra Mundique magnitudinem & formam, motus cœli & Syderum, ac quid dii velint, scire profitentur. Docent multos nobilissimos gentis clam & diu vicenis annis in specu aut in abditis saltibus. Unum ex iis, quæ præcipiunt, in vulgus effluit, videlicet, ut forent ad bella meliores; æternas esse animas, vitamque alteram ad Manes.* Apud Marcellinum hæc lego: *Druidæ ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, sodalitiis adstrictis consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt & despectantes humana, pronunciarunt animas immortales.*

Laertius dicit hos obscure ac per sententias Philosophari; colendos deos, nihil mali faciendum & exercendam fortitudinem. Sed ex Strabonis 4 audiamus, quæ sequuntur: *Druidæ, præter rerum naturæ Philosophiam, etiam de moribus disputant. De horum justitia summa est omnium opinio, ita & publica iis & privata judicia committuntur, & aliquando bellorum causis disceptandis jam acie congressuros composuerunt. Maximæ judicia de cæde iis commissa sunt. Cumque horum multus est proventus, agrorum quoque fertilitatem consequi putant. Cum hi tum alii animam interitus expertem statuunt & Mundum. Tamen aliquando ignem & aquam superatura.* Ex Diodori lectione hæc de iisdem habe: *Vtuntur insuper divinatoribus, qui apud eos cum & auguriis & sacrificiis futura prædicant, plurimi æstimantur, omnes eis obtemperante plebe. Cum vero de rebus magnis consultant, mirabilem incredibilemque consuetudinem servant: hominem enim immolantes, feriunt ense super transversum pectoris septum, quo decidente, tum ex casu, tum ex membrorum dilaceratione, tum etiam ex sanguinis fluxu, ex quadam antiqua rerum observatione, norunt futura. Est apud eos mos, nullum absque Philosopho sacrificium facere; existimant enim per divinæ naturæ conscios sacra fieri oportere, tanquam linguæ deorum peritos, atque horum intercessione bona à diis censent petenda. Quorum consilio, & pace & bello fruuntur.* De hac hominum immolatione dictus Strabo lib. 7. ubi eos Vates nominat: Poetæ vero tanti apud eos fiunt, *ut cum instructa acie exercitus, eductis ensibus sactisque jaculis propinquant non solum amici, sed & hostes quoque eorum interventu à pugna conquiescant. Ita apud agrestiores barbaros ira cedit sapientiæ & Mars reveretur Musas.* sic Diodorus.

Nunc Dionem Prusæum adeamus, qui hæc: *Celtæ habent Druidas, divinationis studiosos atque sapientiæ, sine quibus nihil unquam est Regibus facere aut consulere ita, ut, siquis verum dicat, illi regnent: Reges autem sententiæ sint ministri & servi, licet in thronis aureis sedeant magnasque domos habitent & sumptuose conviventur.* Hic denuo repetemus hæc ex Lucano:

Et vos barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos & cæli numina vobis,
Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis. Vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt, &c.

His autem omnibus Druidibus, teste Cæsare, *præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem: hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit; at, si sint plures pares suffragio Druidum adlegitur, nonnunquam etiam de Principatu armis contendunt: iis certo anni tempore in finibus Carnutum* (ad Ligerim fluvium, si fides Queruli Comœdiæ, quæ Plauti nomen præfert) *quæ regio totius Galliæ media habetur;*



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [124] - -

betur, confidunt, in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorumque judiciis decretisque parent. In his Carnutibus hodie Druidum nomen superesse videtur in loco *Dreux* dicto. Gabriel Symeonius in Cæsare suo renovato scribit, se in hujus tractus saltibus vidisse horum Druidum antiqua palatii vestigia. Atque hæc de Druidibus, quorum magiam, & homines immolandi morem ad sua usque tempora perdurasse, tradit Plinius, qui eum sublatum addit à Tiberii Cæsaris Principatu. Suetonius in Claudio scribit sub Augusto interdictum, sed tantum civibus; ab ipso autem Claudio penitus abolitum, quod & Seneca in Ludo de Claudii morte affirmat. Non plane tunc temporis Druidarum nomen exstinctum, ostendit 4. Histor. Tacitus, ubi ait, incendio Capitolii, quod sub Vespasiano accidit, possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, Druidas vana spe cecinisse. Ælius Lampridius scribit, Alexandro Severo Imperatori ad bellum Gallicanum eunti, exclamasse mulierem Druidem Gallico sermone: *Vadas, nec victoriam speres, nec militi tuo credas*; neque fefellisse: nam in eodem occisus fuit. Fl. Vopiscus tradit, Aurelianum consuluisse Gallicanas Druidas de suo imperio, an ad posteros permaneret. Idem ait, Diocletiano, cum adhuc miles esset, apud Tungros à Druide muliere prædictum Imperium eum adepturum. Neque post hunc ulla earum in historia memoria; nisi huc transferas, quod habet Eusebius 4. Præpar. Euang. (hic enim vixit sub Constantino Magno & Constantio) ubi scribit Celtas ad sua usque tempora sacrificasse Homicidio. De Druidibus hoc annotavit Plinius, iis nihil sacratius esse viseo (quod *Dryos hyphear* vocant) arbore, in qua gignitur, si modo sit robur: *Per se*, inquit, *roborum eligunt lucos, nec, ulla sacra, sine ea fronde conficiunt, ut indo appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri. Enim verò quicquid adnascatur illis, è cælo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris, Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis epulisque rite sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant precantes ut suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederint. Fecunditatem eo poto dari cuicumque animali sterili, arbitrantur, contraque veneno omnia esse remedio.* Idem Plinius lib. 29. cap. 3. de ovo anguino mira, idque se vidisse asserit: *mali orbiculati modici magnitudine, crusta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, insigne Druidis. Ad victorias litium ac Regum aditus mire laudatur, &c.*

Samolum quoque herbam sinistra manu legunt jejuni nec respicientes, contra morbos suum boumque, eodem Plinio teste, qui & de herba Selagine hæc refert: *Legitur sine ferro dextera manu per tunicam, qua sinistra exuitur velut à furante, candida veste vestito, pureque lotis nudis pedibus, sacro facto prius quam legatur, pane vinoque. Fertur in mappa nova. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum & contra omnia oculorum vitia sumum ejus prodesse.* Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est, ut idem subjungit.

Druidarum etymon cognoscere cui libido, Goropii Gallica adeat, ubi hanc vocem ex Germanico fonte, veritatis sapientem sive doctorem interpretatur. Magistros sapientiæ etiam hos Pomponius facit: ausim ego Dei vel divinorum, tanquam Theologos (ut eos Diodorus vocat) dicere, quod *Druthin* antiqua Germanorum lingua Deum significare video, idque in Otfridi Euangelio, typis excuso & *Druthin* hactenus pro Deo in usu esse scio apud Islandos, quibus non alia lingua quam Germanica, etsi dialecto in multis diversa (quod quibusdam Germaniæ finitimis populis, ut Danis, Norvegiensibus & Suedis quoque contigit) cognita. Huic sententiæ suffragari item Laertium video, qui ex Aristotele scribit eos quoque *Semnotheos*, quasi diceres deorum cultores appellari. In Camdeni amici nostri Britannia lego Albricum quendam scribere, quod *Drii* Saxones magnum vocent (voce idem quod Theologus & Philosophus notante) & magos nominat hos Druidas quoque Plinius; nomen enim eos à quercu non habere, ipse idem satis fatetur; dum addit à quercu vel viseo eos posse Græca appellatione appellatos videri. (Videri & esse, differre nemo non novit.) Et qui possent à *δρῦς* voce Græca hi denominari, cum horum disciplinam repertam in Britannia ait locupletissimus testis Cæsar, ubi nulla unquam Græcorum colonia: Nam Ulyssis navigatio & in hanc insulam adventus pro fabula, non historia habetur ab omnibus recte de rebus sentientibus; neque cum Eratosthene eam credere cogar, donec quis aliquem qui ejus utrem ventorum consuerit, mihi ostendat. Germanicæ vero linguæ in hac eadem usum negare poterit nemo, nisi qui Taciti aut Cæsaris scriptis fidem abrogaverit; hic enim ex Belgio (in quo, eodem auctore Germani Cis-rhenani) colonos in hanc insulam transisse ibidemque remansisse scriptum reliquit; ille Caledoniam (insulæ hujus magnam partem) habitantibus Germanicam originem tribuit. Ac quia his Druidibus robore & viseo nihil sacratius, ut ex Plinio didicimus, & Iovis signum his altissima quercus, ut docet Tyrius Maximus. Diodorum puto hos alio nomine, at idem significante *Saronidas* vocasse, improprie, nisi & hic Druidæ quoque legendum quod docemus in aliis locis. Scio Annium ex suo Beroso scribere, hos Druides sic dictos à Druio Barro, Sarrone, Gallorum veterum Regibus. Horum autem autoritas sit penes ipsos. Sunt qui verbum hoc *Au Guy l'an neuf*, quod hactenus quotannis pridie Kal. Ian. vulgo publice cantari in Gallia solet, ab his manasse autumant. Hinc forte illud Ovidii:

Ad viscum Druidæ, Druidæ cantare solebant.

De quo prolixe satis Goropius in Gallicis, Vinetus ad Ausonium & Vigenerius ad Cæs. commentaria. Auctores habeo Cont. Celtem, Itenicum, Althamerum & Aventinum, qui tradunt hos Druides pulsos à Tiberio & Claudio Impp. in Germaniam trans Rhenum habitatum venisse, indeque in hunc usque diem apud hos promanare terriculamenti illud nocturni genus, quod calceamentum Philosophicum vocant, *Drutten fuæ* vulgo. Estq; (quod mihi communicavit suis literis Ioachimus Camerarius F.) figura pentagona, olim *ὑγείας* sive bonæ valetudinis symbolum, hanc cunis ligneis incidunt existimantes puerulos à nocturnis tutari lemuribus. Conradus Celtes describit, quasdam lapideas antiquas imagines ad radices Piniferi montis (*Fichtelberg* vulgo, in umbilico Germaniæ) in cænobio quodam à se visas, quas credit iconice horum Druidum referre formam. Erant sex numero, inquit, ad fores templi parieti insertæ, septem pedum singulæ, nudis pedibus capita intectæ, Græcanico pallio & cucullato, perulaque, barba ad inguina usque promissa & circa naris fistulas bifurcata. In manibus liber & baculus Diogenicus, severa fronte & tristi supercilio, obstipato capite & figentes lumina terris. Iacobi Scepperi in sua Chorographia Germaniæ, horum descriptio mihi trivola videtur, ubi ipsorum colla, brachia & digitos, torquibus, armillis atque annulis exornat, cothurnosque Philosophicos & tinctas coloribus vestes addit. Vnde hæc hauserit ignoro. Non candidam vestem his tribuere Plinium diximus. Strabo lib. 7. ubi de iisdem sub Vatum nomine, canos albo vestitu describit, carbasinis supparis desuper figulis affixis, cinctu æreo & pedibus nudis.

Hunc numum meum argenteum subjicere placuit, ob memoriam Ser. Sulpitii Galbæ, Cæsaris in Gallia legati; & Galliæ regionis ex Cæsaris traditione in tres partes divisionem, quæ postea sub Augusto Imperat. nempe in quatuor provincias divisa fuit.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [127] - -
PUBLIC DOMAIN

GALLIA
STRABONIS,
Ceterorumque veterum.

Veterum appellationes de Gallia.



TOTVS ille terrarum tractus quem Oceanus & Mare Mediterraneum, Alpes, Pyrenæique montes atque Rhenus fluvius ambiunt, à Veteribus Gallia sive Gallacia vocata fuit, incolæque Celti vel Celtæ. Unde Ptolomæus eandem Celto-gallaciam nominavit, proprie. Celtarum alias nomen multo latius longiusque patuisse, ad Europæ veteris tabulam prolixe satis demonstratum est. Galliæ quoque nomen trans Alpes ad Rubiconem fluvium usque, quondam protensum, quod nempe ea Italiæ pars ab his quondam possessa, non ignoramus. Veram autem, cujus terminos, mare, fluvium & montes diximus, tantum hic describendam nobis proponimus. Hanc veteres Transalpinam (uti aliam Cis-alpinam) vocavere. Hanc eandem à Septentrione & Meridie bifariam divisere Mela & Plinius. Hic ejus imitator Solinus, Gebenna & Iura montibus; Ille Gebenna monte & Rhodano fluvio, quo eodem eam etiam distinguunt Eutropius & Suetonius. Illam, quæ versus Septentrionem, Comatam appellant; hanc quæ versus Meridiem, Braccatam. Illa Cæsari divisa omnis in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ; aliam Aquitani; tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ, nostra (ut inquit) Galli appellantur. Gallos ab Aquitanis, Garumna flumen; à Belgis, Matrona & Sequana dividit. Extra autem hanc Cæsaris divisionem est Narbonensis, quam Plinius & Pomponius seorsum describunt, & Cæsar eandem sub Provinciæ nomine comprehendit. Ptolomæus tamen in sua Galliæ delineatione, & qui eum sequitur Ammianus, hanc quoque Galliæ tribuit, quadrifariamque universam dividit, in Aquitaniam scilicet, Lugdunensem (quæ eadem cum Celtica) Belgicam & Narbonensem. Hanc divisionem autem non omnes iisdem disterminant finibus, Cæsar enim Helvetios Gallis sive Celticis jungit, quos Plinius & dictus Ptolomæus in Belgica collocant. Belgicam Cæsar à Rheno ad Matronam extendit, quam Plinius à Scaldi ad Sequanam. Cæsar Garumnam terminum habet inter Celtas & Aquitanos, ut quoque Pomponius. Strabo vero Ligerim, atque id ex Augusti instituto, cui suffragatur quoque Ptolomæus. Idem Strabo, ignoro quibus auctoribus, Belgas habitare dicit inter Rhenum & Oceanum, interque hos Venetos numerat, extremos versus Occidentalem Oceanum populos. Vereor autem valde ne pro *Belgæ*, *Celtæ* hoc loco legendum sit apud eundem, cum ceteris omnibus Geographis Historicisque Veneti hi in Celtica sive Lugdunensi sint. Postera vero ætas totam Galliam plurifariam divisit, quod discendum ex Sex. Rufo, Ammiano, libro Notitiarum & Dignitatum libello, qui ejus omnes portiones numerant & nominant septemdecim, quas omnes quoque in hac nostra tabula legendas offerimus. Sed & tandem post Caroli nempe Magni tempora, in duas tantum, distinxere; in Austrasiam utique, id est, Orientalem & Neustriam (ut corrupte fere scribunt) seu Vestriam, at melius Westriam, id est, Occidentalem. Atque hæc de hujus regionis nomine, circumscriptione & finibus, quam Suetonius in Iulio tradidit in circuitu patere ad bis & tricies centum millia passuum. Nunc de ejus natura, temperie & dotibus differemus.

Plinii & Mela divisio.

Cæsaris divisio trifaria

Ptolomæus quadrifariã delineavit.

Strabonis de Belgis error.

Plurifaria Galliæ divisio à posteris constituta.

Hanc terram constitutione felicissimam facit Claudianus; salubrimam dicit Cæsar 3. civilium, abundare rivis & fluminibus ait Seneca Natural. interdum etiam fontibus sacris & vaporantibus. Solinus. Totam amnibus rigari & loca quæ feruntur, plerumque campestria esse, (patulos campos huic adscribit quoque Sidonius) aut tumulos terrestres Strabo. Multum fert frumenti, inquit idem, milii, glandis, ac omnigenum alit pecus. (Pecuaria divitem appellat dictus Sidonius in Panegyrico Majorani) nihil in ea otiosum, nisi qua paludes aut silvæ obstant. Frumenti abundantem facit Trebellius in Balista. Quod idem verum facit Cicero pro M. Fontejo; ubi scribit magnum numerum frumenti à Romanis hinc advehi; & Romanos mississe legatos frumenti petendi causa, ad hujus Galliæ Venetos apud Cæsarem 3. Gall. & Dionem 39 lego. Hoc frumentum autem omnium levissimum esse ex his generibus quæ Romam inveniuntur, testatur Plinius. Panico autem Aquitanos uti, scriptum reliquit idem. Felices Gallias pinguibus glebis & commodas proventibus fructuariis, pleraque vitibus consitas & arbustis, omni ad usum animantium fœtu beatissimas describit Solinus. Sed Pomponium quoque de hac audiamus: *Terra est frumenti præcipue & pabuli ferax & amœna lucis immanibus; quicquid ex satis frigoris impatiens est, ager nec ubique alit, & noxio genere animalium minime frequens.* En quoque oculatum testem Iulianum Imperatorem in Misopogone eam describentem, his Morentini verbis: *Hiemi est ibi placidissima propter calorem, ut ajunt, Oceani, ac fortasse quædam tenuis aura illinc diffunditur; videtur autem maritima aqua, dulci esse calidior. Sive igitur ob hanc causam, sive aliam mihi ignotam, ita se res habet: Hiems ejus terræ incolis mitior est; præterea vites optimæ illic nascuntur, quin etiam ficus multi jam arte quadam extulerunt, cum eas per hiemem calamis tritici, tanquam vestimentis contegerent & aliis hujusmodi rebus, quæ cœli injurias arboribus prohibere solent.* Hactenus ille. Propter frigora sane, quia Gallia sub Septentrionibus, ut habet Cæsar 1. Gall. frugum maturitatem nonnihil retardari verisimile. Qua de causa huc referendum, quod Varro de re Rustica lib. 1. *In Gallia*, ait, *Trans-alpina ad Rhenum aliquot regiones sunt, ubi nec vitis, nec olea, nec poma nascerentur, nisi agros stercoraret candida fossitia creta* (quæ *Marga* Plinio.) Sed nive ferocem eam dicit quoque Claudianus; & glaciem Gallicam memorat Lucianus de Hist. scribenda, & hinc adagium *Gallica nive frigidior* apud Petronium; Quamq; tam immensam fatetur Diodorus, ut flumina congelata sint pervia, non tantum paucis, sed totis exercitibus cum curribus, idemque regionem loco aquæ nivibus oppleri dicit. Hinc Aristotelem in Admirandis puto scripsisse, hanc non habere asinos. Ventosam facit Seneca 3 Natur. *Galliam circius* [*ventus infestat*] inquit, *cui ædificia quassanti, tamen gratias agunt, tanquam salubritatem cœli sui tribuant ei.* Quod fabulosum forte quis existimaverit, nisi idem statim subnecteret hæc verba: *Divus certe Augustus templum illi, cum in Gallia moraretur & vovit & fecit.* De hoc vento etiam Gellius 2. cap. 22. eundem puto cum Boreali in campis lapideis (de quo infra) ubi hæc vera, etiamnum hodie. Hac cœli inclementia motus, ni fallor, Cicero in Provinciis Consularibus exclamavit vere aut falso: Quid istis locis asperius, quid incultius oppidis, quid nationibus immanius, quid Oceano longius inveniri potest? Non obstitit tamen cœli sive soli natura, quin ab adolescente Roma, ut perhibet 2 Somnii Macrobius, aut à Massilienfibus, ut Trogus 43 vitem & olivam ferere didicerint. Eliconem Helvetium Fabrum ex Italia primum in Galliam tulisse ficum siccam & uvam, oleum & vinum annotavit Plinius. Inde vini postea adeo ferax, ut hinc vindemias condere Italos, conquerantur quodammodo Columella: & Vienna, Vinum quod picatum nominabant, Romam, ubi in pretio, mittere solebant, ut refert 5 Convival. Plutarchus. Quid ergo velint Vopiscus & Eusebius, dum Probum Imperatorem tradant Gallis permisisse, ut vites haberent, doceri cuperem. An ad hujus tempora usque in Braccata sive Provincia tantum, non in ceteris Galliis vitem fuisse, quis putabit? At Bituricæ vitis meminit Plinius, item Arvernicæ. Davus hic sum, fateor. Tempore Iuliani Imperatoris egregiam vitem apud Parisios provenisse, scribit ipse in suo Misopogone; & Bituricam vitem celebrat Isidorus. Auri & argenti quoque apud hos esse metalla, atque eorum præstantiora in Cemmeno monte; auri etiam fodinas omnium esse præstantissimas apud Tarbellos & ferri metalla apud Petrocorios & Bituriges Cubos, Strabo auctor est. Aurum apud Celtas quosdam erui scribit Athenæus: & auriferum Tarnem Aquitaniæ fluvium, vocat Ausonius. Diodorus 5 plures in Gallia fluvios auriferos dicit, unde, ut apud Procopium est, aureum nummum è nativo solo Galli cudunt, eumque non Romanorum Imperat. ut ceteri solent, imagine, sed sua impressa. Horum pecuniæ meminit Cassiodorus 7. Variar. n. 32 his verbis. *Gallis auctoribus sine aliquo adhuc signo ad metalla translata est.* Hinc Galliam divitem apud Manilium; opibus florentem apud Dionem; dites Gallos apud Iosephum; auro locupletes in Oraculis Sybellinis, dici verisimile. Et quamvis argento carere scripserit Diodorus; è Pyrenæis tamen montibus, cum silva casu accensa conflagrasset, liquatum argentum hic profluxisse, narrat Athenæus. Apud Ruthenos & Ga-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [128] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [109] -

balos quoque describit argenti metalla Strabo. Æraria quoque fecturas apud hos multis in locis esse, Cæsar testis est; Amethystum in Gallia, & Corallium circa Stœchadas insulas reperiri, Plinius. Electrum apud Celtas in flumine quodam piscatur, si Dioni Prusæo fides: nam de Celto-Germanis uti hoc verum, ita de Celto-Gallis falsum existimo. Vaccinia purpurea hic provenire, haberique fingendi causa ad servitiorum vestes, refert Plinius. Idem coccum, conchylium ac tyrium (quibus vestes tingere consuevere) his tribuit lisdem ostrum, Vitruvius. Nardum ad theriacam conficiendam, è Gallia peti, Galleni testimonio verum. Abietem laudatissimam in Iura ac Vogeso montibus; betulam, & ex ea incolas bitumen facere, indicat Plinius. Hyacinthum herbam eximie provenire, idem. Linisationem huic tribuit quoque idem; & inde linificium, Strabo; ex quo vela faciunt: quamvis pellibus pro velis uti Venetos Armoricæ populos, prodiderit Cæsar. Triumphi Gallici apparatum ex citro egisse, Paterculus auctor. Citrus ergo hic etiam. At venenum hic quoque reperitur, ut taxus arbor (cujus magna hic copia, teste Cæsare) quam Dioscorides Narbone tam præsentis esse veneni tradit, ut, si qui dormiant sub ea, aut in ejus umbra subsideant, lædantur & sæpenumero moriantur. De eadem hæc Plinius: *Vasa viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est.* Et taxo se exanimasse Cativulcum Eburonum Regem testis est Cæsar. Aristoteles in Admirandis ait, apud hos veneni genus esse, quod *Xenicon* (ξένικον legit Græcus codex) vocant, de quo nos infra.

Hactenus inanimata; nunc de animalibus. Equas fama nobilitatas commemorat Trebellius in D. Claudio. Canum hujus gentis gentem numerosam laudant præter Ovidium, Appianum, Gratianum Poetas; etiam Pollux Grammaticus & Euphrada Orator. Lupum cervarium è Gallia spectasse se in Pompeii Magni arena, dicit Plinius. Sues altitudine, robore & celeritate præstantes, à quibus, qui non adsueverit, non minus quam à lupo periculi, Strabo. Hinc optimas pernas eos habere, Athenæum recte scripsisse, quis ibit inficias? earumque tantam multitudinem, auctore eodem Strabone, ut non tantum Romæ, sed & plerisque Italiæ locis suppeditent. Lepores permagnos hic esse, ex Varrone de Lingua latina observo; apud quem quoque lanæ Gallicanæ memoria, quam asperam dicit Strabo. Orocrotalus avis hic versus Septentrionem ad Oceanum, si fides antedicto Plinio; & ibidem Salmo fluviatilis, atque in Oceano Physeter marimum animal ingentis columnæ modo se attollens, altior navium velis, diluviem quamdam eructans. Nereides quoque, item Elephanti & arietes marini, eodem auctore. In Arari flumine, ut habet ex Callistene Stobæus, nascitur magnus quidam piscis, Clupea nominatus ab incolis, qui crescente luna albus, decrescente etiam nigrescit, & corpore nimium aucto, à propriis spinis interimitur. In hujus piscis capite lapis reperitur, similis grani salis (micæ thuris habet Plutarchus de Montibus) qui optime facit ad quartanas, sinistro lateri corporis adligatus, decrescente Luna. Clopiam hunc piscem nominat Glycas ex Anastasio: Scolopidon, dictus Plutarchus. At quis credet ranarum fecundam numerositatem tantam, tantam inquam, ut ea civitatem pulsaverit? fidem tamen hujus facit ex Varrone jam sæpius adductus Plinius, & auget hanc Trogus 15. qui & simile accidisse Abderitis asserit.

Sed ad alia plura hujus regionis admiranda veniamus. atque primum ad fossiles pisces, de quibus Pomponius: *Salsula fons, non dulcibus, sed salsioribus quam marina sunt, aquis defluens:* (in Gallia Narbonensi) *juxta campus minuta arundine gracilique perviridis, ceterum stagno subeunte suspensus. Id manifestat media pars ejus, quæ abscissa proximis, velut insula natat, pellique se atque attrahi patitur; quin & ex iis, quæ ad unum persossa sunt, suffusum mare ostenditur. Unde Grajis, nostrisque etiam auctoribus, verine ignorantia, an prudentibus etiam, mendacii libidine, visum est tradere posteris; in ea regione piscem è terra erui, qui ubi ex alto hucusque penetravit, per ea foramina ictu captantium interfectus extrahitur.* Inter Grajos, quorum fidem hic elevat Pomponius, annumerandi Strabo & Athenæus: tradit enim ille libro IV, circa Ruscionem fluvium (in hac descripta à Pomponio continentia) lacum esse propinquum, ac paulo supra mare aquosum, plenum Salinarum, hunc que fossiles habere mugiles sive cestreos: *Ubi enim* inquit, *duos aut tres pedes foderis, immisso in aquam limosam tridente, configere licet piscem eum justæ magnitudinis, is alitur limo sicut anguilla.* Sic ille. Athenæus autem lib. VIII ex Polybii 34, ait: *Iuxta Pyrenæos montes, Narbonam usque campos esse, per quos Iliberis & Ruscino fluvii decurrunt, ac in iis campis fossiles quos vocant, pisces reperiri. Ejus namque loci solum tenue esse, ac subnascente multo gramine herbosum; sub eo vero, cum ad duos trefve cubitos arenosa terra sit, quam admovent aquam fluvii labi, & cum effusa illa pisces sub terra meantes, pabuli causa, quod radicibus graminis impense delectentur, subterraneis piscibus universam oram illam replere, quos egesta humo, capiunt.* Atque hunc piscandi modum hactenus hoc loco perdurare, annotavit ad Athenæum suum Dalechampius. Crediderim historiolam, quam literis mandavit Aristoteles in Admirandis, huc referri quoque posse, ubi tradit in finibus Massilienses, circa Ligusticum, lacum esse, qui ebulliens effususque, piscium multitudinem immensam veri fidem superantem, ejiciat &c. Plinius IX cap. 17 dicit, quod in hac eadem Narbonensi provincia, *coitus tempore è vivariis marem linea longinqua per os ad branchias religata emissum in mare, ademque linea retractum, femina sequantur ad litus, rursus feminam mares.* In hac eadem provincia, eodem Plinio teste lib. XVIII, cap. 22. *Nobilis fons Orge nomine est, in eo herba nascuntur in tantum expetita bubus, ut mersis capitibus totis eas quærant.* Eodemque testante lib. 30. cap. 2. *Tungri Galliæ civitas fontem habet insignem, pluribus bullis stillantem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora; tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem aqua, igne admoto, turbida fit, ac postremo rubescit.* Eadem Narbonensis circa Gratianopolim habet, ut describitur à D. Augustino de Civ. Dei, fontem similem illius, qui est in Epiro, ut qui faces exstinguit ardentes & accendit extinctas. Lacus est, qui duorum corvorum dicitur, auctore Artemidoro, ad oram Oceani, in quo duos corvos apparere ait, qui dextram alam habent albicantem, eoque accedere, quibus aliquid controversiæ est, & ni sublimi loco posita tabula, utrumque pro se liba projicere, corvos advolantes altera vorare, altera dissipare; obtinere autem causam suam eum, cujus liba disjiciuntur. At fabulæ similem judicat hanc historiam Strabo. Heracleam quoque viam sic dictam, habet inter admiranda Aristoteles, quam ex Italia ferunt Celtas-Gallos & Celtiberos usque protendi: in qua & Græci & indigenæ transeuntes ab incolis observantur, ne quid iis male accidat; quippe quod pœnas ii pendant, damnumque lege farciant, in quorum finibus datum fuerit.

Lateres in Massilia fiunt, qui projecti, in aqua natant, ut refert Vitruvius. Campum lapideum quoque inter hujus regionis mirabilia nunc describere lubet. Hunc omnes inter Massiliam & Rhodani ostia constituunt, Herculis præmiorum memoriam dicit Plinius ex eo, quod Herculem hic dimicantem contra Albionem & Bergiona Neptuni filios, cum tela ei defecissent, ab invocata Iove adjutum imbre lapidum ferunt: credas pluisse, adeo multi & passim & latè jacent. Huic fabulæ adsentiuntur quoque Mela, Solinus, Hyginus & Martianus, quibus Strabonis sententiam libens præponam, qui eum his Xilandri verbis describit: Campus est à mari centum circiter dissitus stadiis, diametro ejusdē quantitatis, forma circulari. Is Lapidosus seu Saxosus dicitur ab eventu; est enim plenus lapidum, qui manuum implere possent, infra quos gramen nascitur, abunde pascuis pecoris suppeditans. In medio autem aquæ & salinæ sunt & sales; tota autem, quæ superius adjacet regio ventis est exposita. In hunc vero maxime campum ventus incumbit ac defertur Septentrionalis, violentus ac horribilis, quo ferunt & lapides volutari atque agitari, & homines de vehiculis deturbari, ac vi flatus armis veltibusque nudari. Idem hanc Posidonii probabilem quoque rationem adfert, qui *lacum fuisse dicit, qui cum fluctuatione quadam exaruerit, ideoque in plures dissipatus sit lapides, sicut fluminum lapillos & littorum scrupulos similes inter se magnitudine ac levitate.* Aristoteles 2 Meteorolog. cap. 8. motu terræ factum asserit, Phlegræumque campum nominat. Describit hunc eundem campum (quamvis non nominet) & ventum hunc infestantem Diodorus lib. 5.

Arduenna silva hic quoque in Belgica, de qua 5. lib. Annalium Tacitus: *Quærebant saltus, quibus nomen Arduenna.* An plures hujus nominis ex Pomponio, ubi dicit Galliam amœnam lucis immanibus? non existimaverim; cum in tota veteri historia unam tantum hujus nominis silvam nominari sciam. At eandem longe lateque dispersam & forte disjunctim, crediderim, sub uno tamen hoc nomine: hanc enim ingentis magnitudinis atque totius Galliæ maximam dicit Cæsar, ut, quæ à flumine Rheno, per medios fines Trevirorum ad initium Rhemorum pertingebat vergebatque ad Scaldis cum Mosa confluentia, adeo, ut amplius millibus quingentis pateat; efficiunt hæc quatuor stadiorum millia, quæ illi tribuit Strabo, at ex Scriptoribus haud fide dignis, uti æstimat, si locus sincerus: nam mendo carere vix putat doctissimus Casaubonus, in suis ad hunc auctorē doctissimis Commentariis. Neque mihi verisimile est, Cæsarem hujus testem oculatum, sylvæ mensuram ignorasse. Ab hac silva Dianam cognominari Arduennam, fidem facit marmor antiquum, de quo nos latius infra. De regione huc usque, nunc de ejus populis. *Arduenna silva.*

Regionem populosam facit Pausanias; & hominum fertilem Livius, itemq; Polybius 2. Civilium scribit quadringentos hujus Galliæ populos Cæsarem subegisse. Hos corpora plus, quam humana habere ait Iornandes; Corpora mirifica specie & magnitudine Hirtius: Celsioris staturæ Ammianus, præ ceteris hominibus eximia proceritate fuisse Cæsar quoque innuit, cum dicit, præ magnitudine corporum suorum, brevitatem Romanorum *Gallia fuit Regio ex olim populosa*

eis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [130] - -
PUBLIC DOMAIN

eis contemptui fuisse. Oblongo corpore, molles & albos facit eos quoque Strabo. Ad albedinem alludunt Petronii ad Gyrtonem hæc verba: *Increta facies, ut suos Gallia cives putet*; nempe ut artificio immutentur nativum horum candorem sive albedinem, non ut amicus meus putat in sua Britanniæ doctissima juxta & accuratissima descriptione, quod Galli facies suas (quod nusquã apud ullum auctorem me legisse memini) soleant increpare. Nec mirum, cum ipsa Natura his hanc albedinem ultro conceſserit. Hinc *Lactea colla* illis adscribit Poeta. Comam hos nutrire (unde Gallia Comata nominata) Strabonem & Clementẽ Alexandrinum auctores habeo. Item Agathiam, qui scribit solemne esse Francorum Regibus nunquam tenderi, sed à pueris intensos manere, cæsariemq; eis decenter in humeros propendere & anteriorem comam è fronte discriminatam in utrumq; latus deflectere; hancque promissam & rutilam facit Livius. Rufam habere naturã, studio tamen hunc colorem augere, inquit Diodorus: nam (interprete Leopardo in Emendationibus) calcis ablutione lavant capillos assidue & à fronte ad verticem, & tendones retrahunt, ut conspicui sint, & ut aspectus eorum similimus videatur Panibus sive Panisci. Item capillos faciunt crassiores, ut nihil differant ab equorum jubis. An hinc forte *Gallia crine ferox*, dixerit Claudianus? Rutilandis capillis ait Plinius, Gallorum inventum sapo est, ex sevo & cinere ita, ut Flavum verticem Claudianus; & Aurea Cæsariem his adscribat Virgilius. Huc faciunt quoque quæ Tertulianus habet verba in libello, De cultu feminarum, ubi inquit, quasdam capillum croco vertere. Congruenter admodum Ammianus candidos & rutilos vocavit, à crine utpote & cute. Barbam promissam gerere omnes apud Livium lego. Distinguit Diodorus, his Castilionis verbis: *Barbam quidam radunt, nonnulli nutriunt parce. Nobiles genas quidem radunt, barbam verò sinunt crescere, ut operiant corpora, quo accidit, ut cum edunt, repleantur cibo; cum vero bibunt, veluti per canalem potus videatur inferri.* Operam dari ne obesi fiant, neve prominentiorem ventrem habeant, & si quis adolescens cingulo præscriptam mensurã excedat, eum multari tradit Strabo. Hæc de eorum forma.

Gallorum natura antiquorum.

Nunc de natura & indole, quarum quia nemo Scriptorum cognitione peritior, scripturaque antiquior Cæsare, ejus de his, quę passim in libris belli Gallici hęc verba accipe: *Gallorũ subita ac repentina consilia, in consiliis capiendis mobiles & novis plerumque rebus studere. Est autem hoc Gallica consuetudinis, ut & viatores etiam invitos consistere cogant, &, quod quisque eorum de quaque re audierit aut cognoverit, quærant; & mercatores in oppidis vulgus circumsistat, quibus ex regionibus veniant, quæque res ibi cognoverint, pronuntiare cogant; & his rumoribus atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia ineunt, quorum eos è vestigio pœnitere necesse est, cum incerti rumoribus serviant & plerique ad voluntatem eorum ficta respondeant.* Hactenus Cæsar. Et de iisdem fere eadem apud Polybium, Orosium, Trebellium & Vopiscum. Non omittendum autem hoc peculiare, quod in consiliis habere eos Strabo testatur: *Si quis dicenti obstrepat, aut tumultuetur, lictor accedit stricto cultro, minis adhibitis eum tacere jubet, idque iterum ac tertio. Eo non cessante, tandem à sago ejus tantum amputat, ut reliquum sit mutile.* Acutos ingenio & à doctrina minime alienos esse, Diodorus & Strabo testes; item Symmachus, qui commendat horum in bonis literis studia. Polybius his infestior, doctrinę & arti operam nõ dare, referre audet. Iam audi Hirtium: *Homines aperti minimeque insidiosi, qui per virtutem, non per dolum inimicare consueverunt.* Item Strabonem; *Ingenio simplici ac nulla malignitate devincti.* An idem alibi hos hinc simplices vocat? pigrioris ingenii Servius? stolidos, Firmicus? stupidos & rusticitatem amantes, Iulianus? At contra, en Lucius Florus: *Nemo tantum feroces dixerit Gallos, fraudibus agunt.* An falso? an postea à Romanis hoc didicisse, verisimile? qui, ut scribit Trogus, Servilium in Africam miserant, tacitisque mandatis præceperant; aut Annibalem, si posset, per æmulos interficeret. Sed neque hoc verũ, si testi oculato cumq; his versatissimo, Iuliano Imperatori credimus, qui de iis nõ tantum post dictum Florum, sed & post alios omnes veteres, hoc elogium pronunciavit, quod *adulari nesciant, sed libere ac simpliciter cum omnibus æquabilique jure vivant, Venerem nuptiarum Deam & Bacchum lætitiæ datorem, conjugii prolisque gratia, & vini quantum cuique liceat, potandi causa tantum noverint.* Ælianus dicit omnium hominum ad subeunda pericula promptissimos: Florus, Immanissimos: Immanes & barbaros Cicero & Humenius; Feroces Lucanus, Trogus, Hegesippus; Truces, Avienus & Seneca; Crudeles, Cassiodorus; Sanguineos, Lucanus; Duras & retrogradas mentes iis adsignat Lampridius; Gentium omnium inquietissimos ait Vopiscus; Molles & effeminatos Livius & Polybius, & idem insidos crapulæque & ebrietati deditos; quod idem quoq; Diodorus, Athenæus & Clemens Alex. Flagrantes ira, cujus impotens est gens dicit idem Livius & auri avidos. Superbos & superstitiosos Mela. Vaniloquos Silius. Pecuniæ cupiditate insatiabiles Plutarchus in Pyrrho. Hæc hujus gentis encomia, sed ab hoste infensissimo omnia, penes quem fides esto. Crudelitatis nihilominus duo exstant exempla; unum apud Trogum qui scribit eos in bello prælioque contra Antigonum, dum hostiarum extis omnium interitus prædiceretur, non in timorem, sed in furorem versos, conjuges & liberos suos trucidasse; auspicia belli à parricidio incipientes &c. Apud Florum en alterum; Hic tradit quosdam in bello captos, catenas morsibus & ore tentasse & effocandas invicem fauces præbuisse. Nisi quis hæc libertatis amoris exempla potius vocitet: amantissimos hos enim libertatis, Orosius & Leo Imp. scriptum reliquêre. Horum tamen in bellis ferociam ad Thermopylas ostendit Pausanias in Phocicis.

Mirari subit Mar. Victorinum, qui hos semianimes, timidos & terga vertẽtes dicit, quos animosos Claudianus, bellicosos, bellipotentes, armipotentes atque glotia belli ante Romanos Sallustius. An hic Victorinus ita forte interpretatur hæc Cæsaris? *Ad bella suscipienda ut alacer & promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas, mens eorum est.* Et hæc Livii? *Gallorum prima prælia plus quã virorum, postrema minus quam feminarum.* Et hæc ejusdem? *Vsu hoc cognitum est, si primum impetum quem fervido ingenio & cæca ira effundunt, sustinueris, fluunt sudore & lassitudine membra, labant arma &c.* Item hoc Flori? *Experimento deprehensum est, quod, sicut primus impetus ejus major quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum; corpora humenti cælo educata habent quiddam simile cum nivibus suis, quæ mox, ut caluere pugna, flatim in sudorem eunt, & levi motu, quasi Sole laxantur.* Et hæc Dionis? *Galli ad quæcunque res levi & inexplebili cupiditate feruntur, ita neque audacia, neque timoris modum sciunt; sed tum ab audacia in subitum metum, tum ab hoc in temerariam audaciam ruunt.* An vero hoc Strabonis de his judicium? *Natio bellicosa & ferox & ad pugnam prompta; itaque irritati ad pugnam, confertim & palam coeunt, idq; incircumspecte, quo fit, ut facile circumveniantur, si quis calliditate bellica adversus eos uti velit: facile enim quando & ubi volet, & quacunque causa objecta eos lacessitos ad prælium conferendum elicuerit, nulla prater vim & audaciam, re instructos.*

Aliter multo de his Imp. Leo, de bellico apparatu: *Galli* (inquit) *admodum infracto animo sunt, in bello strenui. In magno opprobrio ignaviam & parvam retrocessionem ponunt, atque eam fugam existimant, &c.* At vero si tam mollis hæc natio, tam laborum impatiens & minime in præliis ad finem constans, dic age Romane, quare hanc Galliam tibi adeo timendam scripsit Cicero, ubi de Provinciis agit Consularibus? Quare Sallustius Italiam omnem ab hac gente contremuisse adeo, ut cum his non de gloria, sed pro salute certare soleant? Quare apud Trogum de Orientis Regibus hæc? *Tantus terror Gallici nominis, & invicta armorum felicitas erat, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur.* Et Appianus 2 Civil. quare dicit Romanis tam formidabiles, ut in lege qua immunitas militiæ conceditur sacerdotibus & natu grandibus, excepta sint bella Gallica?

Sosipater ex Varranis Originum lib. 2. dicit Galliam duas res ingeniosissime persequi, Rem militarem, & argutè loqui. Inde hoc Iuvenalis:

> ——— *accipiat te*
> *Gallia, vel potius nutricula causidicorum*
> *Africa, si placuit mercedem ponere linguæ.*

Et item ejusdem:

> *Gallia causidicos docuit facunda Britannos.*

Studia Galliarum florentissima, & Galliæ sermonis ubertatem celebrat D. Ambrosius ad Rusticum: Et Galliæ doctos cives Claudianus in Panegyrico IV consulatus Honorii. De eorum militia hæc pauca ex antiquioribus accipe: *Ante belli initium* (sic Cæsar) *armatum concilium indicunt, quo, lege communi, omnes puberes armati convenire coguntur, & qui ex iis novissimus venit, in conspectu multitudinis, omnibus cruciatibus necatur.* Strabo: *Armatura illis pro corporum proportione, gladius longus, ad dextrum dependens latus, scutum longum, lancea proportione* [harum cuspidem ferream, cubitum longitudine æquare vel superare, paulo minus duobus palmis latam, dicit Diodorus] & * *Meris tragula genus; nonnulli etiam arcubus utuntur & fundis. habent & lignum pili forma, quod non amento, sed è manu torquetur, longius etiam atque sagitta.* Gesa, sic dicta, Galarum quædam tela habet Nonius ex Varrone, ubi hæc: *Qui gladiis cincti sive scuto cum binis Gesis essent.* De his quoque Virgilius:

* Materis legendum & idem esse *Cæsaris, doctioribus placere videtur.*

> ——— *Duo quisque Alpina coruscant*
> *Gesa manu.* — — — —

Hastas vitiles interpretatur ad hunc locum Servius, & addit, vi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [131] - -
PUBLIC DOMAIN

ros fortes Gesos à Gallis vocari. Sed Gesa per diphthongum scribendum; (de quo vide quæ ad Veteris Hispaniæ tabulam dicimus) inde Gæsati populi forte, à gæsis ferendis; de quibus plura alibi.

Equitatum horum quam peditatum meliorem idem Strabo asserit; Hos equites scribit Cæsar cum multis carris magnisque impedimentis solere venire. Bigis & curribus dimicare hos, etiã Livius & Pomponius tradunt. Essedis (quæ eadem cum illis) Strabo. Ex his curribus obvium hostem jaculo primum appetere, tum relicto curru, pedites ensibus certare ait Diodorus. In præliis catervis uti, in quibus erant sena millia armatorum, ex Vegetio intelligo. Supra umbilicum erant nudi, sed operiebantur scuto longo, malè autem; quia ad amplitudinem corporis parum lato, ut referunt Livius & Polybius; item Virgilius:

——— *Scutis protecti corpora longis.*

Arma illis esse scuta, ad staturam hominis porrecta, pro libitu cujusque ornata, quibusdam animalium formis paulum eminentibus testatur Diodorus, atque insuper galeis æreis capita munire, in quibus vel cornua, vel avium aut quadrupedum effigies sculptæ; denique & tubis uti, quæ inflatæ mugitum bellico terrori convenientem redderent. Gladii erant graves, Polybio; prælongi Livio ac sine mucronibus, ad hoc tantum utiles, ut desuper in hostem impingerentur (unde

——— *Alte consurgit in ensem*

Virgilius, censore Servio) Straboni, quibus impetentes capita hostium abscindebant. Sed malè fabricati & ex molli ferro, ut habet Polynæus 8. Quare de iisdem sic ex Polybio Suidas: *Ita sunt parati, ut primo impetu unam plagam inferant; deinde statim ita curvantur & inflectuntur in longitudinem & latitudinem, ut nisi spatium recedendi & pede corrigendi dederis, celeriter alter ictus illorum sit irritus.* Spathas vocat Diodorus, æneaque catena à dextero latere pendentes. Laudat nihilominus hunc Gallicum ensem (machæram) Iul. Pollux. Circum collum aureos torques gestare. [Virgilius:

——— *aurea colla*
Auro nectuntur. ———]

ac circa brachia ac manus, brachialia. Et qui honores gerunt, vestes tinctas, atque auro variegatas, docent Polybius, Strabo & Diodorus. [Virgilius

——— *atque aurea vestis.*]

Corallo adornabant gladios & scuta; ut refert Plinius. Thoraces ferreos etiam quidam ornabant auro, ut Diodorus. Prælium ineuntibus usitatus cantus, ululatus, tripudia, & quatientium scuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus, imo tantus, ut circumstantia omnia loca vocem emittere videantur, ut testantur Polybius & Livius. Canibus quoque pugnare ajunt Strabo & Diodorus. Secum etiam in bello ducebant (si fides apud Athenæum Posidonio) parasitos, à quibus laudes ipsorum cum cantu prædicari volebant; Diodorus sane idem confirmat. Si feliciores cum hoste prælati fuerint, diis captivos immolare solent, ut ex Sosipatre credidit Athenæus. *Cum à pugna redeunt* (audi Strabonem) *capita hostium de collis equorum suspendunt, & spectaculi gratia ante portas oppidorum affigunt. Nobilium vero* (audi Diodorum) *capita aromatibus uncta, in thecis condunt summa diligentia, ostendentes hospitibus; nullo pretio ea vel parentibus vel aliis reddunt.* Livius scribit, hos L. Posthumii corporis spolia caputque præcisum, ovantes templo, quod sanctissimum apud eos, intulisse; purgato inde capite, ut mos iis est, calvam auro cælavisse, idque sacrum vas iis fuisse, quo solennibus libarent poculumque sacerdotibus fuisse ac templi antistitibus, unde hæc Silius:

—— at Celtæ vacui capitis circumdare sueti
Ossa (nefas) *auro, & mensis ea pocula servant.*

De horum equestris pugnæ constitutione, quam *Trimarciscum* nominant, lege Pausaniam in Phocicis; item de *Silodunis* ut Athenæus; sive *Solduriis*, ut Cæsar eos vocant, lege ipsos, & si lubet adde his, quæ habet Leo Imp. de Bellico apparat. 18. Nunc ad vitam horum familiarem.

De Druidibus vide, quæ diximus ad Tabulam Galliæ Cæsarii.

In omni Gallia (ait Cæsar) *eorum hominum qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo; alterum est Druidum, alterum Equitum. His cum est usus, atque aliquod bellum incidit, omnes in eo versantur, atque eorum, ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circa ambactos clientesque habet. Illi rebus divinis intersunt sacrificia publica & privata procurant, religiones interpretantur &c. nam plebs pene servorum habetur loco. in hoi eadem omnia sunt jura, quæ dominis in servos. Liberos suos, nisi cum adoleverint, ut munus militiæ sustinere possint palam ad se adire non patiuntur. Filiumque in puerili ætate in publico, in conspectu patris assistere turpe ducunt. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, æstimatione facta, cum dotibus communicant; hujus omnis pecunia conjunctim ratio habetur, fructusque servantur. Uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem, &c.* Hæc sparsim ex Cæsare lib. 6. Gallic. ubi plura eo-dem similia inveniuntur. Horum mulieres speciosas, magnitudine & robore viris similes facit Diodorus; fœcundas & bonas enutrices, sive ut Strabo, pariendo educandoque felices. Has scribit Plutarchus 8. Conviv. Harum dignitatis exemplum habe ex ejusdem de Virtutibus Mulierum; ubi tradit motem inolevisse, ut pacis & belli cum feminis inirent concilia, atque arbitrio earum hæc committerent. Hoc idem Polynæus lib. 7. Sed cum mulieres habeant speciosas, inquiunt Athenæus & Diodorus, ad mares tamen, sive amorem puerilem, præter modum sunt proclives. An vero? non putaverim de Gallia generatim; at speciatim potius de Braccata, in qua Massilienses, Græca gens, quarum mollitiem effeminatosque mores redarguunt apud Suidam, adagia; *Massiliam venis*; item *Massiliam navigas*. Ad hanc eandem quoque relego hæc D. Clementis 9. Recog. *Apud Gallos lex prisca constituit, nuptum tradi publice pueros, nec opprobrium ex hoc aliquod duci.* Strabonem de iisdem loqui puto, ubi ait, turpe non judicari, si adolescentes flore ætatis abutantur. De Celtis, hoc Stobæi quoque non negligendum, apud hos nempe gravius animadverti in eum qui peregrinum, quam qui civem occiderit; huic enim exilium, illi mors pœna statuitur. An in Heraclia via forte hic mos?

Quod ad vestitum attinet, saga ferunt, [Virgilius

Virgatis lucent sagulis. ———]

teste Strabone, & ex lana texunt, quas *lanas* vocant (*chlenas* potius putat Casaubonus) & braccis utuntur, circum extentis vel *laxis*, ut dicit Lucanus. Loco tunicarum utuntur veste fissili manicata, usque ad pudenda & nates demissa.

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Ait Martialis. Hactenus apud nos hac planè forma genus vestis in usu est, quam nostrates *Pallat-rock* vel corruptè *Paltrock* (*rock* nobis vestem significat) nominant. Aristotelem 7. Polit. eandem velle verisimile, ubi dicit Gallos brevi tegumento vestiri. Idem Martialis etiam horũ vestis *bardo cucullis Santonici* meminit. Sed & his aliud genus vestimenti, de quo Plinius: *Lana per se coacta vestem faciunt & si addatur acetum, etiam ferro resistit; Galliarum ut arbitror, inventum.* Idem, scutulis dividere vestem, ab his institutum tradit. Apud Isidorum ex Plauto hæc verba referuntur. *Lineo cooperta est textrino Gallia.* Annulis dicit uti in digitis, Diodorus; tantum in medio, Plinius. Iumentis delectari, Cæsar auctor.

Nunc de Victus ratione. Fictilia in usu habent densa, ac floribus distincta. Cœnant sedendo omnes, non in sedibus. sed in solo, super luporum aut canum strati pellibus [in toris Strabo] Ministrant eis juniores, pueritiæ limites nondũ egressi. Iuxta eos foci sunt igni ardentes, olisque ac verubus, quę carnibus referta sunt, instructi ita Diodorus. Maxime suillis tam recentibus quam salitis; sed & omnis generis vescuntur carnibus. At plerumque cibus cum lacte est, teste Strabone. Sed & Athenæi ex Posidonio verba, hic vide: *Celtæ fœno sulstrato libationes propinant super ligneis mensis à terra parum exstantibus. Panis & hu paucus* (panem hunc fermento leviorem eos facere annotavit Plinius) *cibus est caro multa, elixa in aqua, vel super prunis aut in verutis assa. Leonum modo ambabus manibus artus integros tollunt morsuque dilaniant, & si quid agrius divellatur, exiguo id cultello præcidunt. Apponunt in conviviis pisces, qui fluvios accolunt, & interioris sive exterioris maris littora, eosque assos cum sale, aceto & cymino, quod etiam potioni injiciunt. Convivæ plures, si ad cœnam conveniant, in orbem considunt. In medio præstantissimi sedes est, ejus nimirum qui bellica dexteritate vel nobilitate generis vel divitiis, ceteros anteit. Qui sunt à poculis, potum ferunt in vasis ollæ similibus aut fictilibus aut argenteis. Ex eadem materia sunt & patinæ quibus advehunt cibaria; æneæ tamen aliquibus: nonnullis patinarum loco, canistra lignea vitilibus contexta. Locupletes vinum bibunt ex Italia petitum, vel Massiliensium regione & id merum, interdum aquæ paululum adfundentes, decoma nuncupant. Sorbillant autem paullatim ex eodem poculo frequentius pitissantes. Pocula dextra sinistraque manu puer circumfert.* Sed & frugę madida potum ad ebrietatem feciſſe. Plinius auctor. Ex hordeo potum quem Zythum appellant, facere; & alium ex aqua, in qua favum mellis layerint, Diodorus. Imo multiplices potus

ad vini

ad vini similitudinem eos affectare, Ammianus. Sed & humanis carnibus vesci, lego apud Diodorum. an hostium forte? hoc enim illos fecisse ad Thermopylas ex Pausania constat. an vero quod homines immolare soleant? Hocipsum enim ex Plinii sententia parum à mandendo abest. De Scordiscis Gallis nihilominus legimus apud Sext. Rufum, eos ex captivorum capitum ossibus sanguinem aliquando bibisse humanum. Hospites etiam ad epulas vocant, & qui sint, qua causa venerint, post Cænam rogant, teste Diodoro.

Post cibum sumptum provocatio.

Consueverant quoque, sumpto cibo, ad verborum, prout casus intulit, concertationem surgentes, ex provocatione certare invicem, nulla habita vitæ cura. idque hoc modo, ut refert apud Athenæum Posidonius: *Armati sese invicem ad umbratilem pugnam provocant, summasque tantum manus ad gladiorum cuspides conferunt, mutuo parcentes; nonnunquam ad usque vulnera res procedit; ac tum irritati, nisi qui adsunt, dirimant ac inhibeant ad mortem usque præliantur.* Hinc forte Horatius;

Non paventis funera Gallæ.

Priscis quoque temporibus mos apud illos fuit, ut appositis pecudum artubus femur sumeret strenuissimus; & si quis alius sibi vendicaret, ad alterius interitum usque gladius pugnarent. Alii aurum argentumve in theatro accipiunt, aut doliorum vini certum numerum; & ubi jurejurando pollicitus sunt, id se perpessuros, cujus causa dona acceperunt, muneraque accepta intimis & charissimis amicis dispartiti sunt, supinos se distendunt, in scutis jacent, adstante, qui gladio jugulum fodiat & findat.

Gallorum dormiendi modus.

In terra super strato gramine dormiunt, ut refert Polybius; in ferarum autem pellibus, ut Diodorus. De Braccata vero hoc, ex Athenæi lib. 13 mihi persuadeo, ubi hæc: Super pellibus sæpius cum duobus catamitis concumbunt. Græcorum Massilienium, non verorum veterumque Celtarum hoc esse, merito credas, quibus nempe moris, ut supra ex Iuliano Imp. diximus, Venerem tantum prolis gratia nosse.

Domicilia eorum teste Cæsare, plerumque in silva sunt, aut circa flumina, æstus vitandi causa, eaque ex scandulis robustis aut stramentis, auctore Vitruvio. è tabula & cratibus rotunda construere, magno imposito fastigio scribit Strabo; stipula vero tegere Plinius. Horum januas nunquam claudunt, nisi fallat apud Stobæum Nicolaus. Hypocaustorum sive stufarum usum habuisse, historiola Iuliani Imperatoris in Misopogone, documento est. Villas habebant nullis septas mœnibus, ut scribit Polybius. Mœnibus enim sua oppida includere, inquit Trogus, à Massilienibus didicere. Horum murorum structuram disce ex Cæsare lib. 7. Gali. ibidem etiam hunc morem observa; *Ubi major atque illustrior incidit res, clamore per agros regionesque significant, hunc alii deinde excipiunt & proximis tradunt.* Nare adsuetos dicit Ammianus li. 25. In Venationibus sagittis uti solere venenatis, apud Cornelium Celsum disco. Item de iisdem ex Plinio, hæc Gellius; *Gallos in venatibus tingere elleboro sagittas, quod his ictæ exanimatæ feræ, teneriores ad epulas fiant: sed propter ellebori contagium, vulnera ex sagittis facta, circumcidere latius dicuntur.* Ipse Plinius quoque *Limeum herbam* nominat, *qua sagittas suas in venatu tinguunt medicamento, quod venenum cervarium vocant.* Aristoteles in Admirandis tradit, *apud Celtas venenum reperiri quod toxicum* (*Xenicum* legebat Latinus interpres) *ipsi appellant tanta celeritate inficiens necansque, ut venatores Celtæ cum cervum jaculo percusserint, festinato adcurrant carnemque vulneratam exsecent, ne veneno promeante animal putrefiat, alimentoque inutile reddatur &c.* Ex taxo arbore hoc fieri, quod existimem, Plinius facit, ubi dicit, *taxica venena appellata*, quæ nunc *toxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur.* De taxi veneno supra diximus. Sed & arborem apud Celtas nasci ficus similem, quæ fructum edit forma capituli columnæ Corinthiaci, qui fructus incisus, succum emittat jaculis inunctus, qui lætalis, auctor est, ex aliorum fide, Strabo.

Galli antiqui terræ motum non timentes.

Gallos terræ motum non timere, auctores habeo Aristotelem & Plutarchum. Verene an falso? Aliud insignis audaciæ aut potius temeritatis, en ex variis Æliani, exemplum, aut si mavis, figmentum: *Adeo ducunt*, inquit, *ignominiosum fugere, ut è corruentibus & collabentibus ædificiis sæpe non effugiant, sed ne ardentibus quidem; ita ut incendio ignique circumveniantur; Multi etiam inundantem Oceanum sustinent. Quidam etiam in fluctus ejus armati sese injicunt & eorum impetum excipiunt protensis gladiis evaginatis & hastis vibratis, perinde ac si terrere vel vulnerare possent.*

——— *Credat Iudæus apella,*
Non ego. ——— ——— ———

Credidit tamen Stobæus & ante hunc Nicolaus. Hic verum experior hoc Plinii; *Haud alium esse fidei promiorem lapsum, quam ubi falsæ rei gravis auctor exstitit.* An hoc forte illud spectaculum ad Occidentalem Oceanum, ad quod Lucianus in Apologia scribit Sabinum suum, Gallia peragrata, profectum? ut fabulam fabula accumulem.

Apud illos olim funerum Splendor.

Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica & sumptuosa, omniaque quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt etiam animalia; ac paulo supra hanc memoriam, servi & clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, justis funeribus confectis, una cremabantur. Sic Cæsar. adjicit Mela: *Cum mortuos cremant defovent apta viventibus olim; negotiorum ratio etiam & exactio crediti differebatur ad inferos. Eramque qui se in rogos suorum, velut una victuri, libenter immitterent.* Et Diodorus: *In defunctorum pyram epistolas scriptas quidam conjiciunt, tanquam eas mortui sint lecturi; increvit enim apud eos Pythagoræ sententia, qua dixit, animas hominum esse immortales; rursus eas, defunctis corporibus, post certum tempus in alia corpora reversuras.* En Valerii Maximi Verba: *Mos vetus Gallorum occurrit, quos memoria prodidit ea pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare solitos.* Sed idem *Philosophiam sæpe oratoriam* hanc vocat. Non mirum hos Pythagoræ sententiam complexos fuisse, si verum, quod apud Clementem Alexandrinū prodidit quidam Alexander, Pythagoram nempe Galliasadiisse. Apud virorum fortium busta abnoctare scribit ex Nicandro Tertullianus, indeque oracula captare.

Flocci mihi faciendus Cicero, ubi pro M. Fontejo scribit, Gallos minime ulla religione teneri; Livius enim, etsi in cæteris satis huic genti iniquus, negligentem tamen haudquaquam religionis adfirmat. Et Cæsar lib. 7. Gallic. cui penitus cognita hæc natio, dicit eam admodum deditam religionibus, cujus hic verba adscribo: *Deum maximè Mercurium colunt, hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt; hunc viarum atque itinerum Ducem, hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur.* (huic humanas victimas immolabant, ut habet Minutius Felix) *Post hunc Apollinē & Martem, Iovem & Minervam. De his eandem fere, quam reliquæ gentes habent opinionem. Apollinem morbos depellere; Minervam operum atque artificiorum initia tranſlere; Iovem imperium cœlestium tenere; Martem bella gerere.* Celtas Iovem colere atteſtatur Max. Tyrius, cujus ſignum altiſſima quercus. De Mercurio audi Plinium lib. 34. cap. 7. *Omnem amplitudinem ſtatuarum vicit ætate noſtra Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis per annos decem, H.S. CCCC manipreto.* Dianam, eamque Epheſiam templum habuiſſe apud Maſſilienſes, Strabo teſtis. Et apud Gallo-Græcos Dianam cultam, Polynæus 8 lib. & Plutarchus de Virtutibus mulierum. Sed & aliam coluiſſe, Arduennæ cognomine, teſtimonio marmor antiquum eſt, cujus Inſcriptionem infra legendam proponimus. In Arduenna ſilva hanc locum habuiſſe veriſimile. DEANÆ autem ARDVINNÆP RO DIANÆ ARDVENNÆ ſcriptum, neminem in antiquis Inſcriptionibus verſatum ignorare puto, I enim pro E & E pro I uſurpatum ſæpius à priſcis. Huicque ſacram hanc Arduennam ſylvam factam, aut templum (quod potius crediderim) in ea exſtructum à veteribus Gallis, religioni adeo deditis, aut ſi mavis ab ipſis Romanis, tanquam in totius horum Imperii nemore maximo celeberrimoque & huic Deæ digniſſimo, quid mirum? nimirum in loco huic Ἀγρονίᾳ Venatrici, Nemorali, Nemorumque & Sylvarum Deæ, Virgini, Cuſtodi (his enim epithetis eam celebravit gentilitia antiquitas) convenientiſſimo? *Eſum* ſive *Heſum & Teutatem & Taranem*, deos habuiſſe, Lactantius, Lucanus & Minutius Felix referunt. Sed Martem, Mercurium, Iovem, hos plerique docti interpretantur. *Belenī* horum dei mentio apud Auſonium, qui *Belis* eſt apud Herodianum, ut ad illum annotavit doctiſſimus Joſeph. Scaliger. An hic idem cū *Tibileno* Tertulliani ſit, diſputat P. Pithæus in Adverſariis; ſed Apollinem interpretatur. *Abellio* horum deus quoque, quem ex veteri Inſcriptione adducit dictus Scaliger, loco dicto, ubi & Onuavæ deæ meminit. Dæmonas quoſdam immundos à Gallis *Duſios* nuncupari, teſtis D. Auguſtinus De civitate Dei. An *Serapim* etiam deum (eundem forte cum Plutone, coluerint, colligere fere videtur ex Ammiani quibuſdam verbis libri 16 dictus Pithæus in dictis Adverſariis cap. 3. quem vide: *Vulcanum* quoque pro deo coluiſſe à Floro diſcimus, qui huic Romanorum arma eos promiſiſſe ſcribit: Deos ſuos in dextram converſi adorabant, teſte Athenæo: de eo ſic Plinius 28. cap. 2. *In adorando dextram ad oſculum referimus, totumque corpus circumagimus, quod in levum feciſſe, Galliæ religioſius credunt.* Diis homicidio aliiſque rebus ſacrificabant, Marti imprimis, teſte Cæſare, cujus verba appono: *Huic, cum prælio dimicare conſtituerint, ea quæ bello ceperunt plerumque devovent; quæ ſuperaverint animalia capta immolant, reliquasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus, harū rerum exſtructos tumulos locis conſecratis conſpicari licet, neque ſæpe accidit, ut neglecta quiſpiam religione, aut capta apud ſe occultare, aut poſita tollere auderet, graviſſimumque ei rei ſupplicium cum cruciatu conſtitutum eſt.* Idem Diodorus; *In templis* inquit *plurimum auri dii oblatum ſpargunt, neque illud incolarum quiſquam, propter religionem audet contingere.* Sed pergit Cæſar; *Qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant,*

aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publicèque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra, vivis hominibus complent, quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio aut aliqua noxa sunt comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur, sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Huc usque ille. Idem sed paulo aliter, audi à Strabone: *Quosdam in sacris, sagittis configebant, aut in crucem agebant, ac fœni coloßo exstructo, defixo ligno, pecudes & omnis generis bestias ac homines concremabant.* Item sic Diodorus: *Noxios quinquennio servatos, subdibus affixos, diis sacrificant, cumque aliis primitiis super ingentes pyras immolant.* Mercurio quoque humanas hostias cædere, Minutius Felix auctor est. *Major etas apud Gallos* inquit Tertullianus in Apologetico, *Mercurio præcatur.* Adeo ut satius fuisset, ut scripsit Plutarchus de superstitione, Galatis si nullâ omnino habuissent rationem deorum, quam deos esse existimarent, qui hominum mactatorum cruore mulceantur, ac maxime solemne hoc sacrificium & victimam existimarent. Solinus quoque hunc detestabilem morem, non ad honorem, sed potius ad injuriam religionis facere arbitratur. Hunc homines autem immolandi morem non tantum in sacrificiis sed & in divinationibus usurparunt: *Hominis namque sacris devoti tergum gladio feriebant & ex ejus palpitatione ariolabantur,* ut habet Strabo. *Cum de rebus magnis consultant,* inquit Diodorus, *mirabilem incredibilemque observant consuetudinem, hominem immolantes feriunt ense super septum transversum. Nullum autem his sacrificium sine Druide.* Et quamvis has hominum immolationes vetitas sub Tiberio Cæsare, prodat Plinius, ad sua tamen usque tempora (quæ sunt Constantini Magni) perduraße deplorat Eusebius 4. præp. Euang. *Verbenca* herba hos etiam sortiri & responsa præcinere commemorat Plinius. Apud Spartianum in Pescennio lego, apud Gallos sacra quædam esse, quæ castissimis decernebantur.

Atque hæc de tribus Galliis generatim. de quibus plura apud Cæsarem, Livium, Ammianum, Strabonem, Diodorum, Polybium, Athenæum. Possent etiam quædam de his dici speciatim, si tulisset pagina. Etiam de quarta Narbonensi (quæ provincia Romana) à ceteris soli & cœli hominumque indole differente, &, ut Pomponius inquit, magis culta & magis consita ideoque etiam lætiore. De ea itaque alias. At vide inscriptionem veterem, de qua supra.

DIS. MANIBUS
Q. CÆSIVS. Q. F. CLAVD.
ATILIANVS SACERDOS.
DEANÆ ARDVINNE.
FECIT SIBI ET SVIS HÆRED.
IN. FR. P. XII. IN. AGR. P. XV.
IIII ID. OCT.
IMP. CÆS. FLAVIO. DOMITIANO. VIII
ET. C. VALERIO. MESSALINO. COS.

Marmor hoc repertum via decia Salaria ad septem Balneas; at Marcilianum translatum, ut habet ex P. Ligorio Iulius Iacobinus, in Appendice ad Bap. Fontei commentaria de prisca Cæsiorum gente.

DIANA ARDOINNA quoque in Smetii Inscriptionum antiquarum Volumine legitur folio 22, num. 8.

Quia ex Strabone diximus Gallos ita componere crines suos, ut Panibus similes videantur, hunc C. Vibii Pansæ nummum cum Panos capite, ut alter cum altero conferatur intelligaturque, appingi curavimus. Et quod à doctissimo viro atque antiquitatis Romanæ peritissimo Fulvio Vrsino dissentiam, faciunt multa alia numismata, in quibus video non infrequenter imaginem, aut saltem imaginis vestigia ejus nominis, qui eum percuti curavit, ut in hoc Pansæ nummo, Panem; in Flori nummo, florem; in Thorii, Thorum sive taurum; in Vitalis, vitulum; in Lariscoti, larices; in Musæ, Musas: in Vallæ, vallum; in Petroniæ, Petroniam deam; in Sabini, Sabinas; in Rheniæ, renes &c. Adde hic quæ habet ipse Fulvius in Familiis Romanis fol. 195.



CAROLI MAGNI IMPERIUM.

FRANCORUM nobilissimæ gentis tenuia admodum fuere initia; nam apud Chaucos Frisiosque in vicinis Oceano Germanico oris gens exigua, paludibusq; adsueta, quum iniquis Romanorum exactionibus acerbius premeretur, adsumpto libertatis nomine, Francos sese voce patria vocavere; nam *Franc* Teutonice liberum significat. Serpsit autem ad vicinas gentes cum exempli æmulatione nominis quoque communicatio. Hi ergo, sive convenæ, sive jam plena gens, excurrere primum in Batavos & extrema Rheni ostia; inde in Sicambros, Salios, Bructeros, tũ Germaniæ interiora; ac tandem Galliam ipsam, provinciam tunc Romanorum, tentavere, relictis ubique mansionis suæ appellationisq; vestigiis. Hinc fit, ut in Frisia sit *Frankera*; in Germania ad Mœnum & Viadrum *Francfurt*, in Bavaria *Francomarck*; in Palatinatu *Frankendal*; in Brabantia *Francimont*. Ipse Chlodovæus Francus quũ esset, à D. Remigio Sicamber vocatus est; & Ammianus Francos quosdam Attuarios, quosdam Salios agnoscit. Jn tabula quoque Velseriana trans Rhenum in Germania legitur Franciæ nomen, inter Chaucos, Ampsivarios, Cheruscos & Chamavos. Et ex adverso coloniæ in Divitensi munimento, eruta est inscriptio, indicans molem ibi excitatam à Cæsare Constantino in terra Francorum. Prima ipsorum memoria legitur in historia Gallienorum sub annum Christi CCLXX, quo tempore usque adeo jam creverant, ut à Postumio contra Gallienum fuerint evocati. Sub Probo quidam ipsorum, correptis usque à Ponto navibus, Græciam Asiamq; populati sunt, Syracusas Spoliavere, & Gaditano freto egressi tandem domum suam revenere. Mirum est, tam pertinax fuisse illius gentis odium Romanorum: totos enim annos centum atque amplius ripas Rheni insederunt, intenti in omnes invadendi Galliam occasiones, neq; uel Regum suorum Ducumque captivitatibus ac supplicijs, vel cœli injuriis, vel propriis damnis, vel suorum deportationibus averti á proposito potuerunt. Crevit uno inter adversa animus cum vindictæ studio, Galliamq; sub Constantio ingressi, adsumtis Bacaudis, cuncta etiam usque ad Augustodunum ferro flammaque vastarunt. Treviros post bis ceperunt, semel anno Christi CCCCIX, iterum anno CCCCXII. Post sexennium, Regem sibi creavere Pharamundum. Anno vero CCCCXLV, Clodio è Thuringia profectus Rhenũ transmisit & domicilium sibi vixit Cameraci & Atrebati, occupatis omnibus usque ad Somonam amnem. Post eum Meroveus Campaniam Rhemensem insedit, imperante Valentiniano III. Idem quoque bonam Ætio adversus Attilam Hunnum operam navavit in campis Catalaunicis. Childericus Germaniam primam & Belgicam secundam subegit. Chlodovæus post ea, pulsis Romanis, totam Galliam à Rheno usque ad Pyrenæos; & ab Oceano ad mare usque Mediterraneum devicit. Eum S. Remigius ad Christianam fidem perduxit ex Paganismo. Anastasius vero Jmperator coronam auream cum tunica blattea ad ipsum misit, addito honoris ergo Comitis titulo & Augusti. Ita Franci ex transvenis facti in Gallia inquilini, regnavere longa serie usque ad Childericum per annos CCC. Is quum aræ quam sceptro aptior censeretur, concessit in monasterium D. Bertini, & deficiente regia sobole, delectus est in Regem Pipinus Austrasius, cui per Angesilum cum Meroveis quoque Regibus affinitas. Pipini obitu summa rerum ad Carolum, qui à rerum gestarum excellentia Magni nomen accepit, devoluta est.

IMPERIUM CAROLI MAGNI QUAM LATE PATUERIT.

Majores Caroli Magni, præter Præfecturam domus regiæ, proprias easque amplas ditiones habuerunt. Jn Austrasia quippe possederunt magnam ejus regionis partem, quæ inter Mosam & Mosellam sita est dictique sunt Duces Mosellani. Annales Brabantiæ Pipinum de *Landen* primum ponunt Brabantiæ Ducem, Angesilum secundum, Pipinum Heristallum tertium, quartum Carolum Martellum, quintum Pipinum Nanum, qui ex Majore Domus factus est Francorum Rex. Hujus defuncti Regnum Carlomannus & Carolus non admodum certa lege inter se diviserunt, sed litem istam mors Carolimanni diremit. Itaq; Carolus ex asse Rex factus, omnia possedit solus, quæ priores Reges acquisiverant. Quin & ea ipsa ingenti accessione auxit: nam quum prius, teste Eginhardo, cujus verbis nunc utor, non amplius, quam ea pars Galliæ, quæ inter Rhenum & Ligerim, Oceanum & Mare Balearicum jacet, & pars ea Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium, Rhenum ac Salam fluvium, qui Thuringos & Sorabos dividit, atque à Francis qui Orientales dicuntur, colebatur. Et præter hæc Alemanni tantum atque Bajoarii ad Regni Francorum potestatem pertinerent, ipse per bella primo Aquitaniam & Vasconiam & totum Pyrenæi montis jugum adjunxit, omniaque ad Iberum usque amnem, qui apud Navarros ortus, fertilissimos Hispaniæ agros secat, & sub Dertosæ mœnia Balearico mari miscetur. Deinde Italiam totam ab Augusta Prætoria usque in Calabriam inferiorem, ubi Græcorum & Beneventorum erant confinia. His præterea addidit Saxoniam, quæ duplo latior est Francia Orientali, quum ei longitudine possit esse æqualis. Adhæc utramque Panoniam & oppositam in altera Danubii ripa Daciam. Tum Jstriam & Liburniam & Dalmatiam, exceptis quibusdam maritimis civitatibus. Postremum, omnes barbaras & feras Germaniæ nationes, quæ inter Albim & Vistulam, Oceanum & Danubium sternuntur, inter quas fere præcipui sunt Velatabi, Sorabi, Abodriti, Bojemani, Marari. Cæteras vero genteis, quarum multo major est numerus in deditionem accepit. Eundem Imperatorem suum agnovere cæteri Europæ Reges Christiani: nam Danos & Saracenos odium religionis ab ipso avertit. Adelfonsus Galiciæ & Asturiæ Rex, capta Olisipona, misit ad ipsum Victoriæ suæ signa, neque, si scriberet, aliter se quam illius proprium vocabat. Scotarum in Hibernia Reges, ejus se subditos ac servos ipsum vero Dominum suum appellabant. Britanniæ Reges nullum certius præsidium quam in Caroli gratia potentiaque habuerunt. Itaque Eardulphus Nordanimbrorum Rex, patria sua & regno pulsus, per ipsum restitutus est. Ipse quin etiam Persarum Rex Aaron bis ipsum per Legatos adoravit quod & Saracenorum Reges non semel fecerunt. Tanta fuit tunc Imperii Francici Majestas. Nec minus Orientis Jmperator Michaël Carolum BAΣIΛHA & Jmperatorem per Legatos suos salutari jussit. In hac vero terrarum amplitudine habuit sibi subjectas Metropolicas civitates XXI, *Romam*, *Ravennam*, *Mediolanum*, *Forum Iulii*, *Gradus*, *Coloniam*, *Moguntiacum*, *Iuuauiam* sive *Saltzburgum*, *Treveros*, *Senones*, *Vesontionem*, *Lugdunum*, *Rothomagum*, *Rhemos*, *Arelatem*, *Tarantasiam*, *Ebrodunum*, *Burdigalam*, *Turones* & *Biturigas*. Hu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [135] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [134] - -

Caroli Magni Imperium.

jus autem Imperii conſtituendi neceſſitas ſumma fuit; nam quum poſt Auguſtulum per totos annos cccxxv. nullus fuiſſet in Occidente Imperator, tanta ubique ſuborta fuerat rerum conturbatio atque confuſio, ut neque Eccleſia Chriſtiana ſine defenſore, neque Reſpublica ſine Imperatore diu perſtare poſſet. Sarraceni quippe ex Aſia profecti Hiſpaniam invaſerant; idem Aquitaniam, Gothi reliquamque Galliam occupare adgreſſi fuerant. Italiæ ora maritima undique expolita erat Barbarorum prædæ. Eadem erat Inſularum, Corſicæ, Sardiniæ, Balearium ratio. Longobardi Italiam infeſtabant, Eccleſiæ bona rapiebant, ipſam quoque Imperii ſedem & Eccleſiarum matricem Romam invaſuri, niſi ipſorum conatibus tempeſtive occurretur. Inter hæc mala gemebat Eccleſia, neque ullum ab Imperatore Byzantino, qui & ſuis malis ferendis adverſus Sarracenos & Bulgaros vix ſufficiebat, & ob privatas quaſdam cauſas ab Eccleſia Occidentali erat alienior, auxilium expectabat. Hoc ergo ſtatu datus eſt à Deo Eccleſiæ Imperator Carolus, Rex Francorum & Longobardorum, qui primum Advocatus, poſtea Patricius ac tandem Romanorum Imperator renuntiatus eſt à Leone Papa, Leone Byzantino ob hæreſin odiumque Catholicorum Imperio ſimul & communione Sanctorum, ut Platina teſtatur, remoto, & acclamante populo CAROLO AUGUSTO *à Deo coronato, Magno & Pacifico, Romanorum Imperatori vita & Victoria.* Sic ergo, ut ſcribit Poëta Saxo,

Ipſius impoſuit capiti Leo Papa coronam,
Conclamat pariter populus, ſacra perſonat ædes
Ingenti jubilo, vox fertur ad æthera plebis
Romanæ, ſic concordi ſimul ore canentis,
AUGUSTO CAROLO MAGNO pacemque ferenti,
Imperii merito Romani ſceptra tenenti,
Gloria, proſperitas, regnum, pax, vita, triumphus.
Poſt laudes igitur dictas & ſummus eundem
Præſul adoravit, ſicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis; ac nomine dempto
Patricii, quo dictus erat prius, inde Vocari
AVGVSTVS meruit, PIVS, IMPERII quoque PRINCEPS.

Nec debuit alibi, aut ab alio, aut in alium conferri illa dignitas. Nos Imperii Caroli typum ita depinximus, ut Confinia Europæ, Africæ, Aſiæq; ad ejus ævi hiſtoriam melius intelligendam adjunxerimus.

IMPERIUM CAROLI MAGNI FUERITNE GERMANICUM.

QUi putant, Imperium in perſona Caroli ita fuiſſe tranſlatum in Germaniam, ut quod ante Romanorum fuerat, cæperitque proprium eſſe Germanorum, ſicut à Medis ad Perſas, ab his ad Macedonas, ac tandem ad Romanos rerum ſumma tranſiit, magna in rerum ignoratione verſantur. Nam imperium Romanum omnium in terris Imperiorum quum ſit ultimum, non poteſt aut debet ullum aliud alicubi excogitari imperium, in quod illud tranſlatum ſit. Ubicumque igitur fuit, Romanum fuit; neque eſt conſequens, ut, ſi Imperator fuit Germanus, imperium ejus fuit Germanicum, niſi quintam & ſextam, uno vero alias plures longo ordine Monarchias velimus comminiſci. Neque vero ex patria adminiſtrantis, aut ex loco in quo Imperator degit æſtimandum eſt Imperium, ſed ex jure & origine & capite ejus præcipuo, quod fuit eſtque & erit Roma; quum ne Conſtantinopolis quidem alio quam novæ Romæ titulo fuerit Sedes Imperii Orientalis. Poteſtque adeo fieri, ut Germanus aliquis aut Gallus, in Germania aut Gallia Imperii Romani habenas regat; neque enim ſub Nerva, Trajano, Hadriano Hiſpanis, Imperium fuit Hiſpanicum; neq; Conſtantius, Gratianus, Valentinianus Treveri in Gallia degentes, idcirco Imperium Gallicum adminiſtravere. Quod autem Imperium Francicum aut Germanicum interdum dicimus, id non eo fit, ut negetur eſſe Romanum, ſed ut ſignificetur apud quem & in qua Orbis parte Imperii Romani majeſtas reſideat. Carolum vero magnum qui ajunt Germanum patria, non Gallum fuiſſe, qua in ſententia plerique hodie Germanorum ſunt, videntur Geographiæ ignorantia & patrii ſui ſoli admiratione peccare. Sunt autem mali veritatis arbitri ignorantia & affectus. Res autem ſic ſe habet: Sicut Gallia Pyrenæis & Rheno, ita Germania Rheno & Viſtula amnibus terminatur. At Carolus noſter natus eſt Ingelhemi cis Rhenum, in ſolo Gallico, ſub Rege Francorum Gallo, patre Gallo; quocirca non Germanis, ſed Gallis accenſendus eſt. Sedem quoque regni ſui fixit non in Germania ſed in Gallia, Aquiſgrani, cis Rhenum, eamque urbem voluit vocari caput omnium Provinciarum Galliæ, ſedemq; regni trans Alpes; nondum ſcilicet Lutetia ad eum, quem nunc habet ſplendorem, evecta. Ac licet pars illa Galliæ interdum Germania appelletur, non tamen propterea definit eſſe Gallia, quandoquidem in ipſa etiam Gallia ſunt Germania ſuperior & Inferior, partes Belgicæ. Neque etiam quia Francia quædam eſt in Germania, quæ illo ævo Francia Orientalis dicta fuit, idcirco Carolus potius Imperator dictus fuit ab illis Francis, quam ab Occidentalibus, qui ſunt in Gallia; nam illa quidem Francia regnum non erat, ſed appendix tantum regni Francorum Gallici ideoq; per Comitem adminiſtrabatur, qui quidem tunc erat Henricus, manetque etiam hodie iſta diſtinctio; nam Franciam Occidentalem ſive Gallicam vocant Germani *Franck-reÿch*, hoc eſt regnum Francorum; Orientalem vero Franconiam ſive *Franck-land*, hoc eſt, terram vel regionem Francorum. Propriam autem ſedem Imperii Romani fuiſſe Galliam, non Germaniam probant iſta: 1, Sedes Aquiſgrani, quæ eſt in Gallia. 2, Intentio Leonis Papæ; neque enim ille Comitem aliquem Germanum, ſed Regem Francorum & Longobardorum evexit ad Imperium Romanum, eum ipſum ſcilicet, qui tot Regum fuerat ſucceſſor, quique antea factus fuerat Advocatus & Patricius. 3, Intentio ipſius Caroli, nihil enim ipſi cauſæ fuit, cur aliam vellet Imperii ſedem, quam quæ fuerat regni Francorum; at hæc fuit Gallia, in hac quippe per annos totos ccc regnatum fuerat; in ea tot Reges nati, tot denati, tot ſepulti. Ipſi adeo Regnum Francorũ filii in ercifcunda patria hæreditate, Galliam inter ſe partiti ſunt, non habita admodum Germaniæ ratione; itaque inter ipſos audies Reges Aurelianenſes, Pariſienſes, Sueſſionenſes, Metenſes; Germaniæ Reges non audies. Accedit 4. ſoli Gallici bonitas; neque enim eſt (ut vere ſcripſit C. Cæſar) ager Germanicus cum Gallico agro conferendus, tum urbes Gallicæ inſignes opeſque & conſtitutio politica pariter atq; Eccleſiaſtica, quum tunc temporis in Germania urbes inſignes paucæ, divitiæ nullæ, religio multis locis eſſet Pagana, barbaries vero & agreſtis quædam vivendi ratio ubique vigerent: quicquid enim humanitatis religioniſque Catholicæ & bonarum artium in Germania poſt eſſe cœpit, id totum illuc ex Gallia tranſlatum eſt. Itaque merito Poëta Saxo, qui ſub Arnulpho Imperatore res Caroli deſcripſit, agens de Saxonibus devictis, ait:

Copia pauperibus Saxonibus agnito primum
Tum fuerat rerum, quas Gallia fert opulenta.

Quinto, Probant idẽ actiones Caroli; nam is 1, Epiſcopos pleroſque Germaniæ Gallis Archiepiſcopis voluit

luit esse subjectos, Moguntiaco quidem Alemannos & Bavaros, Colonienſi vero Saxones, hoc est, Ostfalos, Westfalos & Angrivarios. 2, Comitia pleraque ipse celebravit in Gallia. 3, Synodos quoque in Gallia & præsertim sub finem vitæ famosas illas quinque Moguntiacenſem, Rhemenſem, Turonenſem, Cabillonenſem & Arelatenſem. IV, Universitatem bonarum artium & literarum Lutetiæ in Gallia; nam Osnabrugenſis minor fuit. 5, Evocationes & extremas litium decisiones in Palatio Aquisgranenſi Gallico. VI, Scholas Cantorum ad directionem Antiphonarii, Sueſſionis & Metis in Gallia. VII Ipsa quoque moneta illius ævi ostendit, Galliam trans Alpes veram Imperii sedem fuisse. Qui linguam Teutonicam qua usus est Carolus opinioni suæ obtendunt, non debent ignorare, Francos omnes multis ante & post Carolum annis non alio quam Teutonico sermone in vita familiari usos fuisse. Qui Innocentii tertii Papæ rescriptū obiiciunt, quod legitur Decret. Greg. lib. I. tit. 6. *Imperium Romanorum in persona Magnifici Caroli à Græcis per sedem Apostolicam translatū est in Germanos*, debēt meminisse, Francis-Gallis Germanos Imperatores succeſſisse, hoc est, Conrado, ultimo stirpis Carolinæ, Henricum Aucupem Saxonem, ac proinde de succeſſione mediata intelligendum esse illud Innocentii Rescriptum, non de immediata, nec eque à Leone IX, pronunciatum, inq; Decreta relatum esse, Othonem Henrici filium, primum Teutonicorum regem fuisse, quod ejus pater Imperatoris titulum recusasset. Frisigenſi tamen placet, ne adhuc quidem regnum Teutonicum aliud esse quam partem regni Francorū. Consulendus ipse lib. 6. cap. 17. & 18.

DE MONETA VETERUM FRANCORUM.

Qui ante C. Cæsaris in Galliam adventum, suam civitates Gallicæ habuerint singularem moneta, dubium nemini esse potest. Post ipsum, admissus est una cum legibus & lingua nummus quoq; Romanorū. Fuerunt autem ejus cudendi officinæ Lugduni, & Arelati, & Treveris, sicut ex Notitia Imperii liquet, in qua sub titulo, *Procuratores monetæ per Gallias*, ponitur, *Procurator monetæ Lugdunenſis, Procurator monetæ Arelatenſis, Procurator monetæ Treverorum.* Francos postea excusso Romanorum Imperio, pecuniam Regum suorum titulo atque imagine procudisse, non argenteā tantum atque æream, sed etiam auream, testis est Procopius libro 3. de bello Gothico; quod etiam à Burgundis & Gothis in iis Galliæ partibus, quas ipsi occupabant, factum esse, testantur eorum, qui adhuc exstant numi. Lapsu tamen temporis & coalescente Regum Francorum cum Imperatoribus Constantinopolitanis amicitia, crediderim, ipsos quoq; numum Imperii admisisse. Sed postquam Pipino Regnum Francorum, Carolo Imperium Romanorum delatum est, nihil causæ fuit, quin Franci proprio suorum Regum numismate & quidem solo uterentur. Video tamen ipsos quoque Duces in Provinciis suo nomine monetam procudisse; sed & eos Sanctorum quorundam modo nominibus, modo imaginibus pecuniam suam insignivisse; S. Dionysy, S. Martini, S. Nazarii. Accipe ergo, amice Lector, typos aliquot numorum Francicorum, ex quibus intelligas, quæ ejus ævi moneta fuerit & ubi ea cudi solita.



Ac Caroli quidem Magni ejusq; patris Pipini, filiique Ludovici plures fuerunt leges monetariæ; in ipsorum vero Capitulis Regalibus collectis ab Ansegiso Senonenſi Archiepiscopo legitur ista lib. 3. cap. 8. *De falsis mōnetis, quia multis in locis contra justitiam & contra ædictum fiunt, volumus, ut in nullo alio loco moneta fiat, nisi in Palatio nostro, nisi forte iterum à nobis aliter fuerit ordinatum. Illi tamen denarii, qui modo monetati sunt, si pensentes & meri fuerint, habeantur.* Libro etiam IV cap. 55. de moneta nova & falsa edictum exstat, quo ejusmodi pecunia prohibetur. Et libro IV cap. 80. præcipitur, ut bonos numos nemo respuat. In Capitulari vero Caroli Calvi cap. XI lex ista conspicitur. *Vt in denariis novæ nostræ monetæ ex una parte nomen nostrum habeatur in gyro, & in medio nostri nominis monogramma; ex altera vero parte nomen civitatis, & in medio crux habeatur*, sic



Et cap. XII, ista. *Sequentes consuetudinem prædecessorum nostrorum, sicut in illorum capitulis invenitur, constituimus, ut in nullo loco alio in omni regno nostro moneta fiat, nisi in*

Palatio noſtro, & in Quuentovico ac Rothomago, quæ moneta ad Quuentovic ad antiquam conſuetudinem pertinet, & in Rhenis, & in Senonis & in Pariſio, & in Aurelianis & in Cavillonio & in Metullo & in Narbona. Quocirca numi qui exſtant, neceſſe eſt plerique vel ante legem illam Caroli Calvi cuſi ſint, vel lege regia, ut fit interdum, non ſatis religioſe obſervata.

DE LINGUA VETERUM FRANCORUM.

FRANCORUM veterum ſermo non is fuit, qui nunc eſt; nunc enim ſonat Romaniſmum: olim vero fuit merus Teutoniſmus, quo non tantum in Germania, ſed etiam in Gallia à Rheno uſque ad Ligerim Franci uſi ſunt, Aquitanis Romanam depravatam loquentibus. Apparet id, primò ex Francorum origine; nam quum ex Germanis profecti eſſent, quid mirum, ſi vernaculam ſuam & matricem linguam ſonaverint? Valetque idem etiam in Burgundis, qui & ipſi Teutonice loquuti, utpote tranſvenæ Germanorum; & in Longobardis & in Anglo-Saxonibus. II. Ex Euangelio S. Ioannis, rhytmis Francicis, juſſu Waldonis Friſingenſis Epiſcopi conſcripto, quod Baſileæ ante annos complures typis editum eſt; in ejus enim præfatione teſtatur author, ſe lingua Francica uſurum,

Nu wil ich ſcriben unſer heil
Euangeliono deil/.
So wir nu hiar bigunnon/
In Frankiſga Tungon.

Qui vel mediocriter Germanicam linguam intelligit, agnoſcit hanc eſſe Teutonicam, idque Titulus operis etiam, nobis tacentibus, profitetur, in quo ſic ſcriptum eſt, *Liber Euangeliorum, in Theodiſcam linguam verſus.* Sed nos hoc ſpecimine contenti ſimus. III. Probatur idem ex nominibus Francorum propriis, quæ omnia ſunt Germanicæ originis, & quidem σημαντικὰ κῆ συνθετὰ; neque enim ulla eſt lingua, quæ vel felicius voces nectat, vel nexis familiarius utatur ad dandas rebus appellationes. *Thiet, Diet* vel *Theut*, Deum Germanis priſca lingua ſignificat, unde Teutones ſuum nomen traxere, hodie dicunt *Godt*. Inde dictus eſt Thiedericus vel Theodoricus, ſublata terminatione Latina, *Thietrÿck*, eſt Deo dives. Sic *Dieprecht* eſt Deo promptus, *Thietwinus*, *Theodovinus* & *Goduinus*, Deo vincens. *Diedo* vel *Godzo*, divinus. *Theudobochus*, Deum jactans. *Thiet waldus*, *Godswaldus*, Dei robur. *Godegeſilus* Δεόφιλος. *Theudolinda* Longobardorum Regina, Deo dilecta. Quæ terminantur in *aert*, indolem ſignificant & ingenium; talia ſunt *Bernaert*, urſino ingenio præditus; *Gotaert*, divino; *Geu-aert* munifico. *Adelaert* nobili; *Geitaert*, caprino; *Gyraert*, vulturio; Gerardus; *Eberaert* verrino; *Eeraert* ingenio honeſto ac liberali. *Rÿcaert* diviti, Richardus; *Leeweyaert* leonino; Leonardus; *Engelaert* angelico; Wolfaert lupino, Wolfardus; *Wernaert* contentioſo. *Man* virum denotat, *Heyrman* Hermannus, ductorem exercitus; nec dubium, quin id fuerit nomen Arminii, *Heymman* Principem ſuæ domus, Heimannus. *Adelman* virum nobilem. Sic dictus fuit XXVIII. Epiſcopus Bellovocenſis. *Hilde-man* virum dilectum, quod nomen fuit XXX, Epiſcopi Bellovacenſis; nam *Hilde* eſt amor; unde *Hildebrand* amore ardens; *Brune hilde*, quæ fuſco colore ſuo eſt amabilis. *Lothilde*, pura vel munda amore; *Grothilde* ingens amore. *Sieg-man* bellator; nam *Zieg* eſt prælium. *Baert* denotat barbam; Langbaert μακροπώγων, qui barbam alit, unde Longobardi dicti ſunt. Paulus Diaconus lib. I. cap. 9. *Certum eſt, Longobardos ab intactæ ferre barbæ longitudine appellatos; nam juxta eorũ linguam* lang *longum*, baert *barbam ſignificat.* Sic *Fulbaert* cui barbitium denſum eſt Fulbertus; *Idel-baert* barba rara, Idelbertus & Elbertus. Plura ejuſmodi alibi collegimus. Qui curioſitatem ſuam in hac parte exercere volet, auctor ipſi ſim, ut matriculas adeat Epiſcoporum, deprehendet non ſine voluptate cum temporum atque Imperiorum mutatione, alia aliis nomina ſuccceſſiſſe, ac prima quidem in Antiquis Eccleſiis eſſe Latina vel Græca; nam & Græcis multarũ Eccleſiarum inſtitutionem debemus; poſteriora Germanica; ultima, poſterioris linguæ. In Teſtamento B. Remigii legitur, Hludovicum Regem, quem nos Clodoveum vulgo appellamus, duas villas, quas quum baptizaretur B. Remigio dedit, ſua lingua vocaſſe *Beſchofes heym*, quæ vox Germanica eſt, & domum Epiſcopalem ſignificat. IV. Idem quoque probari poteſt ex menſium nominibus & Ventorum, à Carolo Magno inventis, quæ nos ex Eginhardo Tabulæ noſtræ adjunximus. V. Ex vocibus quas Franci ſcriptores, etiam quum Latine loqui volunt, orationi ſuæ inſeruntut ſunt *Scara*, pro copiis aut frequentia hominum. *Luidi* pro populo; *Wachta* pro excubiis vel vigiliis; *Bannus* pro exilio, & alia ejuſmodi VI. Ex formula juramenti, qua Carolus Calvus Rex Francorum, Ludovici Pii filius, uſus eſt. Sic enim ipſe juraſſe dicitur. *In Godes minna, nid durchtes Kbriſtianos folches, nid unſer bedhero gehaltniſſi, ſom theſemo dage frammordes, ſo mie God Giwiz inde mahd furgibit, ſo hald ich thiſam minam brüdher Ludhuwig. ſoſo man mit rebtn ſinam bruodhere ſoal, nithin thaz er mig ſoſo maduo, indi mit Ludherẽ in noth in cheino theing ne gegango, the minam Willon, imo ce ſchadhen werhen.* Legitur apud Nidhardum libro III. de diſſidio filiorum Ludovici Pii, qui & aliud affert juramentum, quod à Francorum populo tunc exactum eſt. Ex quibus omnibus apparet veterum & propriam Francorum linguam fuiſſe Germanicam ſive Teutonicam, plenam aſpirationum, & gravius anhelatam; ut in Hludovicus, Hlotarius, Htrones, Hbajocas aliiſque apparet, quæ politiores interdum adjectione literæ C emollire ſtuduerunt, ut in his Chlodovæus, Chlodovicus, Chlotarius & Chlothildis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [139] - -
PUBLIC DOMAIN

GALLIA.

Origo nominis unde deducta.

EUROPAE partem quæ hoc tempore FRANCIA appellatur, dictam olim multi memoria produnt Γαλατίαν, ab γάλα quod latinis Lac est; & hoc ob illam causam quod hæc Terra Lacteos id est, albi coloris homines producat, montibus nimium Solis ardorem excludentibus. Ptolomæus lib. II. ceterique Græci *Celtogallatiam* nominant. Ab Γαλατία etiam putatur formata quam tamen vocem alii aliunde derivant. Diodorus scribit nomen natum esse ab *Galata* Herculis filia. Alii vero alia tradunt; quicquid opinionum sit, profecto Galliæ appellatio Latinis scriptoribus fuit latissima. Hebræis *Tzarphat* vocari scribunt Postellus & Arias Montanus.

De veteribus Galliæ populis.

FRANCIA ut diximus hodie dicitur a Francis Germaniæ ad Rhenum populis vi Regionem hanc armataq; manu occupantibus; vulgo *Le Royaulme de France*; Veruntamen *Celtas* universim & Galatas vocarunt qui omnes Celtarum nomine omnem quondam incoluere Hispaniam, Galliam ac Germaniam, Illyricum & Britannicas Insulas, quippe Gallorum natio adeo populosa fuit, uti, quum domi haud sterile solum tenerent, ob multitudinem tamen hominum, necessum habuerint in diversas ac remotas Mundi regiones colonias ducere. Nonnulli eorum Italiæ dimidiam fere partem occuparunt. Ex his quidam ultra profecti in Asiam usque pervenerunt nomenque ibi Galatiæ, sive Gallo-græciæ sive Greco-galliæ fecerunt; alii in Britanniam venisse putantur. In Germaniam autem alii invecti ingentem tractum a Rheno ad Vistulæ usque fontes obsederunt. In ipsa Gallia vixit universa gens quot nominibus, tot civitatibus imperiis ac Magistratibus discreta. Primi Romanorum arma sensere Salyes, cum de incursionibus eorum Massilia, socia Romanorum civitas quereretur. Deinde Allobroges & Arverni; quum adversus eos similes Heduorum querelæ opem & auxilium postularent. Prima igitur Gallia Narbonensis subacta, inque Provinciæ formam redacta est, Domitio Ænobarbo & Fabio Maximo trophæa in ea decernentibus. Reliquæ Galliæ per 10 annos domitæ Laus Iulio Cæsari debetur. Stetit hinc tota sub Præfectis Romani Imperii ad Honorii Imperatoris usque tempora, cum, circa annum Christi 400, Gothorũ Hispaniam atq; Italiam vastantium rabies & Narbonensem provinciam infestasset, nomenque regioni de suo imposuisset. quod postmodum corrupte *Languedoc*, quasi *Langue de Goth* dictum est. Prolatis deinde ad Ligerim usque amnem Imperii finibus regnum instituere, cujus caput ac regia Tolosa fuit. Eadem ætate Burgundiones ab ultima Germania (pars Cassubiorum, parsque Brandeburgensium nunc ea loca possident) cum Vandalis Svevisque profecti, alias Galliæ portiones occuparunt, regnoque constituto Burgundiæ nomen de suo imposuerunt, cujus caput regiaque sedes Arelate. Continebat utramque Burgundiam, Lugdunensem, agrum, Delphinatum, Sabaudiam & Provinciam. Sub idem ferme tempus Franci, Germanica gens, Rheno transnavigato, proximam Galliæ partem, Tungriam (nunc est Brabantia ac Leodiensis Episcopatus) obsederunt. Verum pulsi mox a Gothis paulo redierunt, ultraque in Parisios usque progressi regioni ac regno inibi instaurato, Francię vocabulum de suo imposuerunt, cujus caput ac regia Lutetia. Circa eandem tempestatem Britanni ex Britannia Insula ab Anglis & Saxonibus quos in opem & auxilium adversus Scotos Pictosque ex Germania citaverant, fugati extrema Galliæ Celticæ obsederunt deque suo nomine Britanniam minorem appellaverunt. At Clodovæus V Franciæ Rex, Burgundiæ rege Gundebaldo armis devicto, Gothisque ex Gallia pulsis, utrumque regnum imperio suo adjecit. Hic vitam exuens regnum Franciæ IV filiis, in quatuor partes seu regna divisum posteriquit. Primus erat Parisiorum rex cui obtemperabant Parisii (nunc vulgo *Isle de France*, id est, Insula Franciæ) Compania, Cenomani, Turonus, Andegavi, Aquitani & Arverni. Secundus Suessionum rex, cujus regno subditi Veromandui, Neustrii (nunc Normanni) Picardi, Flandri. Tertius Burgundiæ seu Aureliani rex cui obvenit totum Burgundiæ regnum cum Aurelianensi Ducatu. Quartus Rex Metensi sive Austrasiæ quæ amplectebatur quicquid inter Mosam & Rhenum. Mortuis autem fratribus Clotarius solus rerum potitus est. Hujus itidem quatuor filiis regnum denuo in prædictas partes distributum est. Veruntamen defunctis ut ante fratribus, Clotarius II totum Franciæ regnum solus tenuit & administravit, quod integrum intactumque successoribus ejus mansit ad Caroli Magni usque seculum cum Austrasia divelleretur. Deinde Flandria mox etiam sui juris facta est. Imperator Henricus III Burgundiæ regnum Germanorum Imperio adjecit, quod postea in quatuor partes dilaceratum est. Beroaldus Saxoniæ Dux in Sabaudiam irruit; Otto Flandriæ Comes partem invasit quam *Franche Comté*, id est, liberum Comitatum Burgundiæ appellavit. Eam Guigius Comes quam a filii soceri nomine Delphinatum nuncupavit. Boso novissimus in Provincia regnum tenuit quod Arelatense dictum fuit. Sed posteriores Franciæ reges Provinciam ac Burgundiæ Ducatum repetiverunt. Delphinatum Hubertus postremus ejus Princeps regi Galliarum vendidit, ea lege pacta uti in posterum primogenitus cujusque regis filius nomen Delphini inde gereret. Successoribus Beroaldi etiamnum manet Sabaudia. Comitatus Burgundię eodem titulo ac jure ad Hispaniarum regem devolutus est quo Flandria. Avennensem Comitatum Ioanna Provincię Comes Papę Clementi VI concessit, manetque etiam hodie sub Romanæ Ecclesiæ ditione; atque hac ratione Gallia arctior quam olim facta est; siquidem tota propemodum Belgica avulsa.

Quo pacto Gallia facta minor.

Gallia hodie dissimilior.

Status autem universæ Galliæ priusquam a Romanis in Provinciam redigeretur is fuit ut neque universa unius Imperio regeretur neque singulæ civitates vel in populi vel in Optimatum arbitrio essent; sed ita divisa fuit, ut pleræq; Optimatum consilio regerentur quæ liberæ dicebantur, cæteræ reges haberent, omnes quidem id institutum tenebant, ut certe anni tempore publicum gentis Concilium agerent, in quo quæ ad Summam Reipub. pertinere viderentur, constituerunt. Civitates autem LXIV Tacitus lib. 3. numerat, hoc est, ut ex Cæsare colligitur Regiones quæ non modo lingua, moribus & institutis, verum etiam iisdem magistratibus utebantur, sicuti ipse multis locis Æduorum, Arvenorum, Rhemorum civitates præcipue commemorat.

Status Galliæ ver[sus] tus.

Reges vero vel regulus potius Galli eos tum appellabant qui non ad tempus, ut civitatum Magistratus, sed in perpetuum regium imperium quantumvis exiguis finibus obtinebant, quos immutata temporum consuetudo Duces, Comites, Marchiones nominavit.

Erant hi reges non hæreditarii, sed a populo propter justitiæ opinionem eligebantur, neque habebant infinitum, solutum & effrenatum imperium, sed certis legibus ita circumscriptum ut non minus ipsi in populi quam populus in ipsorum ditione ac potestate essent, & protinus illa regna nihil aliud nisi Magistratus perpetui viderentur: nam multos nominat Cæsar privatos quorum tamen parentes ac majores regnum obtinuerant. Optimatum ergo & delectorum authoritate, quibus eam potestatem populus permittit, tanquam freno coërcebantur; quæ optima Reipub. forma.

Quod ad fines hujus regni attinet; a Meridie, Occasu & Septentrione servatis antiquis terminis, ab Ortu clau-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [140] - -
PUBLIC DOMAIN

ditur Sabaudia, Burgundiæ Comitatu, Lotharingia ac Inferiore Germania quam vulgo Belgium indigitant. Franci omnem Galliam pacifice obtinuerunt ſub rege Hlodoveo qui primum omnium totius regni Monarcha factus eſt primuſque Chriſti nomen profeſſus, ea, quibus in hodiernum uſque diem Francorum Reges utuntur, Trium Liliorum Inſignia cœlitus, ut volunt, accepta uſurpavit. Regnaſſe poſt eum ſcribuntur ſucceſſione nunc directa, nunc collaterali Childericus, Hlotarius I, Cherebertus, Childericus II, Hlotarius II, Dagobertus Magnus, Clodoveus II, Clotarius III, Childericus III, Theodoricus I, Clodoveus III, Childebertus II, Dagobertus II, Clotarius IV, Chilpericus I, Theodoricus II, Childericus II, qui anno Regni XI, Chriſti vero IↃ CC LI authoritate & juſſu Zachariæ Pontificis, cui Pipinus vituperabilem & probroſam regis vitam tranſmiſſa epiſtola depinxerat, regni jure privatus ad Monochatum eſt coactus, in cujus locus factus eſt accuſator ipſius Pipinus Caroli Martelli filius, Pipini Nepos cognomine Brevis ex præfecto & Majore Domus: quem Secuti Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Carolus Calvus, Ludovicus III Balbus, Ludovicus IX & Carolomannus, Carolus Craſſus, Odo, Carolus Simplex, Rudolphus Burgundio, Lotharius V, & Ludovicus V, ultimus ex Caroli Magni poſteritate, quo veneno necato habenę regni tranſlatæ ſunt ad Hugonem Capetum, primum Gallum, Comitem Pariſienſem Ducemq; Francorum & Burgundiæ titulo tenus. Capeto ſucceſſerunt Robertus Pius, Henricus I, Philippus I, Ludovicus VI Craſſus, Ludovicus VII Iunior, Philippus II, Adeodatus Auguſtus, Ludovicus VIII, Divus Ludovicus IX, Philippus III, Philippus IV Pulcher, Ludovicus X Hutinus, Philippus V Longus, Carolus IV Pulcher, cui ſine prole maſcula defuncto ſuffectus eſt Philippus VI Valeſius, Caroli Valeſiorum Comitis I filius, quem ſecuti Ioannes Valeſius, Carolus V Sapiens, Carolus VI Benenatus, Carolus VII, Ludovicus XI, Carolus VIII Gibboſus, Ludovicus XII, Caroli Aureliani filius, Fracíſcus Valeſius I, Caroli Comitis Angolimenſis filius, Henricus II Valeſius, Franciſcus II, Carolus IX, Henricus III, cui Iacobitæ Monachi manu obtruncato legitimus pronunciatus eſt ſucceſſor Henricus IV Borbonius, Antonii Borbonii Ducis Vindocinenſis filius, Rex Navarrę & Galliarũ Chriſtianiſſimus poſt cujus mortẽ ſucceſſit filius Ludovicus XIII cui tota paret Gallia in partes varie diviſa; Hujus regni præcipuæ regiones ſunt, quarum vulgaria vocabula ſunt iſta: *Bretagne, Normandie, Picardie, Champagne, la France, Beauſſe, Berry, Blaiſois, Vendoſme, Perche, Gaſtinois, Senonois, Valois, le Maine, Touraine, Anjou, Poictou, Xaintonge, Perigort, Limoſin, Bourbonnois, Lyonnois, Foreſt, Beaujolois, Auvergne, Angouleſme, Auxerre, Nevers, Bourgogne Duche, Quercy, Guaſcogne, Languedoc, Provence, Dauphine, Bearn.* Acceſſit non ita pridem *la Breſſe* pars Sabaudiæ: *Mets* etiam, atque *Toul* Lotharingiæ oppida, quæ regis Francorum nuper facta ſunt. A Francorum ditione ſeparatæ atque aliorum Principum imperio ſubſunt Comitatus *Avenionenſis* qui Pontifici paret, Ducatus *Sabaudia* & *Lotharingia*, Principatus *Auraſio:* Comitatus *Burgundiæ* & *Caroleſii.* Cæterum Ducatus in Gallia præcipui ſunt, *Orleans, Bourgogne, Narbonne, Bretagne, Anjou, Berry, Normandie, Auvergne, Guyenne, Tours, Barleduc, Valois, Nemours, Alençon, Reims, Laon, Langres, Bourbon, le Maine.*

Urbes. Urbes hujus regni præcipuæ ſunt *Lutetia Pariſiorum, Maſſilia, Narbona, Lugdunum, Pictavium, Burdigala, Neomagus, Iuliomagus, Aurelia, Rothomagum,* Rupellæ, aliæque inter quas omnes jam recenſitas caput ac Regia regni eſt quæ vulgo *Paris* nominatur; urbs totius Europę, Conſtantinopoli excepta, magnitudine atque incolentium frequentia, clariſſima, dignitate ſua maxime æſtimanda. In Picardis Ambianum vulgo *Amiens* templi interno ſplendore ac ornamentis nobilis. In Normannis Rotomagus, alias *Roven*, opulentiſſimum Galliæ ad Oceanum Britannicum emporium. Cadomum, *Caën.* Diepa, navium adpulſu celebris. In Britannis *Renes* & *Nantes.* In Andegavis Andegavum vulgo *Angiers.* In Turonibus Turonum vulgo *Tours*, cujus ager ob multiplicem amœnitatem hortus Galliæ nuncupatur. In Bleſenſi provincia Bleſenſe caſtrum vulgo *Blois.* In Biturigibus *Bourges* antiquitatum reliquiis ac Xenodochio clara. In Campania Remi, *Reims*, templi artificioſa extrinſecus ſtructura celebris. Catalauni, *Chalons.* Tricaſſium vulgo *Troyes* urbs ampla ac populoſa. In Burgundia, Divionum, vulgo *Dijon*, Ducum quondam ſedes. Cabilonum, *Chalon* emporium non ſpernendum: Matiſcona, *Maſcon* ſatis nitida: Belna vulgo *Beaune*, Xenodochii magnificentia percelebris: Auguſtodunum *Autun*, antiquitatibus adeo plena, ut Romana Gallica quibuſdam nominata fuerit. In Borbonenſi Provincia *Molins.* In Lemovicibus, Lemovicum *Limoges* emporium dives. In Pictonibus Pictavium, vulgo *Poictiers* amplitudine quidem ſecundas a Lutetia fert, ſed non adeo populoſa. In Santonibus *Saintes*, antiquitatibus etiam Romanis maxime decora. Rupellæ vulgo *la Rochelle* celeberrimum ad Oceanum Aquitanicum emporium, urbs munitiſſima, propugnaculum proximis bellis civilibus Proteſtantium tutiſſimum. In Vaſconibus Burdegala, vulgo *Bourdeaux*, urbs ampla antiquitatum Romanarum reliquiis ornata, emporium opulentiſſimum, Garumna flumine navium appulſum concedente. In Languedocia eſt Toloſa, *Toloufe*, incolarum multitudine inſignis. Martius Narbo vulgo *Narbonne* urbs quondam magnifica, jam vero munimine præſertim nobilis. Mons Peſſulanus, urbs ampla claraque vulgo *Montpellier.* Nemauſus vulgo *Niſmes*; antiquitatibus Romanis minine inferior. In Provincia, Maſſilia *Marſeille* portus amœnitate ac pulchritudine inſignis, opulentum Gallię ad internum mare emporium, triremium regiarum ſtatio, cæterum libera eſt civitas, una cum Arelate, utraque in Galliæ Regis tutela. Aquæ ſextiæ *Aix* etiam nitida eſt urbs: item Avenio *Avignon* Romanæ Eccleſiæ parens.

Galliæ vel Franciæ (nam voces has ἀδιαφόρως uſurpabo) longitudo ſi ab occaſu recta in Ortum ab Inſula inquam, Francici juris *Heyſſant* olim *Sena* dicta, extremo Britanniæ quæ in Galliis litori appoſita uſq; ad Rheni ripam perpendatur, milliarium Gallicorum eſt paulo amplius 300; ſin ut alii menſurandam cenſent longitudinem ab Cauro in Vulturnum, id eſt, ab Inſula Normanniæ, *Aldenarii*, quæ Veteribus Ebodia nominata Niceam uſque ſupra trecenta, numerantur triginta; quantum vero terrarum inter Pariſios jacet & Romam. Latitudo Meridionaliſſimis ad Mare Mediterraneum litoribus ad Caletenſium uſque urbem, milliarium fere 285, quantum itineris Pariſios inter & Venetias. Circuitus ſupra mille viginti milliarium. Hęc eſt igitur quantitas ejus regionis, qualitas non videtur etiam prætereunda cujus cauſa plurimum Clima; ſubjacet parti quidem quinti, totis autem ſexto ſeptimoque Climatibus; parti quoque Octavi inter gradus latitud. 41 & 52: longitudinis autem 20 & 38; & licet univerſim ventis obnoxia Septemtrionalibus, proptér aëris tamen ſalubritatem & temperiem optimis Europæ regionibus adcenſenda. Conſtitutione feliciſſimam facit Claudianus: Saluberrimam dicit Cæſar; & fertiliſſimam hominum genetricem Strabo. Ager magnam partem eſt planus, amœnis hic illic aſſurgens collibus quos valles excipiunt aſpectu jucundiſſimæ. Hic incolarum induſtria excultus triticum ſegeteſque alias magna luxuria producit; multum fert frumenti, non ſuis ſolum, ſed exterorum uſibus; etiam milium, glandes & ommigenum pecus; nihil in ea otioſum niſi qua paludes aut Sylvæ obſtant. Vino abundat, eoque optimo idque partim ſuis Britannis, Normannis, partim confinalibus Germanis, Belgis, Anglis aliiſque quibus uvarum maturitatem negare ſolet aëris frigiditas, ſubvehunt. Quid autem velint Vopiſcus & Euſebius dum Probum Imperatorem tradunt Gallis permiſiſſe ut vites haberent, docti viri nondum capiunt. Auri quoque & Argenti apud Gallos

Galliæ amœnitas.

Aër.

Ager.

Soli uberitas.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [141] - -
PUBLIC DOMAIN

los esse metalla testatur præter Strabonem etiam Athenæus, quæ hodie creduntur exhausta. Nec armenta refugit ager verum nutrit liberaliter unde fit, ut carius lactis, butyri, casei, lanæ rerumque aliarum abundet copia. Abietem fert, & taxum magna copia Cæsaris ætate habuit ut ipse testatur, quam Dioscorides Narboni tam præsentis esse veneri tradit, ut si qui dormiant sub ea, aut in ejus umbra morentur, lædantur & sæpenumero moriantur. Asinos non habere scribit in admirandis Aristoteles, quæ res aliter hodie se habet. Avium quoque piscium que genus multiplex sufficit tellus, vicinum mare ac fluvii in mare se passim exsolventes.

Montes. Inter Galliæ montes cum primis celebrant veteres scriptores Gebennam, *Montagne de Cebenes & Cevenes;* Vogesum hodie *Mont de Faucilles*, quanquam & aliis nomenclaturis designatur, separat Burgundiam Alsatiamque a Lotharingia; Provomit Mosam, Cæsare teste & infinitos alios fluvios, quorum plerique Rhenum petunt. Gignit Vogesus in Valle Leberia argentum purum, sed ut notat Munsterus non adeo multum. Juram, hodie etiam magna ex parte ad Germaniam pertinentem, qui alibi alia fortitur nomina.

Initium ejus statui solet in finibus Basilienſium, juxta Rhenum e regione *Waldzhuti*. Altus est multisque & ingentibus subnixus saxis. Meminerunt ejus Cæsar, Plinius & alii. Ptolemæo Ἰουγασὸς est: Straboni Ἰουρᾶιος & Ἴουρος. Ævo nostro accolis incolisque pro ratione locorum aliis atque aliis vocatur nominibus. Haud procul arce Hasburgensi prope Brugim (opidulum est sic dictum Idiomate Germanico a Ponte, qui hic super Arolam ex uno Arcu) *Botzberg* audit; a Pago *Botzen*, qui cum multis aliis pedi montis adlocatus. Hanc Jurę portionem *Vocetum* vel *Vocetium* esse Cornelii Taciti censent Munsterus, Schudus, Lazius, & alii. Ortelius tamen apud Tacitum *Vogesum*, de quo ante, legendum esse minime dubitat. Est eadem hac montis parte vallis ingens cui nomen *Frickthal*, a pago cognomine. Occurrunt & aliæ hic ibi valles, ut *Lauffen-thal* & *S. Imers-thal* & similes, quarum tamen nulla montem per transversum penetrat. Ubicumque volueris trajicere, opus est alta scansione. Inter Ararim porro & Farspurgum hic Mons appellatur *Schaffmat*, quod Latinis *Ovinum* sonat *Pratum*. Inter opidum *Olten* & Humbergensem Præfecturam dicitur *Nider-Hauwenstein* quasi, *Inferior sectus Lapis;* Per Saxa enim factum est iter. Inter Walnburgum & Balstallium *Ober-Hauwenstein* vocatur, *Superior sectus Lapis;* ubi currus onusti grandibus funibus per Montis declivitatem demittuntur. Occasum versus procedendo *Wasser-fal* nuncupatur, id est, *Aquæ ruina*. Ulterius eundo *Iurten* ab Sabaudis prisco sere nomine, appellatur. Brachium, quod se extendit Basileam versus, uno ab Urbe milliari, juxta Byrsam fluvium, *Blouwen* dicitur, crescitque non parum in altitudine & asperitate quousque Delspergum veneris, ubi rursus in planiciem diducitur. Ulterius, versus *Bellele* Monasterium Gallicum procedendo, rursum crescit, ac deinde iterum evanescit spatio unius milliaris: hinc iterum saxosum horrendumq; montis jugum ab Oriente in Occasum extenditur, quod pervium feciſse scribitur Iulius Cæsar perforato in portæ formam saxo. Portam hanc nominant alii *Pierre-port*, *Petræ portam;* alii *Pierre-pertus*, *Petram pertusam*. Descriptam vere accurateque ab Sebastiano Munstero, Merula, qui eam aliquando transgressus, testatur. Inscriptionem supra Portam satis claram idem deprehendit, nisi quod primæ vocis litteræ reliquis magis sint extritæ.

N.....ANGUSTI VIA DUCTA PER
ARDUA MONTIS.
FECIT ITER PETRAM SCINDENS
IN MARGINE FONTIS.

Per hunc fontem intelligit Poëta Byrsam amnem, qui ibi ex Petra magna aquarum vi erumpit. Procurrit inde Jura versus Libonotum inter Helvetios Sabaudosque, quos ad Vulturnum respicit, & Burgundos, quos ad Caurum relinquit (unde & apud Cæsarem lib. 1. duobus locis Jura Sequanos ab Helvetiis dividit) secus varios Lacus, quorum præcipuus Lemannus, ubi longe lateque *Mons S. Claudii* nuncupatus ad Rodanum tandem terminatur. De aliis, qui ad Gallias etiam nonnihil spectant, de *Pyrenæo*, inquam, dixi, in descriptione Hispaniæ: deque Alpibus disseram, ubi Italiam percurrendum mihi erit.

Sylvas Gallia habet frequentes, attamen non uti in *Sylvæ.* aliis regionibus, magnas, non densas non ita dumis horridas. Apud Cenomannos variæ sunt, *Les Forests de Versay, Longoulnay, Persi, Sille, Charnay, Audain, Maine, Concise:* apud Britannos Inferiores, *de Bostblanc, de Toriant, de Guierche:* apud Pictonas, *Les Forests de Mouliere, Dyne, Brosse, Ligne,* & aliæ: apud Bituriges *Silva Roberti* cum aliis visitur: apud Andegavos, *Loursaie* & *Marson*. Totus Bononiensium ager una quasi obsessus est silva, cujus partes, *Les Bois de Surene, Celles, Hardelot, Dalles, Boursin:* apud Veromanduos haud procul Perona nemora sunt *Recoigne & Bouhan:* apud Picardos *Bois de Baine, de Beaulieu, de la Fere, de Coussy*. Nec suis caret silvis Lotharingia; *Warned-Waldt, Le Banbois, Bois de Mondon, de Heyde, de S. Benoit, de la Voyge, Mortaigne, Doseyne*. In Burgundiis multæ sunt silvulæ, quarum nunc non occurrunt nomina. Alias prætereo, quæ passim per Gallias hic ibi sparsæ. *Arduenna*, hodie potissima parte est in inferiore Germania, ideoque eam *Gallicam* vocat Claudianus & *Sylvam* Galliæ *maximam* Cæsar.

Lacubus non caret Gallia. Inter eos principis loci qui Latinis *Lemanus*, plerisq; Galliæ Lacus habitus. Quarta ab opido Arverniæ Besso miliaris parte mons est, inque eo Lacus late se extendens tam altus, ut fundo existimetur carere. Nulla in eum, quod quidem intuentium oculis parere potest, influit Aqua. Si quis quid in eum projiciat, tonitrua dicitur mox auditurus, fulgetra visurus, pluviam & grandinem habiturus. Haud procul inde Crypta est, cujus os rotundum, vulgo *Creux de Soulcis* & Abyssus, cujus profunditas explorari nequit & huic si quis injecto lapide aurem admoveat, murmur perhibetur ingens & mirabilis strepitus, tonitruo ex remotioribus venienti locis non absonus. Æstivis mensibus etsi nihil injiciatur, strepitus tamen in cavitatibus intelligitur. Putantur inesse venti, inter se quasi belligerantes. *Abitacini* vel *Avitaci*, cui ab avito nomen, Lacus in Arvernia apud Claromontem tam graphica est apud Sidonium lib. 11. Epist. 11. reique conveniens descriptio, ut hodie primum delineata videatur, qua dexter qua lævus. De *Rubreso Lacu* legendus Pomponius Mela lib. 11 cap. quo Gallia Narbonensis depingitur: Plinius *Rubrensem* nominat. Λίμνη Ναρβωνῖτις Straboni est & Stephano. Lætatur etiam Gallia fluminibus, quæ magna, quæ parva, innumeris. Nominat simul fluvios non paucos Ausonius Eidyllio 111, ubi de Mosella.

Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non, Gallis, Belgisque interfita fines:
Santonico refluus non ipse Carantonus æstu,
Amnis, & auriferum postponet Gallia Tarnem;
Insanumque ruens per saxa rotantia late,
In mare purpureum, Dominæ tamen ante Mosellæ
Numine adorato, Tarbellius ibit Aturnus.
Et paulo post;
Te Druna, te sparsis incerta Druentia ripis,
Alpinique colent fluvii, duplicemque per urbem
Qui meat, & dextræ Rodanus dat nomina ripæ;
Te Stagnis ego cæruleis, magnumque sonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

Primum autem inter fluvios agmen ducunt *Sequana, Ligeris, Garumna, Rodanus.* Qui *Sequana* Lat., Σηκουάνα Ptol. Σηκουανὸς Strab. Σηκόανος Steph. *Siban*, Benjamino,

no, *Seyne* vulgo. Oritur in Burgundiæ Ducatu, in Alseti Regione, paullo amplius leuca versus Septemtrionem a Burgo, qui S. Sequano sacer; duobus rivulis, quo inter pagi jacent *Billij* & *Perriere*. Lustratis sectisque cum aliis, tum Lutetia Parisiorum, cui nobilissimam facit Insulam, Rotomagoque, Mare Britannicum vel Normannicum ostio satis lato irrumpit. Æstuarium ibi satis est navigantibus periculosum; ideoque provide magnaque solicitudine adeundum. Normannis vulgo vocatur *La Bare*, Sequana enim Mare ingressus repente contra fluviorum ceterorum naturam refluit, horrendo sonitu ascendens ad hastæ longioris altitudinem. Inexpectata solent hic negligentibus & incuriosis oriri discrimina. Currens Sequana fluvios suscipit varios, in quis nobiliores ceteris, Antiquis etiam noti *Matrona*, vulgo *Marne*; *Esia*, *Oyse* vel *Ayse* vulgo. *Axona*, vulgo *Aynè*, *Aisne* vel *Esne*. *Ligerim* secundo loco nominavi, ab Cæsare aliisq; nobilitatum: Λίγηρ (vel ut in aliis Codicibus melius, Λίγηρις) & Λείγηρ Strab. lib. IV. & Ptol. Hodie *Loire* & *Leire*. Caput ejus in Pago Velauno: Locus vulgo *La Font de Leire*. Amplior est reliquis, ut merito *Pater Galliæ Fluviorum* audiat: aquæ limpidissimæ. Facto inter varios populos (Celtas ab Aquitanis olim ex Strabonis notatione dividebat) procursu, exonerat se in Oceanum Occidentalem, inter Nannetes & Pictones: ostio quatuor fere leucas amplo, pulvillis aliquot infesto, interius ad duas cum semi leucas rupes sunt, quibus a Porcis cognomen. Ingentes & navigiorum patientes excipit fluvios non paucos, *Elaver*, vulgo *Allier*; *Carim*, nunc *Cher*; *Vigennam*, hodie *Vienne*, *Viane* & *Vignane*; *Meduanam*, hodie *Mayne*, & alios. *Garumna* sequitur, Cæsari Gallos ab Aquitanis disjungens: Strab. lib. IV. Γαρούνας; Ptol. Τάρουνα; *Garonna* Frontino: quod nomen integrum hodieque retinet a capite ad Blaviam Castrum, ubi lingua Romana incipit; nam inde *Geronde* & *Gironde* dicitur. *Gerunnam* etiam vocat Gulielmus Brito in sua Philippeide. Oritur ex Pyrenæis, haud procul opido, quod vulgo *Cadalup*. De eo diligentissime Pomponius Mela lib. III: *Garumna ex Pyrenæo monte delapsus, nisi cum hiberno imbre aut solutis nivibus intumuit, diu vadosus & vix navigabilis fertur: at ubi obvius Oceani exæstuantis accessibus adauctus est, iisdemque retro remeantibus suas illiusque aquas agit, aliquantum plenior, & quanto magis procedit, eo latior fit, ad postremum magni Freti* (manet & nunc eadem facies) *similis, nec majora tantum navigia tolerat, verum etiam more Pelagi sævientis exsurgens jactat navigantes, atrociter utique, si alio ventus, alio unda præcipitat.* Et quæ alia sequuntur de *Antro* Insula ad Garumnæ ostium sita, non absimilia de eo tradit Claudianus in Rufinum lib. II.

Quousque rigat retro pernicior unda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æstu.

Hic hodie perlustratis cum aliis, tum Tolosa & Burdigala, mari se miscet Aquitanico, duarum fere Leucarum ostio; quod intrantibus occurrunt scopuli, quibus ab Asellis cognomen. Septemtrionalior Nautis Belgis *Noorder-Esel*, Australior, *Suyder-Esel*, Pharum vel præaltam sustinens turrim, quę vulgo *Le Tour Cordan*. Excipit navigeros fluvios *Tarum*, *Lo Tarn* vulgo; Gallice *Le Tar*; *Egercium*, Vasconibus hodie *Sers*; *Oldum* Arvernatibus & Montanis Cadurcis *Ooldt*, vel cum articulo *l'Old*, *l'Oolt*, *l'Ould*; *Duranium*, hodie *La Dordogne*, & alibi *Dordonne*, & alios,. Ultimum *Rodano* dedi locum. Fluvius hic Scriptoribus omnibus & Græcis quibus Ῥοδανὸς, & Latinis notissimus. In universum Gallis nuncupatur *Le Rosne*: sed indigenis *Lo Ros*: *Eridanum* nominant Oppianus in Halieuticis lib. IV. & Philostratus in vitis Sophistarum. Plinius ab *Roda*, Rodiorum in illo tractu Colonia nomen impositum scribit. Oritur haud procul Danubii, Rheni, Arolæ, Ticini aliorumque fontibus, prope montem, qui vulgo *Brig*; Lacum Lemannum apud Pagum Novam-Villam (*Neuf-ville*) ingressus, servato fere colore permeat, & ad Genevensium opidum egressus, rapido cursu pergens in mare Mediterraneum erumpit; septem ostiis, ut scribit Apollonius in Argonauticis; quinque, ut Diodorus & alii; tribus, ut Artemidorus apud Strabonem, Plinius & Ammianus; duobus, ut Polybius eodem Strabone teste, & Ptolemæus; pluribus, ut prudenter, sibique, ne mendacii argui posset, cavens Livius: hodie quinque, & plura numerant nominantque adcolæ, *Gras Neuf*, *Gras d'Orgon*, *Gras Paulet*, *Gras Grant*, *Gras d'Enfer*, *Gras de Passon*; quorum postremum, quod versus Massiliam sit, *Massaleoticum* appellat Plinius, *Massalioticum* Polybius, qui hoc *Primum* vocat, quod *ad Gradus* Marcellino & Antonino; a quo ceteris etiam ostiis *Gradus* nomen inditum. Excipit Rodanus *Arvam*; *Ararim* hodie *Saone* vel *Sone*; *Isarim*, hodie *Isere*; *Drunam*, qui hodie *Droma* est, vel *Drosne*; *Druentiam* hodie *Durance*.

Ad Oceanum est crumprimis ille Lacus, qui *Aquitanicus* Æthico, & aliis. *Tarbellicus Ancon* elegantissime apud Lucanum vocatur. Sinus etiam ad idem Mare sunt non ignobiles, in quorum intimis recessibus locata videmus, opida, Diepam, Constantiam, & alia. Ad Mare Mediterraneum *Gallicus* (γαλατικὸς) Sinus est duplex, *Major*, & *Minor*. *Major* ea Mediterranei pars appellatur, ubi se in illud effundit Rodanus. *Angulus Gallicus* M. Porcio Catoni: *Gallicus Sinus* κατ' ἐξοχὴν Livio, Justino & aliis. *Minor* apud Strabonē scribitur ad Promontorium Montis Pyrenæi, quòd *Aphrodisium* dicitur. Hic *Salsus* vocatur Melæ. *Gamblacitanum* etiam Sinum ponit ad Galliam Narbonensem Antoninus. Portus, ut hodie qui ex recentioribus Geographis, nullo negotio petuntur sic & olim habuit Gallia celeberrimos. Principem obtinent locum *Staliocanus*, *Vindana*, *Brivates* & alii quidam Veteribus nominati, qui *Stalivcanis* Ptolemæo, aliis *S. Paul de Lyon* in Britannia existimatur, *Rosco* aliis; quibus ut subscribam, facit, quod posterior priore multo sit fidior & commodior, quamvis enim oppositam habeat Insulam, cui cognomen vulgo *De Bas*, facilem tamen & tutum septemque altum hodie ulnas, utrimque præbet navibus ingressum. Priori, cui ab D. Paullo nomen, minax objacet Taurus (Insula est, vulgo *Le Taureau*) qui circumpositas habet rupes innumeras & latentes & eminentes; a quibus magnum nautis male providis creari solet periculum. Haud procul inde in eadem Britannia versus Meridiem post flexum Promontorii Gobæi, *Vindana* occurrit Portus. *Fenstiers* hodie, vel *Conquest*, Iovio male *Brest*. Adscribit hinc Βεμάνιν Portum Ptolemæus. Nomen hodie fere retinet, *Brest*. Sequitur apud eundem Σηκὼρ Portus: *Lusson* vel *Luxon* hodie. Hinc *Santonum*, Portus Ptol. scribitur, hodie *la Rochelle*, ut arbitratus Villanovanus. *Sinus.* *Portus.*

Succedunt montes & silvæ. Quod ad montes, Gallia aliis, quam aliis locis est montosior. Eminent hic Delphinatus, Provincia, Sabaudia, & Burgundia. Andegavensis ager suos etiam habet Montes, qui in Britannorum Pictonumque fines late se insinuant. Montes Galliæ cum primis celebrant Veteres Scriptores *Cebennam*, *Vogesum*, *Juram*. *Cebenna* Mons est, qui, ut Cæsar scribit, Arvernos (*ceux d'Auvergne*) ab Helviis (*ceux de Vivarets*) distinguit. *Gebennam* Plin.; *Gebennas*, Lucanus & Ausonius nominant; *Gebennicos* Mela. Vera genuinaque scriptura est, ut Scaliger suis ad Merulam literis monet, *Cebenna* per C; dici enim hodie *Montaignes de Cebenes* & *Cevenes*: ut rectius Κεμμενὰ Ptolemæo & Straboni, *Cebennæ* Vineto, Nozoreno, Villanovano *Montaignes d'Auvergnes* nominantur. Horum montium pars hodie *Tarara*, teste Gulielmo Budæo lib. IV de Asse, qui Lugdunum euntibus est superandus. In vertice sedes visitur Petra incisa, cui mercatores imponunt eos, qui mercatum Lugdunensem numquam frequentarunt, vulgo *La Chere de la Verité* vocatur. Jurare namque coguntur veritatem, Lugduni fuerint umquam, nec ne; eoque nomine non- *Montes.*

nihil

nihil, quo genio simul indulgeant, polliceri. *Vogesus* Galliæ mons Cæsari lib. de bello Gallico IV, Lucano lib. I. Plinius, & aliis. *Vocetus* vel *Vocetius* corrupte dicitur apud Tacitum lib. I. Historia. & alibi, ut jam ab doctis viris notatum. Alpium nomine a Strabone describitur lib. IV. Hodie *Mont de Faucilles*, aliisque nomenclaturis indigitatur. Separat Burgundiam Alsatiamque ab Lotharingia. Provomit Mosam, ut etiam testatur Cæsar, & infinitos alios fluvios, quorum plerique Rhenum petunt. Pars unde Mosella profluit *Kratzer* appellatur; quod habere se tradit Ortelius ex libello MS. Magni Gruberi, in quo Rhenum describit: addens, Tractum hunc *Estaye* Gallice, & *Auff der Stay* nuncupari in Chorographica Lotharingiæ Tabula, jussu & impensis Ducis ab Ioanne Scyllio accurate delineata, nihilque ibi, eodem Scyllio teste, præter Asarum herbam provenire. Gignit Vogesus in Valle Leberia argentum purum; sed, ut notat Munsterus, non ita multum. *Iura* Galliæ dicam mons, an Germaniæ? olim fere totus Galliæ, quum Helvetia Belgicæ adcenseretur. Hodie magna etiam parte Germaniæ.

Gallorum religio.

Gallos vero admodum deditos Religioni atque inter primos fuisse qui Christianam Religionem amplexi sint & semper præ reliquis eam seruaverint & coluerint, non solum Veterum scripta & monimenta, sed etiam magnifica templa, aliaque Religioni loca destinata testantur, quæ in urbibus & pagis ubique magno numero conspiciuntur. Certe in una Urbe Parisiensi IXIX universim numerantur; inter ea augustissimum, *Cathedrale D. Virginis*, quod jactis ab Philippo Augusto anno CIↃ CXCI, fundamentis, serio ædificari cœptum anno CIↃ CCLVII, D. Ludovico regnante, ex Galliæ Miraculis præcipuum columnis CXX sustinetur: longitudo passuum CLXXIV, latitudo LX, altitudo C. Chorus lapide cinctus, Historiis ex Veteri Novoque Testamento insculptis. In Ambitu habet Sacella XLV, ferreis clathris munita. Universim Portæ XI. In Fronte tres biforæ, statuis XXVIII Regum insignes. Ad latera turres visuntur, seu moles verius Campanariæ, altitudine XXXIV cubitorum. Campana maxima, cui ab Maria Virgine cognomen, viginti viros flagitat pulsanda; sonitus sereno cœlo per septem Leucas auditur. Infinitum esset reliqua templa quæ hic & aliis in locis visuntur, describere; infinitum, Abbatias, Cœnobia, Monasteria, Xenodochia, Nosocomia, Ptochodochia, & Orphanotrophia. Quid de arcibus, quid de conspicuis Regum palatiis? Quid de Magnatum & Equitum ædibus pulcherrimis? quid de aliis tam publicis quam privatis ædificiis? De his ego tacere malo, quam parum dicere.

Opera publica tam sacra quã profana.

Academiæ.

Academiæ Galliæ illustres sunt, Lutetiæ Parisiorum, Cadomi, Andegavis, Aureliani, Biturigibus, Pictavii, Burdegalæ, Tolosæ, Montispessulani, ex quibus tanquam ex multis Equis Trojanis, innumeri docti viri, Theologi, Iurisconsulti, Medici & alii exierunt, quos uno ductu enumerare si conarer, maximum mihi quidem conciliarem laborem, Lecturis vero tædium. Nobilitas sane Gallica (quæ frequentissima est) hodie tam pertinaci diligentia, tamque adsiduo labore meliorum Litterarum studia persequitur, adeoque in omni disciplinarum artiumque genere excellit, ut nusquam terrarum magis, videre ibi est summo loco natos illustribusque ortos familiis noctes dieque inhærere chartis, & nunquam non Musarum sacris operari. Sunt qui de quacumque re in medium prolata expeditissime possunt, methodo admiranda, ex tempore & absque ulla præmeditatione per horas aliquot, non sine audientium stupore differere. Bibliothecę in hoc Regno variæ, cum primis Parisiis *Regiæ Majestatis*, & *S. Victoris*, ut alias publicas & privatas pręteream optimis rarissimisque cum editis, tum Manu-scriptis refertas libris.

Bibliothecæ.

Gallorum mores.

Gallorum mores quod attinet, illud constat, eos ad omnia momenta vel eventuum, vel disciplinarum promptos, paratos, versatiles, ingenio acutos & ab doctrina minime alienos, ut semel quicquam vel visum vel auditum, illico apud illorum ingenia & deponat & amittat novitatem: in eo ipso penitus exemplo videntur nati & educati, qui animorum vigor ingens, maturaque celeritas nulli alii nationi data est a natura; quoquo incubuere feliciſſime se dant, ocyssime proficiunt, gnaviter exercent mercaturã, artes, arma, literas, eruditionem. De iis jam olim Florus prodidit: impetus illorum primos, plus quam virorum esse, ad extremum minus quam fœminarum. Gallico populo, ait *I. Berclajus in Icone Animorum* cap. 3, ingens amor & patientia dominantis. Apud illos vere regnatur, nefasque, quantum regi liceat, dubitare. Gens armis strenua, sed equestri certamine melior; ignara perfidiæ, publico præsertim consilio: indomitæ intra se molis; at ubi in exteros exundat, statim impetus sui oblita, eo modo nec diu externum imperium tenuit, & sola est in exitium sui potens. Longobardiam, Neapolim, Siciliam & alias per Orbem terrarum provincias frequentibus victoriis subegere. Sed mox hostes male domitos fidentius quam par erat comtemnere, aut simulantibus obsequium credere, inconsulta laxaque bonitate. Tum licenter uti victoria, & præter illarum gentium indolem lascivire. Ad extremum obliviscI armorum, aut ad patriam suam respicere cujus diu absentiam ferre non possunt. Nullis mortalibus indoles ad speciem virilis elegantiæ magis facta. Oris intrepidi, habitus, motus, gestusque qui totum corpus decent. Vestium amant varietatem, quam imitari studeant gentes vicinæ. Ceterũ mire hospitalis Gallia est, quę humanitatis templum videtur aperire, in quod se omnium exterorum fortuna conjiciat. Mercatura illis vilior, præsertim inter Nobiles & antiquas stirpes. Sed & quasi mercatores sui puderet, ubi illis largius fortuna indulsit, statim in aliam disciplinam filios suos agunt, jubentque majorem paterno fastigio scenam sperare. Illud autem in Gallicis moribus triste & deplorandum, quod pecuniarum licitationibus pateant munia & dignitates magistratuum. Nec dubium quin illa libido titulorum nisi ipsa se frangat, curias, tribunalia, præfecturas, tandem fit viliori sanguine, angustisque animis repletura. Nam dum ad emendæ Curæ aut Præfecturæ ambitum pugna initur, sæpissime ii vincunt, qui ut sanguine, sic & indole & ingenio cedunt. At fœdius peccatur dum, quasi gladiatores ad arenam damnati, subitis odiis armisque privatis ad ultima discrimina committuntur, & illi potissimum quos patricius nobilior que sanguis populo secrevit. Sed hæc mala & si quæ prætera maculæ se Gallicæ indoli interserunt, omnino donari eorum virtutibus debent, quos vel ætatis vel sapientię pondus ita composuit, ne æstu patriorum vitiorum abripi se sinant. In iis eminet egregia comitas; non fucata aut insidiose in hos quibus blanditur simulata. Nõ fraudibus, non secretis odiis vacant. Dignari singulos qui accessum aut notitiam petunt, & pro sua sorte unumquemque mulcere. Externo homini ad illorum consortium admisso, satis erit aperto scelere aut nimia ineptia non peccare. Nec aliquid in humana societate felicius, quam consuetudinis tam politæ erecta virilisque suavitas. Atque hæc de moribus Gallorum in commune dicta sunt, nunc particularia quædam annotabo. Parisienses ingenio sunt humano, sed admodum mobili. Iucri avidissimi, cujus causa nihil non aggrediuntur. Ruricolæ autem supra modum feroces, & injuriarum impatientissimi, ob viciniam Parlamenti, cujus opem sibi paratam putant. Carnutes humani sunt, inter se amantes, & peregrinis propitii, & mercaturæ studiosi. Belsii his moribus non absimiles, laboris tolerantes & agriculturæ dediti. Blæsenses a cœli clementia ingeniorum, uti videtur, amœnitatem & elegantiam trahunt, unde & morum comitate nullis Galliæ indigenis cedunt. Vindocini hos proxime ingenio referunt. Aurelianenses comtis sunt moribus, & idiomate utuntur eleganti, verum petulantiores sunt, & mordaciores. Senonenses facili sunt ingenio, nec ita astuto. Campani & Bryenses pertinaces sunt. Picardi prompti, & iracundi, ac pectoris aperti. Turones

In specie.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [145] - -

fide in Principem ſuum ac Regem laudabili. Cenomani laborum tolerantes, & induſtrii. Andegavenſes ac Pictones eleganti ſunt ingenio; nam jocos ferunt cum quadam dexteritate. Normanni cauti & doloſi. Britones pro varietate locorum plus minuſve ſunt urbani. Petricorii corpore ſunt agili, ingenio ſobrio, paucis contenti, neque inurbani. Lemovices ut plurimum ſobrii & vini abſtinentes, præterquam in oppidis. Averni ſupra modum callidi ſunt, laborioſi, lucri cupidiſſimi. Burgundiones ingenio ſunt aperto & facili, minimeque maligno, affabiles, atque honoris appetentes. Lugdunenſes moribus ſunt gratioſis, & licet ſimpliciores videantur, ſatis cauti. Delphinates oppidani ingenioſi ſunt, affabiles, curioſi rerum indagatores. Provinciales ſupra modum ſobrii ſunt domi, fortes, verum inconſtanti ingenio, avari; verſipelles, & infidi, loquaces ſunt, & meri oſtentatores, arrogantes quoque, & feroces, Superiorumque minus obſervantes. Thoioſani ad literas nati videntur, ſed moveri faciles, & ſeditioſi, perigrinis parum humani, Catholicæ religioni addictiſſimi. Fuxenſes laborum ſunt tolerantiſſimi juxta atque inediæ. Bigerrones ad arma videntur nati, ferox hominum genus, & inurbanum, præterquam in convallibus: vulgus, injuriarum impatientiſſimum, ob leviſſimas cauſas in cædes & mutua exitia ruit. Nobilitas tamen comis & manu promta. Vaſcones ſummo ſunt ingenio, ſed arrogantes. Decora ſua ipſa prædicant & libenter ab aliis prædicari audiunt. Magnifice ſe extollunt, ubi ſe ignorari ſentiunt. Avari ſunt, & bonis juxta ac malis artibus rem ſtudent augere. Invidi quoque ſunt, contemtores aliorum, atque adeo ingrati. Benearnenſes eleganti ſunt ingenio, humani, & ſuo idiomate ſatis diſerti, fortes, & libertatis amantiſſimi. Ceterum arrogantiores, & aliorum contemtores. Nobilitas affabilis & bellicoſa, quæque non tam veſtium ſplendorem, quam veram virtutis laudem aucupetur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [146] - -
PUBLIC DOMAIN

POLITICVS GALLIÆ STATUS.

Regnum Gallis uni offertur.

GAllI populi ab omni tempore uni magis, quem ex Virtute & Iustitia æstimabant cæteris præcellere, quam vel pluribus ac præcipuis populi, vel multitudini rei summam commendandã esse censuerunt; prout & singularis aliquis, qui solus rerum potitur, facilius aut promptius incommodis & periculis mederi potest, quam multi simul gradu & dignitate pares. Neque vero effrenatam in Regem suum transtulerunt potestatem, sed certis legibus & conditionibus optime limitatam aut constrictam, ne tyrannidi ullus locus detur, ut in progressu ostendemus. Cæterum quemadmodum nihil in humanis actionibus stabile est ac perpetuum, sed cuncta vel temporis lapsu collabascunt, vel sæculorum pravitate immutantur; sic in Gallia quoque, licet idem semper status, hoc est Monarchicus Regalis fuerit, non omni tamen tempore eadem gubernandæ Reip. ratio fuit, quam omnem ab initio constituti Regni breviter ac dilucide, quantum ex variorum Scriptorum lectione assequi potuimus, ordine exponemus.

Gallia a Romanis in Provinciã redacta.

Gallia a Romanis in Provinciæ formam redacta, eodem modo Reges ipsorum ex virtute & nobilitate (instar Germanorum teste Tacito) totius populi judicio ac suffragiis electi ac constituti sunt, quorum tres tantum in hodiernum usque diem, annis fere CIↃ CC quibus illud regnum duravit, familiæ accensentur.

Familiæ Regum.

I. Merovingiorum, qui orti a Meroveo, stirpem ad annos CCLXXXIII propagarunt.

II. Carolovingiorum, qui orti a Carolo Magno, sobolem in annos CCC XXXVII produxerunt.

III. Capevingiorum, qui ab Hugone Capeto prognati annis fere IC XC Regnũ obtinebant. Nam licet deferendi Regni judicium arbitriumque penes Ordinum Comitia, publicumque totius gentis Concilium semper fuerit & etiamnum omni jure sit; filiis tamen & iis, qui ex Regis demortui stirpe essent, propter nobilitatem & innatam quodammodo virtutem, prærogativam illam fere reliquerunt, ut eos quasi hæreditarie aliis pari virtute præferrent ita tamen, ut si Regis defuncti filii annis XXIV minores essent, eos creari jus non esset, atque adeo alium ætatis legitimæ creari necesse esset, cujus exemplum extat anno Christi CCC IX in Clogio Rege. Sed & subinde hoc ipsum Regnum quod Francogalliæ dicitur, ex quo inter plures Regum demortuorum filios, ex Procerum Regni voluntate & arbitrio divisum fuisse, plurima extant exempla. Si vero Populus filio repudiato aliũ eligeret, relinquebantur filio repudiato ad tuendã suam dignitatem res quæ propriæ Regis, & ut Juriſperiti loquuntur ipsius matrimoniales erant, & quas sine publico gentis consilio alienare non poterat. Cætera quæ Regni & Reip. erant & Reip. dicuntur, ei, ad quem Regnum deferebatur, attribuebantur, sicut & eæ res quæ Fisci dicuntur, quæ scilicet ad tuendam dignitatem suam partim ad usus Reipub. repentinos attributæ sunt, ut erant Ducatus & Comitatus varii, qui etiam in populi Comitiis, illis assignabantur. Secundo & illud observatum semper fuit, ut filiæ a Regni successione removerentur (non quidem lege Salica, ut quidam male existimant; nam ea de privato tantum patrimonio, nec de feudis quidem, sed de Allodiis, autore Salagasto uno ex Regni Proceribus, unde Salica ab ejus nomine dicta est, constituta fuit) & iis neglectis, fratribus vel patruis aut etiam extraneis per Proceres Regnum semper delatum; atque hæc de regibus primo Reip. capite. Antequam autem reliqua de Regis electione, ejusque & Reipub. concilio rationeque administrationis Regni progrediar, operæ precium facturum me esse arbitror, si prius membra illa Regni quæ Regem constituendi & abdicandi potestatem habere diximus, paucis descripsero, quo magis dulcis illa harmonia, qua regnum hoc a majoribus prudentissime constitutum est, eluceſcat.

Unanime vinculum.

Illud in primis magni est momenti, Regiam potestatem ac reliquos omnes regni ordines adeo commodis & æquis rationibus inter se devinctos esse ac velut coagmentatos, ut vix ullum possit inter ipsos magnum dissidium oriri. Sunt autem Ordines in Gallis tres præcipui, penes quos legitimum gentis Concilium Regnumq; adimendi ac constituendi facultas omnibus temporibus fuit: Nobilitas scilicet, Populus, Vulgus. Hi singuli pro sua quisq; conditione suas habent leges ac instituta, quibus utuntur & adeo commode sunt invicem aggregati, ut ægre facultatem habeant alii alios opprimendi aut etiam adversus regem conjurandi. De Ecclesiasticorum ordine, qui quartus censeri potest, quanquam hodie, cum in tantam excreverit potentiam, primum obtineat, deinde dicturi sumus.

Nobilitatis authoritas.

Nobilitas igitur Galliæ, sive *Equestris Ordo* maximis fruitur commoditatibus ac privilegiis, eoque fit ut magno quodam affectu Regem complectantur & vitam quoque pro ipsius ac patriæ salute profundant. Neque enim ullum pendunt tributum & armatis licet ipsis esse quocunq; loco & multa habent vitæ præsidia sic, ut non sit opus illiberalem aut quæstuariã aliquam artem exercere. Hoc enim nostris moribus minime illis conceditur, nisi forte domi maneant ac rei familiari studeant. Sed si regem sectari velint, habent quo se honeste alant: Plurima enim sunt domus & aulæ Regiæ ministeria, quæ solis nobilibus attribuuntur, qui singuli partem aliquam anni in iis procurandis consumunt & reliquum tempus vacuum habent ac liberum rebus privatis atque domesticis administrandis. Hi omnes annuum a Rege accipiunt stipendium & ampliora sperandi magnas habent occasiones. Principes autem viri ac majoris dignitatis Proceres, quoniam & ipsi Regis beneficentiam experiuntur ac partem Reip. procurant, nobilibus qui re sunt familiari minus lauta, victum & alia sæpe communicant. Deinde Reges perpetuum alunt & ampliſſimum equitatum, exercendæ & alendæ causã nobilitatis, ac in tanto equitatus numero plurimæ sunt præfecturæ, quæ in illos distribuuntur eaq; ratio non minus pacis quam belli tempore durat. Majores quidem loci nobiles pro sua quisq; conditione ac virtute præficiuntur Equitibus, ex reliquis autem alii sunt Legati, alii Signiferi, alii Sagittarii & qui

per ætatem non possunt ferre arma reliquis famulantur & cum nullum intercedit bellum, licet ipsis manere domi, ejusque stipendii partem non mediocrem parsimonia conservare. Adhæc nemo credit quam multæ sint per Galliam præfecturæ urbanæ, quæ soli Nobilitati committuntur; nam alii Provinciis, alii finibus, alii castellis & arcibus, alii vicis præficiuntur, ut interim nihil dicam de majoribus illis muneribus, quę Principibus tantum tribui solent, cujusmodi sunt qui ipsorum lingua dicuntur Connestabuli, Marescalli, Ammiralii & id genus alii, sed & annuam pecuniam, velut honorarium quoddam Reges libertate quadam elargiri solent in multos Nobiles, qui nulli sunt addicti ministerio. Hi appellantur eorum lingua Pensionarii. Satis igitur ex iis quæ diximus apparet, ordinem equestrem valde honeste & liberaliter in Galliis haberi & recte quidem; nam & patriam ab hostibus defendunt & natura fere ceteris antecellunt & non solum ipsis, verum etiam majorum ipsorum meritis atque virtuti illud tribuitur.

Secundus honoris gradus.

Alter Ordo suas etiam habet commoditates non exiguas: ad hunc pertinent mercatores qui eo faciunt majorem quæstum, quod tuto ipsis per Galliam proficisci ac negotiari licet, tum quod nobiles & mercaturam nullam exercent & splendide fere ac sumptuose vestiuntur. Huic etiam ordini conveniunt ac fere tribuuntur quæsturæ & rationes nummariæ, item præturæ & quicquid ad jurisdictionem pertinet; qua sane in re plurimum est honoris ac emolumenti: sunt enim in hoc Regno Juris administri Judices, Advocati, causarum Procuratores, Scribæ & id genus alii: multo plures mea quidem sententia, quam in reliquis omnibus Orbis Christiani Provinciis, quod peroportune illis accidit, qui relicta mercatura his rebus operam navare volunt. Et adeo quidem est fructuosus hic Ordo, ut Nobiles etiam invideant, quamquam certe dignitate atq; splendore reliquis præstant. Et qui sunt alterius ordinis fere, studeant ad hunc pervenire, ut postea dicturi sumus.

Novissimus vulgi status.

In tertio genere est vulgus & promiscua hominum multitudo qui & agros colunt & omnis generis artificia tractant. Ut autem hi vel nimia utantur libertate, vel admodum sint divites, vel in armis etiam exercitati, non est consultum. Nam quia conditionem servitutis oderunt omnes, & natura sua fortunas amplificare student, facile fit ut arma capiant & potentiores opprimant, quod & in Galliis & in aliis locis nom semel accidisse constat. Ut autem ejusmodi sint Ordines ac veluti gradus in omni Reipublica necesse est. Quemadmodum in corpore humano videmus infirmiora & ignobiliora membra subministrare dignioribus. Neque tamen est quod hi suum statum deplorent ac indigne ferant, quoniam & jus ipsis communicatur æquabiliter, & quam a majoribus acceperunt, ea utuntur libertate & multis etiam Reip. ministeriis adhibentur & sola virtute & industria & assiduitate possunt ad secundum ordinem emergere, quod secundo non licet, ut ad primum videlicet evadat, nisi Regis beneficio singulari, quod ille solet iis impartiri, qui aut jam fecerunt aut pro Reip. videntur posse aliquid facere egregie. Et prudenter quidem istud institutum est, primum, ut ordo conserveturEquestris, qui propter belli exercitium fere minuitur & sumptus vix tolerat. Deinde ut homines tantis excitati præmiis virtute contendant & ad supremum gradum eluctentur. Hac etiam spe confisi qui sunt plebei & infimi ordinis aspirant ad secundum & cum in eo versati fuerint aliquamdiu, ad primum. Itaque fit ut minus sit inter ipsos invidiæ ac malevolentiæ, quando vident meritis ac virtuti patefactam esse viam ad amplissimos honores & propositum esse periculum, si malis rationibus eosdem obtinere studeant. Quod si vel conatus nimium difficilis, vel spes esset nulla ampliora consequendi, tum qui sunt mediocris & infimi gradus magni præsertim animi, causam reperirent & occasionem excitandi motus & sui ordinis homines contra potentiores armandi; nunc autem minime difficilis est ratio, & videmus quam multi ex humili sæpe loco ad summum fastigium evadant. Hanc quoque rationem diligenter olim servabant Romani: nam a populari statu gradum faciebant ad ordinem equestrem, ac deinde ad Patritiam & Senatoriam dignitatem patebat aditus. Est præterea ordo Ecclesiasticus nulli non communis, qui modo animum huc adjicit, pro Galliæ consuetudine non raro accidit, ut etiam homines plebei virtute ac eruditione præstantes amplissimos in eo genere consequantur honores, Cardinalatum aliquando, vel Pontificatum etiam, quæ sane res ad virtutem ac literarum studia homines inflammare potest.

Ex jam dictis liquet quam apte & venuste inter se cohæreant omnes Regni ordines, e quibus si quis aliquid delinquat facilis est medicina; nam si nobiles injuriam cæteris faciant, coercentur ab iis qui jus reddunt, quorum est tanta authoritas, ut quantumvis magni Principes eorum cogantur parere decretis. Quod si populus etiam atque vulgus aliquid moliatur, ut nonnunquam accidit, non est difficile Nobilitati propter potentiam & usum armorum illos ad æquitatem & officium adducere, eoq; fit ut suarum rerum finibus ac veluti cancellis sese contineant omnes, ac pacem alii cum aliis colant, quando neque causam habent, neque facultatem etiam aliquid conandi, & periculum in eo summum esse vident. Itaque Regem tanti beneficii auctorem complectuntur & amant omnes, ac cum tempus incidit, libenti animo imperata faciunt & publicis necessitatibus magno studio subveniunt, quod si privatim aliqui ab officio discedant, parata sunt remedia, sic ut malum non possit longius progredi.

Ex quibus equidem constat quam concinne hæc Monarchia juxta justitiam distributivam sit temperata, atq; administrata, & Aristocratice, hoc est Optimatum Imperio; & Democratice, hoc est totius populi interventu, quippe cum ad omnes honores pateat aditus. Quæ quidem est illa Respublica quam tantopere propter dulcem illam harmoniam, omniumq; Reip. generum temperationem, omnes Philosophi commendarunt & ubi vetus illa Lex aurea locum habet: *Salus Populi suprema lex esto.*

Ex quibus statibus Parlamentum habetur.

Ex tribus hisce ordinibus seu statibus Regni, solet quotannis Calendis Martij publicum ac solenne Concilium seu Parlamentum vulgo haberi, atque adeo quoties major aliqua res inciderit, cui Rex in aureo tribunali sedens præerat: Et huic primum Princeps Regnique Magistratus, tum inferiori loco legati ex singulis civitatibus subsidebant, quos vulgo deputatos appellant. Carpento autem Rex in atrium vehebatur bubus tracto, quos auriga stimulo agebat. Ubi in atrium ac potius in Reip. sacrarium ventum erat, tum Principes Regem in aureo solio collocabant, reliquique ut jam diximus, suo quisque loco atque ordine subsidebant, eoque demum in statu atque sacrario Regia Majestas dicebatur.

Auctoritas vero hujus Consilii omni tempore summa fuit, & hæc potissimum in eo agi solebant. Primum de creando vel abdicando Rege, tum de pace & bello, de legibus publicis, de summis honoribus, præfecturis & & Procuratoribus Reipublicæ de assignanda patrimonii parte liberis defuncti Regis, vel dote filiabus constituenda, quam Germanico verbo Abannagium, quasi excluforiam partem appellarunt. Denique de iis rebus omnibus quæ vulgus & nunc negotia statuum populari verbo appellat, quoniam de nulla, ut diximus, Reip. parte, nisi in statuum sive ordinum Concilio agi jus esset. Item si quis princeps atque illustriore loco natus, criminis alicujus insimularetur, in judicium ad illud Consilium vocabatur, ibique causam dicere cogebatur. Quinetiam si quando Rex majores sumptus facere instituisset, veluti in templis ædificandis, & Monasteriis fundandis, Rex Ordinum Concilium exquirebat. Postremo ne illud quidem prætermittendum est, tantam hujus Concilii apud cæteras gentes authoritatem fuisse, ut etiam Principes exteri,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [148] - -
PUBLIC DOMAIN

exteri, si quid controversiæ haberent, id interdum hujus Concilii arbitrio ac judicio permitterent.

Atq; hoc Concilium Historici alias Curiam aut Conventum, alias Parlamentum, alias Placitum appellare solent, quod re in multorum consilio quæsita & deliberata, tandem inter ipsos placuisset & convenisset. Unde & placita Philosophorum apud Ciceronem & alios dicta sunt. Atque hinc etiam promanasse videtur illud hodiernum in mandatis ac literis Regis: *Quoniam ita placitum est*, quod male nunc a Scribis Gallicis traductum est: *Car tel est nostre plaisir*.

Magistri Palatii qui vocentur.

Eligi etiam solebant in eodem hoc ordinum Conventu seu Concilio præfecti Reip. qui Merovingiis temporibus, *Majores domus*, hoc est, *Magistri Palatii* dicebantur. Horum eadem apud Reges potestas fuit, quæ quondam apud Imperatorem Romanum erat Præfectorum Prætorio, qui etiam Aulæ Præfecti dicebantur. Qui cum regiam potestatem desidia Regum aliquamdiu obsedissent, eandem facultatem nacti, eam pro sua usurparunt ac occuparunt. Nam cum omnia fere Reipub. munera obirent, & si quod gerendum esset bellum exercitibus præessent, hi domi nudo atq; inani Regum nomine contenti propter desidiam in otio vivebant, unde eo progressa res est, ut Childerico Rege XVIII Regnum obtinente, Pipinus Magister Palatii, qui Regis nomine magna diuturnaque bella gesserat, Saxones devicerat, suamque in potestatem redegerat, oblatam Regii nominis occupandi facultatem non repudiarit, exercitu præsertim eoque victore & glorioso instructus. Tanta autem Præfectorum potentia initium cepit tempore Clotharii secundi, circiter annum Christi 588, id est, circiter annum 130 post Regnum Francogalliæ constitutum.

Porro hic Pipinus in Regnum, depositio Childerico, sublimatus est. De quo vide hæc in appendice Hunibaldi apud Ioannem Tritemium, præterea Marsil. Patavin. de Translatione Imperii cap. IV. Eodem anno (inquit Tritemius) Proceres totius Regni convenientes in unum, super abrogatione Regis Childerici inutilis, cœperunt habere Concilium, placuit autem in commune omnibus, ut Regem Childericum nullam regnandi vel peritiam vel potestatem habentem deponerent & Pipinum penes quem totius Regni summa manebat authoritas, in Regem sublimarent. Sed Pipinus in hanc rem consentire noluit, nisi prius Consilium Pontificis Zachariæ inquireretur, causas allegans se moventes.

Ex quibus locis Parlamentum videtur.

In Magistri hujus Palatii locum successisse videntur, *Comites stabuli*, vulgo *Connestablii*. Comites vulgo dicebantur omnes qui amplissimos quosque honores in Regia obtinebant & Remp. pro parte administrabant. Erat autem Comes stabuli fere is qui apud Romanos Magister Equitum dicebatur, id est, qui Equitatui præerat, cui custodes equorum suberant, qui vulgo *Scarteri* appellantur. *Mareschalcus* Germanis vocatur, hodie eandem obtinet dignitatem quam olim præfecti Prætorio, seu ut diximus Magistri Palatii, & sub eo hodie sunt quatuor Mareschalci, ad quos introducuntur lites rei militaris.

Primæ Parium institutio.

Post hæc erecti sunt tempore Hugonis Capeti (licet nõ satis inter Scriptores de hac origine conveniat) quos *Pares Franciæ* vocant. Ille enim remoto legitimo hærede cum Regnum occupasset, proceres aliquot novo aliquo honore ac beneficio sibi devinciendos putavit; nam ejusmodi aliquid ab eo factum esse omnes consentiunt.

Horum Parium constituendorum causa duplex fuisse videtur. Primum ut regni inaugurationi, atque ut tum loquebantur, investituræ præessent, hoc est, ut Regem Imperii sui insignibus atque insulis solemniter in principum atque optimatum Conventu exornarent. Deinde, ut si quis e Potentium & Principum Franciæ numero fraudis capitalis reus fieret, judicium illud exercerent; nam cum antiquitus judicia illa in publico gentis Consilio exercerentur, ut dictum est, atque is mos majorum paullatim Capevingiorum instituto ad Juridiciale Parlamentum traduci cœpisset, neque Principes Regni facile illi Parlamento suas fortunas committendas putarent, regibus illis ad suas rationes commodissimum fore visum est, præter illius Parlamenti curam suum hunc Parium consensum instituere, quæ Parium curia vocitata est, quorum tamen ordo ac numerus aliquandiu variis fuit; neque enim duodecim Viri semper fuerunt, ut nonnulli existimant, sed interdum plures, interdum pauciores, prout Regi, a quo in summi honoris ac beneficii loco Magistratus ille deferebatur, commodum videbatur: idque variis exemplis probari posset, sicut & Parium dignitas sæpe variis Principibus attributa est & ad illorum judicia nonnulli insuper alii & Franciæ Proceribus & Satrapis, Episcopis, adhiberi soliti sunt. Postremo in illorum numero etiam Reges ac Principes exteri fuerunt.

Porro etsi hac Parium institutione & quod Hugo ille Capetus ad conciliandos sibi retinendosque Procerum animos, dignitates quæ temporariæ erant, puta Regni Ducatus & Comitatus, perpetuas fecit, haud parum publici, de quo diximus, Concilii authoritatem, licet cum ejusdem Concilii consensu, astute imminuerit; cætera tamen cuncta adhuc ab eodem pro more pendebant Consilio, adeo ut etiam Budæus & Carolus Molineus tradant rei nummariæ jus, hoc est, potestates nummorum vel augendæ, vel minuendæ semper penes populum Francorum fuisse. Memorabile est illud bellum quod propter publicum bonum Proceres Regni assiduis plebis querimoniis & expostulationibus incitati adversus Lodovicum undecimum Regem decreverant. Quin nec illud omittendum, sub eodem Lodovico Consilium publicum apud Turones ad Calend. Aprilis anno 1467 coactum fuisse, in quo placuit, ut certi probatique viri XXXVI scilicet ex Clero (qui unum ordinem jam obtinebant) totidem ex Equitibus & totidem juris ac Justitiæ periti ex populo, fidemque Rex Regali dicto promissoque dedit ratum se habiturum, quicquid illi XXXVI viri constituerent.

Belli adversus Ludovicū xi instituti.

Atque hæc quidem in genere ad Capevingiorum usq; tempora totius Reip. gubernandæ Regnive administrandi ratio fuit. Eaque recensuimus Officiariorum Regni munera, quibus qui præsunt vel funguntur propriæ Regni seu Coronæ administratores, Officiales vel Sapientes dicuntur, quales sunt cum primis illi quos publicum Concilium constituere diximus. Item *Pares Franciæ*, deinde *Connestablius, Ammiralius, Cancellarius, Quæstor generalis Franciæ*, &c. Alii etiam omni tempore fuerunt Consiliarii ac Officiarii Regii, qui privata ipsorum negotia curabant, Regique famulabantur aut ministrabant, quales sunt *Camerarii* & alii Ministri & Officiales Aulæ Regiæ.

Publicum Concilium qui constituant.

Præter hæc publica munera instituta sunt successu temporis alia atque alia *Parlamenta juridica*, qua in re sciendum, ad usq; fere Capevingiorum tempora & simplicem facilemque jus reddendi rationem rarasque omnino lites fuisse, quod vel hinc licet cognoscere, quod Rex Lodovicus cognomento Dives, qui regnavit circiter annum CIↃ CC XXX (ut ex Ionvillio, qui ejus vitam descripsit, constat) ipse vel controversias disceptabat, vel disceptandi negotium nonnullis e suo comitatu mandabat. Quod idem de Carolo Magno proditum est, qui vel dum calcearetur, vel amiciretur, lites dirimebat. Hujus lex talis in capitulari extat. *Hoc ministri nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni septimana unum diem ad causas audiendas sedere volumus.* Crescente deinde pravitate temporis, litium multitudine, primum Basilica magnifica Regis Lodovici Huttini, vel ut alii volunt Philippi Pulchri Imperio circiter annum 1292 ædificata est; Tum ex mediocri Iudicum numero tres Decuriæ factæ, Magnæ Cameræ, Inquisitionum & Postulatorum. Sed anno 1522 Rex Franciscus quartam deinde Cameram XX novis Consiliariis adjecit, rursus idem Rex anno 1543 alios XX creavit. Sed hic Iudicum conventus non fuit perpetuus & perennis, ut hodie, sed indictivus, nec nisi certo Principis mandato exerceri solitus. Ad diem idem

Parlamenta juridica.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [149] - -
PUBLIC DOMAIN

D. Martini, id est, 11 idus Novemb. a Rege dictum proponebatur, quo Parlamentum inchoandi judicibus a Rege authoritas datur.

Parlamenti amplitudo.

Verum paullatim in tantum hujus Consessus seu Parlamenti authoritas excrevit, ut nulla Regia lex, nulla constitutio rata esset, nisi cujus illi Consiliarii auctores comprobatoresque fuissent. Deinde ut nullus tota Gallia magistratus, non modo urbanus; verum & militaris esset, quem non ab illo consessu inaugurari & apud eundem in leges jurare oporteret, tum ut ab eorum judiciis appellandi jus non esset, sed ut eorum decreta rata & fixa essent, postremo quicquid potestatis, imperii, authoritatis, penes publicum Consilium & Statuum Parlamentum (cujus scilicet & nomen & authoritatem obtinet) fuisse diximus, id totum in Senatum illum translatum fuerit.

Regis Libertas.

At hodie quando solus Rex pro suo judicio cum Secreto ac Privato suo Consilio quidvis decernit, prorsus in Ordinarium Iuridicum Consilium conversum est, non amplius circa Remp. Regnique negotia occupatur, fixamque suam sedem Parisiis habet.

Consilii privati nunc laxitas.

Quod quidem latissime patet & ampliss imam præ cæteris ordinariis Curiis seu Parlamentis (quæ septem omnino per Galliam nunc sunt) jurisdictionem habet. Cognoscunt autem singula de causis & criminalibus omnibus & quod a singulis definitum fuerit, ei standum est. Illud Parisiense præ cæteris habet, quod in id aliquando ipsi Reges venire olim solent, quoties aliquid magni decernere vellent, quod vel bellum vel pacem concerneret. Hodie adhuc pactiones Regum & quicquid omnino ad Regni constitutionem pertinet in eo recitetur & scriptis publicis, quorum ipsi custodiam habent, inferatur.

Sic quę ab omni antiquitate & primordio Regni Francogallię ad publicos Ordinum Conventus referebantur, & iis abolitis, ad Senatum seu Parlamentum Parisiense, ea hodie ad solum Regem & quos ille in Consilium adhibere vult, translata sunt.

Aliud Cōsilium quod Magnum dicitur.

Est aliud in hoc Regno constitutum Consilium quod Magnum vocatur, quod ex veris principibus ac prę cipuis Aulę & Regni consistit, quod tempore Caroli & Septimi & octavi, non nisi circa negotia Status Regni ac ipsius Reip. incolumitatem occupari solebat, sed & hoc ipsum adeo multitudine causarum ac litium successu temporis obrutum fuit, ut Carolus VIII ordinarium ex eo Concilium XVII Consiliariorum fecerit, quos deinde Lodovicus duodecimus ad viginti adauxit, addito Cancellario Consilii Præside, adeo ut sub Francisco & ipsa Cancellarii dignitas in Præsidatum erecta fuerit, atque deinceps solum vacarent cognitioni causarum extraordinariarum a privato Consilio iis commissarum & fere ordinarie appellationibus præfecti hospitalis, ut vocant.

Septem Iuridica Parlamenta.

Præter ordinaria jam dicta septem Iuridica Parlamenta, ut familiari utamur vocabulo, & Magnum Consilium; habet Rex privatim adhuc Consilium quod perpetuum & ordinarium est Regemq; fere comitatur, & circa negotia Regni præcipue occupari solet, quanquam & id hodie in ordinarium quasi Consilium conversum est, quando scilicet causis civitatum & Parlamentorum fere vacat, plerumque etiam aliorum privatorum non ita magni momenti causis, adeo ut hi viri spectabiles & illustres aliis occupati negotiorum publicorum & Statum Regni concernentium, cognitionem & curam propemodum omnem amiserint, totaque Regni administratio & cura, Regis arbitrio & paucorum decretorum electorum judicio commissa esse hodie videatur, quod *Secretum Consilium* nuncupatur, in quo cunctæ fiunt deliberationes summan rerum concernentes, & super quibus deliberatum a Privato & Finantiarum Consilio fuit, si ejusmodi modo negotia fuerint, quæ Regis peculiarem cognitionem requirant. In hoc cuncta beneficia, literæ & mandata Regia signantur, aliorum Principum, Legatorum, Præsulum, & Capitaneorum literæ referantur, eorumque responsa concipiuntur, & Secretariis Statuum committuntur.

Finantiarum Consilium.

Est ergo & aliud *Consilium*, quod vulgo *Finantiarum* vocant, quod universi Regii ac Regni Thesauri curam agit, cui adjuncti quoque sunt *Intendentes*, ut vocant, *Secretarii Finantiarum*, item *Quæstores ærarii*.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [150] - -
PUBLIC DOMAIN

BOLONIA
ET
COMITATUS GUISNES.

Comitatus Bolonensis fines.

BOLONESIUM vulgo *Boulonnoys*, quibusdam Bolonia, quibusdam Bononia dicitur. Comitatus est amplissimus. A Septentrione montes habet S. Ingelberti; ab Oriente Flandriæ & Artesiæ partem; à Meridie mare Britannicũ; ab Occidente ulteriora Galliæ, ubi Caucha flumine terminatur. Iuxta maris oram tota porrigitur in longitudinem. Latitudo ad lucum usque Tournohensem. Totus tractus arenosus est, ejus generis arenæ, quam urentem vocant, unde & nonnulli Boloniam censent derivatam, à *Bouiller*, quod ridiculum. Nomen Comitatui a

Bolonia metropolis.

Bolonia oppido, quod in superius hodie & inferius divisum. Illud altiore situm loco, Burgus tantum, anteaquam ab Anglis obsideretur; hoc autem in planiore loco, mari alluitur: Alterum ab altero passibus distat centum aut circiter. Episcopatu donata fuit anno 1566, qui Remensi Archiepiscopo subest. De hoc tractu Bolonienſi sic scribit Robertus Cænalis de re Gallica lib. 2. perioche 3. De Gessoriaco Morinorum portu recte cum Mejero dixerim, veri dici Boloniam, à qua ad Doverium portum Angliæ brevissimus est trajectus; Gessoriacũ autem navale (quod perperam Gandavum Bilibaldus esse credit) potius crediderim esse Castellũ, nunc *Casſel*. Sunt qui alio nomine Betressam vocant & Scalas vulgo *Scales*. Porro ex Boloniæ situ facile est conjectare an Iccius portus dici debeat. Qua in re ne quis hæsitet, illud ex Strabone sciendum, interjectum maris ab Iccio in Angliam, trecenta viginti, nec amplius, stadia complecti, quæ ex æquo constituunt miliaria quadraginta. Porro tabulæ recentiores designant à Bolonia ad Doverium miliaria Anglicana sexdecim, nempe Italicis longiora, à Calesio vero octodecim. Quo liquide constat, à Bolonia in Angliam trajectum esse brevissimum. Differunt itaq; portus Gessoriacus, & Gessoriacum navale, quod novissimum siquis Casletum dixerit, nolim cum eo contendere. Hæc ille. Hanc ipsam Boloniam ita depingit Arnoldus Ferronius, qui Paulli Æmilii historiam Gallicam ad sua usq; tempora deduxit Est autem Bolonia & inferior, quam vocant, & superior. Bolonia inferior, vicus non septus mœnibus ante Anglorum adventum. Ibi Fanum D. Nicolao sacratum & aliud Franciscanorum sodalium, quod non longe abest à mari, facillimo trajectu in Angliam. Abest à Bolonia superiore centum fere passus, & eo quid forte amplius. At Bolonia superior cincta mœnibus validissimis. Ibi fossæ prœaltæ muros ambientes. Totus ille locus sabulosus, ex eo genere, quod sabulum fervens maritimi homines vocant, unde Boloniæ nomen à ferventi sabulo, Gallico nomine inditum putant, tametsi vetus esse nomen ex Ammiano Marcellino videamus, hactenus Terronius. Gessoriacum Antonino dicitur, qui ei legionem adscribit xv. De eo Pomponius Mela. Pertinentq; ad ultimos Galliarũ gentium Morinos, nec portu, quem Gessoriacum vocant, quicquam notius habent. Sic Suetonius in Claudio cap. 17, ubi de expeditione Principis in Britanniam: Quare à Massilia Gessoriacum usque, pedestri itinere confecto, inde transmisit. Plinius Gessoriacum Morinorum gentis littus nominat lib. 4. nat. hist. cap. 16. Et Gessoriacus eidem pagus, totus ille tractus, qui pertinet à Normannis Belgis Bononiam usq;, pagi enim appellatio solet late apud veteres scriptores patere, ut pagus Tigurinus, pagus Velaunus, & alii. Sunt qui variis conjecturis Gessoriacum Calesium esse volunt, alii Brugas, alii Gandavum.

Gessoriacum.

Iccius portus.

De Iccio portu, quis aut ubi fuerit, non minus controversum. Qui Calesium esse putant, inde refelluntur, quod Ptolomæus post Sequanæ fluminis ostia, primo ponit Iccium promontorium; deinde Gessoriacum, à quo oppidum Calesium distat 20 millibus passuum, hoc est miliaribus Belgicis septem. Est quoq; Caletium urbis nomen, à quadringentis annis constitutæ. Quibusdam placet Gessoriacum idem esse cum Iccio portu. Quibusdam censetur fuisse Fanum S. Audomari. Camdenus in sua Britannia docet Icciũ portum diu fuisse in loco, quem hodie Witsam vocamus, prope Blanestum. Merula censet, non longe abfuisse à Bolonia, sed ulterius in littore positum, quem nunc absorpserit & obliteraverit mare ita, ut nunc in littore appareat Bolonia, quæ magis fuerit ab eo remotior, nullibi autem apparet Iccius portus. Ejus tamen memoriam putat exstare in vico, prope Bononiam ad mare, qui vernacule dicitur *Portet*, quasi portus Iccius





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111 2, [152] - -

per apocopen. Accedit, quod ex portu Iccio ad proximam Britanniæ partem trajectum notent, Cæſar quidem millia paſſuum xxxx, Strabo vero ſtadiorum 320. Cæſaris verba lib. 5. ſunt hæc : Atq; omnes ad portum Iccium convenire jubet, quo ex portu, commodiſsimum in Britanniam trajectum eſſe cognoverat circiter milliũ paſſuum 40, quæ ſi ad hodiernam menſurandi rationem accommodentur, dabunt XXIII miliaria. Sed intervallum inter Bononiæ littora ultima, & proximas Britanniæ oras eſt circiter ſex mill. gallicorum. Portum Iccium Florus lib. 3. Morinum appellat. *In Britanniam tranſit mira celeritate, quippe cum tertia vigilia Morina ſolviſſet à portu, minus quam medio die Inſulam ingreſſus eſt.* Maſſonius ita de eo cenſet : Portus vero Itius hodie non clauſus, ſituſq; inter Caletium & Boloniam, ubi veſtigia portus adhuc viſuntur, redacti ad formam prati virentis, acervuſq; aggeſtæ terræ foſsis adhuc cinctæ viſitur; unde nihil vicinius Angliæ regno; quatuor enim leucæ cum dimidia ſuperſunt trajecturæ in Britanniam Inſulam. Ceterum ſolventi à Caletio ſecundis ventis in eandem inſulam itur tribus horis.

Oppida alia. Oppida & alia in hoc tractu ſunt ad Caucham *Eſtaples*; ad Septentrionẽ in finibus Comitatus Guinenſis *Fiennes*. Regio eſt ſylvoſa. Lucũ habet magnum in medio fere, *qui la grande foreſt de Bologne* dicitur; & aliũ magis meridionalem, *Foreſt de Ardelot*. Bononienſis Comitatus à Balduino I. Flandriæ Comite, in gratiam Adolphi filii ſui ſecundo geniti, inſtitutus fuit, Dui in illa familia permanſit, donec per connubium Mariæ filiæ Godefredi Comitis Bononienſis cum Bertrando Barone Turrenſi, in familiam Turenſium (*de la Tour*) tranſiret, in qua manſit, donec per articulos conventionis Atrebatenſis, Carolus VII Francorum Rex eundem Philippo Burgundo ejuſq; filio traderet ea conditione, ut ipſis defunctis, ad proprios dominos reverteretur. Burgundus autem anno 1463 Comitatum Ludovico XI Francorum Regi vendidit. Carolo denique Burgundo, cui uſumfructum ad vitam reliquerat, defuncto, Rex anno 1477 oppidum vi cepit & Coronæ univit; Turrenſibus illus loco Comitatu *de Laurague*s conceſſo, quod tamen factum, quidam Carolo ſeptimo tribuunt. Eſt inſuper Bononia ſedes Epiſcopalis, quo, deleta funditus Teroana primaria Morinorum civitate, à Carolo V Imperatore, tranſlata fuit, Diœceſis: duos habet Archidiaconatus & Abbatias ſequentes : Capellæ *la Chapelle* : Longivilleris, *Longvilliers*; Bellinloci *Beaulieu*; *S.* Salvii in Boſco *S. Sauveur aux bois* & inſuper quatuor Prioratus

COMITATUS GUISNES.

AD Septentrionem Bolonienſi Comitatui adjacet Guinenſis, qui à Comitatu *Oye* diſcernitur per canalem majorem, qui oppidum ipſum præterlabitur, magnum addens terris iſtis adveſus irruptiones munimentum. Metropolis eſt Guineſium *Guiſnes*, cujus partes duæ, quarum una in paludibus ſita; altera in continenti, ſitu ac natura loci urbs munitiſsima eſt. Expugnavit eam Galliarum Rex Henricus II, miſſo illuc Franciſco Lotharingio, Guiſæ Duce anno 1528 De Danorum quondam in Guinenſem terram jure, multa Mejerus in annalibus Flandriæ, deq; eodem Comitatu alia apud alios Hiſtoriographos quæ hujus non ſunt loci. Sunt & alia hic oppida *Hartincourt*, *Peuplinge*, *Conquelle*, *Port de Nieulet*. *Oppida.* Etiam duobus Baroniis ſuperbit quæ ſingulæ à ſuis oppidis nomen habent *Ardres* & *Courtembrone* Habet inſuper Fiennen ſem Baronatum. *Baroniæ duæ.* In Oceani littore, ſpectatur Caleſium, *Caleſium* oppidum natura & arte munitiſsimum, Galliæ clavis, janua ac propugnaculum. Gravelinga tribus miliaribus, ſeptem Ardreſio, Bolonia vero circiter octo diſtat. Eum locum Philippus Comes Boloniæ & patruus Lodovici noni tunc viventis, primus munire ac muris cingere cæpit, quod munitionem illam bello gerendo utilem perſpiceret propter viciniã Oceani indeque ſibi breviſsimum & facilem in Angliam trajectu petere liceret. Populi hujus tractus olim Caleſii, vel ex Cæſare Caleti vocabantur, & ad Belgas, quemadmodum Morini & Nervii finitimi pertinebant. Milliari ab hoc oppido pons eſt, quem Neonambrigæ vulgo appellant, adjectam habens arcem munitiſsimam, unde per occultos canales, turgenti mari derivatos, aqua, circa hoc oppidum & undiquaq; copioſe reſtagnat. In faucibus autem hujus oppidi arx eſt cum turri valida cui *Riſban* nomen, quæ ingreſſum à mari in oppidum prohibet. Captum fuit ab Eduardo quinto Anglorum rege, poſt horribilem illam, contra Philippum ſextum Galliarum regem ad Crecium pugnam. Poſſederunt Angli 211 annis magnaq; id diligentia ac ſumptu firmaverunt, tantiq; referre putarunt Angliæ reges, hac urbe potiti, ut ejus domini ſe Galliæ claves in loculis circum ferre jactarent. Expugnarunt Galli anno 1558, menſe Februario, Guiſio Duce. Anno vero 1596, Albertus Auſtriacus Belgicarum Provinciarum Gubernator eam ad deditionem coëgit, Poſtea inito cum Gallo fœdere, reſtituta illi fuit, qui etiamnum ea potitur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [153] - -
PUBLIC DOMAIN

PICARDIA

Vulgo

PICARDIE.

Situs.

PICARDIAM ad Occasum respicit cum nonnulla Normanniæ portione, Oceanus Britannicus, ad septemtrionem veteris Belgicæ jacent regiones, Artesia & Hannonia; ad ortum Leucebrugum & Lotharingia sunt porrectæ; ad meridiem Campania, isque nobilissimi regni tractus, qui specialiore notione Francia vocatur, occurrunt.

Soli fertilitas.

Regio est fertilissima, horreumque Parisiorum, atque adeo totius Franciæ. Vino caret, ignavâ potius incolarum socordiâ, quam vel cæli vel soli injuriâ. *Picardia* autem in tres dividitur partes. *Veram, Inferiorem, Superiorem. Superior* hodie pene tota Belgicis provinciis continetur. *Vera* in se comprehendit *Vicedamias Ambianam, Corbiensem & Pequignyam, comitatum Veromanduorum, ducatus Tiraschensem & Retelensem: Ambiana Vidamie d'Amiens* nomen dedit *Ambianum*. Olim doctorum scriptorum sententia *Samarobriga*. *Briga* Hispanorum antiqua lingua & *Bria* Thracio sermone urbem sonat. Quibusdam *Somonobriga*, à ponte quo Somona fluvius trajiciebatur. *Ambianum* certè urbs est ad Somonam qui eam ibi findit: vulgo *Amiens*, urbs dives, ac populo armorum & in limite non inexperto potens, templis ac pulchris ædificiis ornata; ob præcipuam in Reges fidem jam olim ampliſſimis privilegiis quoque donata fuit. Est civitas una ex munitioribus Galliarum, & ab natura & ab hominum industria, meritò connumeranda, fossis latis, præaltisque vallata: clavis ea parte regni. Templum habet speciosissimum, mira structura & arte erectum, nec non suspiciendis iconibus, super omnes Europæ pictas tabulas decoratum, in quo, ut perhibent, S. Ioannis baptistæ caput integrum asservatur. Baillivatus titulo gaudet & sede præsidiali, manente nihilominus penes Consulem administratione, curiæ municipalis & speculæ cura, excubiarumq; ex delectis civium turmis constituendarū & munere & jure. Itaq; neq; novo tributo ullo, neq; præsidio tam intra urbē quam in suburbiis accepto, gravari posse per privilegia sua causabatur, uti & fide sic libertate semper inviolata, servata usq; ad postremos tumultus Gallicos, à quibus in partes, ut plerēque aliæ raptata, tandē Regi reconciliata rursus antiquorum privilegiorum confirmationē impetraverat. Anno 1597 ab Alberto Austriaco ex insidiis capta & eodem anno à rege Henrico per deditionem recepta. Hinc jactatur vulgo; *Amiens fut prinse en renard, reprinse en Lyon*. Excitatū post in parte ejus eminentiore Castellū fortissimum. In spiritualibus sanctum *Firminum* Martyrem Pampelonensem, primum, habuit episcopum, à quo LXIX episcopi numerantur, quorum postremus Ioannes Crequius, ex familia Canaplensis. Incolæ probitate sanè & fidelitate insignes; ideo his clarent privilegiis, quod cum ab omni exterorum militum præsidiis, tum ab subsidiis sint immunes. Huic *Silvius*, & *Fernelius*, eruditissimi medici, ortum suum debent: huic etiam orator eximius Silvius, qui plurimos Ciceronis libros magna cum laude aggressus est. *Ambianum* Pignone Alexandri magni milite conditum, plurimi scriptores autumant. Ab ortu hujus Vrbis Somona est ex Corbia descendens. urbem intrat & divortio aquarum Septemtrionem versus tendens arcus specie eam complectitur, ac tandem ab Occasu eam deserit, Piquigninum & Abbatis Villain versus tendens, tribusque pontibus in urbe jungitur & cum altero brachio confluens Insulam oblongam efficit, ad Montescutanam portam humilior, quod editior sit locus. Exstat Tetrastichon Iul. Scaligeri.

Vera Picardia.

Vrbes. Ambianum

Terrori fuerat peregrinis Gallia turmis,
Terrori Gallis Belgia sola fuit.
Germanus Belgas cum vincit: Belgica Belga
Cum tueor, Belgi Belgia sola fui.

Corbienses ab *Corbia*, quod oppidum est ad Somonam quo loco fluvius cui adjacet, Somonam ingreditur; clavis itidem. qua parte jacet, Franciæ; *Curmiliaca* forte Antonini inter *Samarobrigam* & *Cæsaromagum*, *Roie* ni fallor. *Corbienſis.*

Pequigny, ab Historiographis nobilitatem, quod ibi Gulielmus Normanniæ dux, cui cognomen erat *Longa spatha*, positis insidiis fuerit obtruncatus, per factionem Balduini comitis Cameracensis, qui eum pacis ineundæ prætextu eò pellexerat, testantur Normanniæ annales. *Pequigny.*

Memoriæ etiam produnt Francicarum rerum scriptores, Anglos postquam prælio essent victi, superstites omnes ibidem fuisse occisos, qui nomen *Pequigny* litteris omnibus pronunciare nequibant, *Pequeny* loco *Pequigny* proferentes. *Veromandui* Latinis, hodie vulgo *Vermandois* retento, si qui alii Galliæ populi, prisco nomine. Comprehendere sub se signant Francię Geographi *Suessonum, Laudunensium, Tartenorum* ditiones: urbes item *Noviomagum*, & *fanum S. Quintini*. *Suessonum* urbs quæ hodie *Soissons*, arce prædita. Ptolemæo *Augusta Suessonum*, primaria est Galliæ Belgicæ, *Remensi* civitati subjecta, à Cæsare regiæ civitatis titulo decorata: fuit in Romanorum potestate, sed à Clodoveo erepta; quo defuncto filii decus illi regiæ civitatis quo Cæsaris tempore claruerat, reddiderunt. Incolæ bellicosissimi. In eadem urbe, sub Philippo Augusto rege, Anglicanarum & Gallicanarum ecclesiarum habitum est concilium: quod Angliæ rex deturbatis sua sede episcopis, Ecclesiastica bona occupasset ad sexennium, eosque bonis spoliatos in Galliam exulare coëgisset, à quo excommunicationis fulmine ictus est, & ei ut Ecclesiæ hosti bellum indictum in quo tandem victus est, omnibus Flandris qui ei præsidio fuerant profligatis: in hoc prælio maximè generosos se præstitere Suessones. Templum & Cænobium Virginum beatæ Mariæ Suessionensis ab Ebroyno tyranno, Franciæ palatii magistro, extructum ferunt. Suessonensium Episcopi, à S. Sixto ad Matthiam Parisinum fuere numero LXXIX, *Laudunensium* ager, *Laonnois*, dictus ab *Lauduno*, hodie *Laon* inter *Aynam* & *Oysam* fluvios collocatum. Vrbs Primaria *Laudunum* in colle sita, quam in ducatum & episcopatum erectam, vult Sigisbertus; à Clodoveo anno Iↄ: cujus *Genebaldum* primum constituit episcopum, cui ad *Ioannem Burserium* ultimum LXXII adnumerantur. Baillivatus fulget dignitate, cui hæ subsunt civitates, *Suessonum, Noviomagus, Fanum S. Quintini, Ribuaria, Concy, Chauny, Guisa, Perona, Mondidier*, & *Roia*. Adjacet *Compendium* Vernaculè *Compiegne, Carolopolis* aliis, à Carolo Calvo, qui eam anno Iↄ CCCXCVI, instar Constantinopolis auxit, munivit & ibidem Monasterium S. Cornelii erexit. Ex ea Joanna virgo anno CIↄ CCCCXXIX in Anglos armata manu irruens, ab iis fugata dum reditum in urbem cogitaret occlusis portis, proditione cujusdam Gulielmi Flavii militum præfecti, hostibus captiva Rothomagum deducta est; ubi post anni miseram captivitatem, falso hæresis & veneficii accusata, à Petro Cauchonio Anglo Beluacensium episcopo, Gallorū hoste, & judici seculari tradita, & ad S. Michaelis templū, ultimo Maii anno *Compiegne.* *Ioanna Virgo.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [154] - -
PUBLIC DOMAIN





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: GM 7 8111:2, [155] -

CIↃ CCCCXXXI post plurima in Gallos collata beneficia, incendio tandem mortis pœnam tulit: ob quod nefandum scelus, dictus Cauchonius, à Calixto pontifice excommunicatus est, nec non Gulielmus præfectus paulo post ab uxore propria strangulatus, cujus illa mortem impune tulit, cum maritum eam submergere statuisse, coram rege, testibus comprobavit. *Compendium* templum suum, Dominicanorum & Franciscanorum Cœnobium à S. Ludovico, Galliarum rege extructum jactat. *Tartenorum*, vernacule *Tartenois*, metropolis est *Fera*, *vulgo la Fere*; Vrbs egregie munita situque commodissimo, ad Oysam, Servamque confluentes, arcem habens satis validam. Quæ nunc urbs Noion, Antonino *Noviomagus* nuncupatur, inter Suessones, & Ambianos eam collocanti, decimamque octavam legionem illi tribuenti. *Noviomagus* Vadicassium est Ptolemæo, vulgo Ecclesiasticorum *Noviomus*. Vrbs est ad Oysam antiquitatis suæ notas non paucas præferens; Episcopalis sedes, cujus præsules comites se Noviomagenses & Franciæ pares scribunt. A S. Medardo 70. episcopi assignantur, quorum postremus *Ioannes Hangestus*. *Fano S. Quintini*, quod comitum Veromanduorum aliquando domicilium, & regionis caput, nomen à *Quintino* qui martyrium ibi passus, habet. Olim *Augusta Veromanduorum* quasi regionis caput vel à Romanis in Octaviani Augusti honorem nuncupata. Vrbs hæc sita est in plano ad Somonam, undique pratis, paludibus cincta, hac parte clavis regni; bellorum tempestatibus, hostium insultibus, maxime exposita multa damna sustinuit, calamitatesque bello inter Philippum Hispaniarum, & Henricum Galliarum reges, dum anno CIↃ IↃ LVII S. Laurentii festo, acerrime ibi decertatum est, dumque ab Hispanis obsessa armis expugnata ac dein inito fœdere Henrico Secundo restituta est. *Retelorum* vulgo *Retelois* ditio, sita est inter Hannonios, Lotharingos, & Barros: Metropolis, Retelium. *Tirascha* (*La Tirasche*) primaria urbs est *Guisa*, arce valida superbiens, contra Leuceburgenses propugnaculũ, vetus patrimonium fratrum primogeniti Lotharingiæ ducis. *Inferiori* (*La Basse*) variæ sunt partes. *Sanctterra*, *Pontium*, *Bolonesium*, *Guinæum*, *Oyum*. *Sanctterra*, *Santerre*, concluditur inter montem *S. Desiderij*, *Peronam*, *Royam* & *Neslam*, *Mons S. Desiderij*, *Mondidier* locus munitus. *Perona* ad Somonam: hic Heribertus Veromanduorum comes, captivum detinuit Carolum Simplicem Galliarum regẽ, ubi mortuus est maxime conturbato suo regno. *Roia* oppidum non contemnendum, arce munitum, *Cæsaromagus* forte Antonino & Tabulæ itinerariæ. *Nesla* propugnaculum, ut multa alia, hac parte regni validissimum. Hæc clarorum virorum genitrix. Ejus dynastæ Marchiones, olim affinitate juncti familiæ Courtenæ, quę à regibus Franciæ originem traxit. *Pontium* Vernacule *Ponthieu*, comitatus est, cui nomen creditur esse à pontum & paludum passim ibi multitudine, ad *S. Valerium* in mare se exonerantium. Primarium comitatus oppidum *Abbatisvilla*, *Abbeville* vulgo ad Oysam baillivatus titulo insignitum, sedeque præsidiali, à qua Lutetiæ Parisiorum provocationes juridicæ devolvuntur. Alia oppida sunt, *Crotoia*, *Rua*, *Treportus*, & *Fanum S. Richierij*. *Cressiacum*, *Cressi* vicus 36000 Gallorum clade memorabilis, sub Philippo Valesio, anno CIↃ CCCXLVI. Comprehendere etiam creditur sub se hic comitatus duos alios *Montstrolienſem* & *S. Pauli*, *de Monstreul* & *S. Paul* quibusdam quasi mons regius, aliis à monstro quod eo loci domicilium habuisse fingitur. *Inferior Picardia comitatum Bononiæ* complectitur vulgo *Comtè de Bouloigne*, & *Guinensem* vulgo *Guisne* de quibus in descriptione Bononiæ. Picardiæ primaria flumina, *Somona* cui adjacent *Ambianum* & *Abbatis Villa*: *Oysa*, cui similiter *Fera*, *Matrona*, *Scaldis*, & quæ vulgo *Ayne* & *Scarpe*. *Bononia* amnibus rivulisque irrigatur. Archia qui per Arquense oppidum, fanumque Audomari Gravelingam petit. Inde non procul est Scalense æstuarium ad usque Ardeiam arcem æstuans. Nec desunt æquorei rivuli duo, Marquisianus & Boloniacus. Est & Hautia sive Hesdin amnis Hesdino oppido nomen suum communicans. Sequuntur deinceps Pontivorum paludosa fluenta & Cauchiæ flumen. Horum amnium nonnulli pisculenta efficiunt stagna, seu vivaria à vicinis oppidis denominata, cujusmodi sunt *Le Vivier de Hames*, *d'Ardre*, *d'Ardres*. collibus arenatiis universus hic tractus juxta littus assurgit. In interiore vero regione sunt quos sua lingua vocant *les monts de S. Ingelvert*, & *les monts de Neuf Chastel* & *Dannes*. Sylvis vero ac lucis omnis consperſa est regio, cujus partes *le bois de Surene*, *Celles* &c.

Indigenæ morosi habentur, sibi ipsis plus satis indulgentes. Inter se ita bene conveniunt, ut si quempiam illorum offenderis, omnium tibi inimicitiam conciliaveris. Nobiles artem militarem maxime exercent & colunt. Picardia quà Francorum Regi subjecta, sub Archiepiscopatu Remensi, septem Episcopatus habet: Suessonensem, Silvanectensem, Belvacensem, (qui in Francia) Noviodunensem, Laudunensem, Ambianensem & Bononiensem, Teroanensem olim, qua deleta Bononiam maritimam Episcopalis sedes (pacto) translata est anno 1559.

Fera.

Picardia Inferior.

Abbatis-Villa.

Flumina.

Hautia sive Hesdin amnis.

Sylvæ.

Mores.

Status Ecclesiasticus.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [157] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111-2, [158] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [159] - -
PUBLIC DOMAIN

DESCRIPTIO
VEROMANDUORUM.



PICARDIAM habitarunt olim Ambiani, Sueſſones, Veromandui, Eſſui, Oromanſaci, Morini & alii fortean. Ipſa autem Picardia in tres partes dividitur, *Veram*, *Inferiorem*, *Superiorem*. Veræ Picardiæ (*la vraye Picardie*) cæpto à Pariſiis itinere, ſuperatiſque Bellovacorum agris initium eſt ad Crepacorium. Comprehendit *Vicedamias*, *Ambianam*, *Corbienſem* & *Pequignyam*: Comitatus *Veromanduorum* & *Retelorum*; Ducatum *Tiraſchenſem*.

Veromandui. *Veromandui* Cæſari & Plinio Gallię Belgicæ populi, qui *Romandii* Ptolomęo, hodie vulgo *Vermandois*, retento priſco nomine, Picardiæ pars, aliquando Comitatus titulo celebris. Inter Comites primum invenio *Hugonem*, Henrici I Francorum Regis filium, Philippi Regis fratrem, qui cum aliis Proceribus bello ſacro, quod in Paleſtina, Duce Godefredo Bullionęo anno CIↃXCIX geſtum interfuiſſe legitur. Succeſſerunt huic duo Rudolphi filius & nepos, quorum hoc ſine liberis defuncto, Comitatus ad Regnum eſt devolutus. Wandali, facta in Gallias cum Burgundionibus irruptione, Provinciam hanc miſerum in modum adflixerunt. Comprehendit ſub ſe hic Comitatus & Ditiones *ſueſſonum*, *Laudunenſium* & *Tartenorum*; urbes item *Noviomagum* & *Fanum S. Quintini*. At præſens tabula Veromanduorum territorium arctioribus limitibus claudit, nec quam latè Comitatus, ſed regionis termini pateant, oſtendit. Oritur in vico Veromanduorum *Somna* fluvius, cui nomen *Fervaquio*, unde S. Quintini municipium petit. De Veromandica autem regione, de Ambianenſi, deque Santerienſi, quomodo Philippo Regi ceſſerint, & quam uberes ſint, Armoricus ſecundo Philippidos tradit:

Comitatus olim.

Quas ditiones ſub ſe habeat.

Sic regio quam lata patet Veromandica, tota
Ambianenſis humus pariter cum Santerienſi,
Ubertate Soli Regi ceſſere Philippo.

Sueſſones. *Sueſſones* ſæpe apud Cæſarem, qui eos Eleutheros, liberos, nominat, memorantur. Σηϱσιῶνες apud Strabonem, ubi Iſacus Caſaubonus legit Σηϱσοῶνες; Ptolomæo Ἀϱσονες, hodie *Soiſſons*. Apud Sueſſones ætate memoriaque Cęſaris, Rex Divitiacus, totius Gallię potentiſſimus fuit, qui cum magnę partis harum regionum, tum etiam Britannię imperium obtinuit. Deinde Galba ſucceſſit. Et cujuſmodi regnum hoc fuerit, hinc intelligi poteſt, quod Sueſſones, Remorum fratres conſanguineique, eodem jure iiſdemque legibus uterentur, unum imperium unumq; magiſtratum cum illis haberent. Sueſſonum latiſſimi, feraciſſimique fuerunt agri & oppida duodecim, quorum unicum à Cęſare nominatur *Noviodunum*, quod ipſe poſt Belgarum diſceſſum ex itinere oppugnare conatus, propter foſſę latitudinem murique altitudinem, paucis licet defendentibus, expugnare non potuit. Hodie urbs Sueſſonum eſt quę vulgo *Soiſſon* vocatur, arce prædita. Fripuit *Soiſſon.* hanc urbem Siagrio, Gilonis Romani Prætoris filio, Clodovæus; quo defuncto filii regiæ civitatis decus, quo Cæſaris tempore claruerat, reddiderunt, poſtea Comitatus titulo fuit inſignita. Sub Hugone Capeto, & poſt varios Comites ad familiam Ducum *de Bar* venit, & per connubium Ioannæ Roberti D. Barenſis filiæ anno 1435. ad Ludovicum Lutzenburgicum Comitem S. Pauli & Franciæ, Comitem Stabuli; & deinceps per connubium ad Franciſcum Borbonium, Comitem Vindocinum. Pars aliqua à Carolo ſeptimo anno 1436 Coronæ annexa. Epiſcopatus eſt, cujus Belleforeſtius numerat nominatque LXXIX antiſtites; ultimum Matthiam Pariſinum.

Laudunenſium ager, *Laonnois*, dictus à Lauduno, *Laudunenſes.* cujus meminit vita Caroli Magni, hodie *Laon.* Conditam vult hanc urbem Papirius Maſſonius à Matrobio Prætore. Sita eſt in colle. Invaſit eam Carolus Lotharingiæ Dux, Ludovici Francorum regis, ſtirpis Carolinæ ultimi patruus, quum ſe jure ſucceſſionis videret privatum ab Hugone Capeto. Præſules ſe Duces & Pares Franciæ ſcribunt. Eos Belleforeſtius recenſet LXXIII. eorumque poſtremum Ioannem Burſerium.

Tartenorum, vernacule *Tartenois*, metropolis eſt *Tartenſ.* *Fera*, vulgo *la Fere*, urbs egregiè munita ſituque commodiſſimo, ad Oyſam Servamq; confluentes, arcem habens ſatis validam.

Quæ nunc urbs *Noyon* dicitur, Antonino Noviomagus nuncupatur, qui eam inter Sueſ- *Noviomagus.* ſonas & Ambianos collocat decimamq; octavam legionem illis attribuit. Vulgo Eccleſiaſticorum *Noviomus* vocatur, per compendium ut *Treſſes* pro *Triceſſes*. Falluntur, qui eandem faciunt cum Novioduno. Quatuor quidem Noviodu na nominantur, à variis ſcriptoribus, ſed eorum nullum commune quid habet cum Noviomago, de quo agimus. Vrbs eſt, anti-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [161] - -

quitatis ſuæ notas non paucas præferens, ſedes Epiſcopalis, cujus Præſules Comites ſe Noviomagienſes & Franciæ Pares ſcribunt. Catalogus eorum apud Belleforeſtiũ, qui poſtremum edit Ioannem Hangeſtum, Senlifii Dynaſtæ filium.

Fanum S. Quintini. *Fanum S. Quintini* quod Comitum Veromanduorum aliquando Domicilium & regiunculæ caput, nomen à Quintino, qui Martyrium ibi paſſus, habet. Olim Auguſta Veromanduorum dicta. Sic etiam diſerte dicitur in vita S. Quintini. Robertus tamen Cœnalis ſcribit, hanc Auguſtam omnino dirutam, ejuſque hodie nihil reſtare præter Cœnobium, quod vulgo *Vermand-Abbaye* indigitatur. Quicquid ſit, *Fanum S. Quintini* arce nunc potens multa ſuſtinuit damna calamitateſque, bello inter Philippum Hiſpaniarum, & Henricum Galliarum Reges geſto. Vſuardus vetus ſcriptor ejus mentionem facit in Martyrologio his verbis: *In Galliis oppido Veromandenſi Sancti Quintini, qui ſub Maximino Imperatore Martyrium paſſus, cujus corpus poſt annos quinquaginta quinque, Angelo revelante, inventum eſt.* In vita quoq; ejus martyris ſcriptum quoq; reperio quod ſequitur: Ejus venerabile corpus, licet ab impiis in Somona fluvio cum plumbo fuiſſet immerſum, tamen per annos plurimos latuit & incorruptum eſt repertum. Sigebertus Hiſtoricus ad annum 964 *Eccleſia*, inquit, *S. Quintini* Martyris eſt in inſula ſuper fluvium ſita, cujus Martyrium anno Chriſti trecenteſimo ſecundo contigit. Præterlabitur urbem Somona fluvius & ſupra eandem tribus circiter miliaribus fontes ſuos invenit. Sunt etiam in Veromanduis *Chaſtelet*, & *Beaurevoir* vicinæ urbes, Septentrionem verſus; & aliud oppidum *Han* verſus Meridiem ad Somonam. *Perona* propugnaculum Galliæ validiſſimum in finibus eſt ad Occidentem. De ea ſatis ſit indicare, in templo illius ſepultum Carolum Simplicem Regem Francorum, malignitate doloq; Heriberti Comitis Veromanduorum captum.

Alia oppida.

De Veromanduis ita in Geographicis tabulis P. Bertius refert: Hunc tractum quem olim Veromandui inhabitarunt, hodie adhuc, retento veteri nomine, vocant Galli *Vermandois*. Regio eſt arcibus, pagis, oppidis egregie exculta, totiuſque Picardiæ propugnaculum. Caput ejus eſt *Fanum S. Quintini*, cui nomẽ dedit Quintinus Patritius Romanus, qui imperante Diocletiano Veromanduos Chriſti fide imbuit. Hic olim ſita fuit Auguſta Veromanduorum, nunc plane diruta, cujus in reliquiis & ruderibus exſtructum eſt cœnobium, quod indigenæ vocant *Vermand-Abbaye*. Sedes hic quondam Epiſcopalis fuit, quæ Merdardo Antiſtite Noviodunum eſt tranſlata, quemadmodum id teſtatur Carolus Bovillus. Non eſt igitur S. Quintini Fanum Auguſta Veromanduorum.

P. Bertii de Veromanduorum relatio.

Fluvii.

Duo autem nobiles fluvii in hoc tractu fontes ſuos habent, *Soma* & *Scaldis*. Soma quibuſdam *Somona*, aliis Sabus & Sabara dicitur, creditur que nomen dediſſe *Samaraco* vel *Samarobrinæ* urbi. Caput ejus eſt in colle juxta urbem *Beauvois*. Scaldis quem Ptolomæus vocat Ταβέδα hic etiam ortus, celebres aliquot urbes præterlabitur, *Cameracum*, *Valencenas*, *S. Amandum*, *Tornacum*, *Oudenardam*, *Candavum*, *Denremondam*, *Rupelmondam*, *Antwerpiam*: flumina aliquot ipſe recipit Scarpam ad *S. Amandum*; *Loyam* & *Lievam* Gandavi; *Deneram* ad Denremondam; *Rupelam* ad Rupelmondam, quibus varie auctus duobus oſtiis juxta Zelandiam ſeſe in Oceanum Germanicum exonerat.

Comprehendit autem ſub ſe Comitatus iſte Sueſſones, quorum urbs Soiſſons vulgo; agrum Laudunenſem, qui *Laonois* dicitur; Tartenorum ditionem, *le Tartenois*, in quo oppidum *la Fere* cum Noviomago quod nunc vocant *Noyon* & *Fano S. Quintini*, quod quidam putant eſſe, uti & ſupra diximus, Auguſtam Veromanduorum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [162] - -
PUBLIC DOMAIN

CAPELLENSE GUBERNAMENTUM.

PIcardia vera præter Vicedamias (uti alibi quoque diximus) Ambianam, Corbienſem & Pequigniam, nec non Comitatum Veromanduorum & Retelorũ; complectitur inſuper Ducatum Tiraſchenſem.

Hic Guiſam urbem celebrem habet, & præter alia *Capellam*, unde tractui nomen. Vulgo vocant *Chapelle en Tiraſſe* ad differentiam *Chapelle* in Hannonia. Ad latus Hannoniæ meridionale jacet, Guiſam inter Picardiæ urbem & oppidum Chimacum *Chimay* in Hannonia. Diſtrictus ejus non uſque adeo magnus ab Occidente Picardiam habet; à Septentrione Hannoniam; ab Oriente Moſam; à Meridie Laudunenſem agrũ. Longitudo ejus maxima eſt miliarium viginti Gallicorum, inter *Boncourt* & *Roquigny*; latitudo maxima tredecim miliarium. Metropolis ejus eſt *Chapella*, urbs pulcherrimo ſitu ac probe munita. Ab ea ſex miliaribus diſsidet Vervinum vulgo *Vervins*, non ignobile oppidum, ubi pax aliquando Gallis Flandriæque utilis compoſita. Et ab hoc oppido totidem *Marla* in divergio fluminis ſita. Ad Orientem in finibus eſt *Aubanton*, urbs elegans & ampla. Irrigat agros Chapellæ Æſia fluvius, qui ſedecim ſupra Guiſam leucis ortus, è tenui fonte, qui viſitur in ſaltu prope *Hieſſonem*; dimidia enim tantum leuca ab eo vico diſtat, atque admodum exiguus ad Hieſſonem fluit; hinc regionem hanc interſecans Guiſam adit, inde Feram mox Compendium & Pontem S. Maxentii aliaque oppida, uſque dum infra pontem cognominem (*Pont-Oyſe* vulgo) ad Poſſiacum Sequanæ ſe miſceat, raptis ſecũ tum alijs, tum ſupra Compendium, Axona vulgo *Aiſne* vel *Ayne*. Pagos, arces, Abbatias plurimas numerat. Ad ſeptentrionale latus ſilva eſt *Le Foreſt de Noyon*, nec minus ad Orientem tota Sylvoſa eſt, ſaltibuſque obſita, quos etiam intra ſe plurimos oſtentat. Perlabitur quoque eam variis brachiis quaquaverſum diffuſus ab Æſia fluvius; ut aquis, paſcuiſque irriguis abundet, indigenaſque ſuos mirifice recreet. In finibus, uti jam dictum, ſpectatur urbs *Guiſa* arce ſuperbiens, propugnaculúmque contra Luceburgenſes, vetus patrimonium fratrum primogenitorum Lotharingiæ Ducis. Comitatu nobilis fuit, qui in Ducatum mutatus fuit à Franciſco I Rege, in gratiam Claudii Lotharingii anno 1527. Eorum Stemma hic libet aſcribere.

Fines.

Longitudo & Latitudo.

Fluvius Æſia.

SERIES PRIMORUM LOTHARINGIÆ DUCUM.

Claudius Lotharingius Dux Guiſæ & Aumaliæ. Franciſcus Dux Guiſæ obiit XII Cal. Mart. 1563. in obſidione Aurelianenſi, Frater illi Claudius Dux Aumalius. Soror Maria, quæ defuncto priore marito Duce Longevillano, Iacobo V Scotiæ Regi nupſit, ex qua nata Maria Stuarda Scotiæ regina, ſupplicio capitali adfecta XII Cal. Mart. Anno 1587.

Henricus Dux Guiſæ cæſus XVIII Calend. Ianuarij anno 1588 in Comitiis Bleſenſibus, Ludovicus Cardinalis Henrici frater, Cardinalis Lotharingiæ, cæſus cum fratre eodem tempore, iiſdem Comitiis in conſpectu Regis. Alter Henrico frater fuit Carolus Dux Mayennæ, Franciſcus Dux Iainvillæ Henrici filius.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [163] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [164] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [165] - -
PUBLIC DOMAIN

DITIO
RHETELORVM,
vulgo
RHETELOIS.

PICARDIA VERA complectitur Ducatum *Tiraſche* in quo metropolis *Guiſe*, Comitatum quoque Vicedamiam d' *Amiens*, Corbienſem, Pequygniam, Comitatum *Vermandois:* ſub quo ſunt alii, *Soiſſons, Noyon, S. Quintin* & *Laon*. Denique Comitatum Retelorum vulgo *Retelois*, qui in Ducatum & patritiatum abiit per Henricum III. anno 1581. in gratiam Ludovici Gonzagæ & Henrici Clivenſis.

RHETELORVM ditio ſita eſt inter Rhemenſes, Lotharingos & Barros. Metropolis ejus eſt Retelium ſita ad Azonam fluvium Gallice *Ayne*, vel *Aiſne* dictum. Sedano abeſt milliaribus Gallicis communibus novem; Remis Campaniæ urbe ſeptem, pontem habet trans Azonam.

Pagi ejus celebriores ſunt *Pargni, Nauvy, Bretoncour, Meſmont, Corny, Auboncour, Unaumont, Villers le Tourneux, Iandun, Marqueni*, &c. *Tourneux*

Regio aliis Galliæ & Campanię partibus ſoli fertilitate & aëris bonitate non cedit. Supra metropolim Retelorum, opidum eſt munitum ſatis *Chaſteau Porcien*, infra vero *Atygni*, ad latus ex obliquo *Genevilla*. *Regionis bonitas.*

Habet autem Campania Comitatus quoſdam ſibi non ſubjectos, nempe *Aigny, la Motte, Chalon*, quoſdam vero ſibi ſubditos, inter quos hic eſt Retelorum Comitatus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [166] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [167] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [168] - -
PUBLIC DOMAIN

PRINCIPATVS SEDANENSIS ET RAVCORTII,

nec non Præfectura DONCHERII.

Situs.



EDANVM, cui annexum eſt ſui prorſus juris Dominium *Raucourt*, Principatus titulo ac inſignibus claret. A Galliæ regno Moſa flumine ſecernitur ; Ab alia parte conterminum habet Ducatum Bullionenſem, reliquis vero partibus agro Lutzenburgico clauditur. Præter urbem cognominem pagi inſuper ad hanc ditionem aliquot referuntur, quales ſunt *Ievonne* amœniſſima pagus ſitus valle, per quam torrens fertur ea rapiditate ac vi, ut non molas ſolum triticeas circumagat, verum etiam Machinas eas, quæ præparando, fundendo, ſubigendo formandoque ferro, quod & locis proximis eruitur, inſerviunt. Idem etiam truttas gignit, ſaporis gratiſſimi piſces, magnitudine fere Salmonibus pares, qui vado hic non alto, ac parte ſui extra aquas eminentes non difficilem ſui capturam præbent. *Francheval, Semange,* (paret hic locus Duci Niverſii) & *Douzii*, prope quem fluviolus *Iher*, uno ab urbe milliari, in Moſam excurrit.

Urbes.

Pagi.

Regionis indoles.

Regio tota montoſa eſt, ſilvis arboribuſque denſa, quæ uſibus incolarum apprime conducunt, ſive exſtruenda erunt ædificia, ſive profligandum per hyemem frigus, ſive conficiendi carbones, quibus in fabrorũ fornacibus ferrum fuſile redditur ; dites enim hic circum circa reperias ferri fodinas, è quo arma bellica, galeæ, clypei, thoraces, gladii confici ſolent. Ab eo latere, quo Ardennæ ſunt ſaltus prærupta montium juga ſurgunt, vallibus gratiſſimis jucundiſſimisque interſtincta quaſi Theſſala Tempe. Vallium laudatiſſima ea eſt, quam *Querimont*, vocant, arboribus longe lateque in quincuncem diſpoſitis conſita, ambulantium receſſus ordinarius. Cervos hinnuloſque magna alit frequentia, cuniculorumque incredibilem vim. Eam irrigat fons aquæ uberrimus & limpidiſſimus, qui arcem ipſam permeans urbem ingreditur, varieque per tubos ac canales ſubterraneos ſparſus non ſolum publicis in locis, plateis compitiſque aquas fundit, verùm etiam privatorum ædibus admiſſus, grato irriguoque humore cives recreat. Ante ipſam urbem ponte egregio ſtratus eſt Moſa, qui ex ipſis aquis exſurgens eam Galliæ annectit aut ab ea interſtinguit, quem transgreſſis apparent plani campi, qui à montibus Gallicis quaſi deſcendentes verſus Moſam exſpatiantur ; paſcua ſunt pecori gratiſſima.

Urbis deſcriptio.

Antequam bellis civilibus concuteretur Gallia ; minus celebris fuit hic locus, ſverùm cum territorii hujus Domini religioni Proteſtantium eſſent addictiſsimi, accidit, ut quotquot in ipſa Gallia, ob fidem quam perfitebantur, durius haberentur, huc tanquam ad aſylum ac refugii locum frequentes reciperent experti erga ſe ſummam Dominorum Sedanenſium humanitatem ac benevolentiam. Confluentibus itaque indies huc ejuſdem religionis ac doctrinę ſociis, etiam Orthodoxis concionatoribus hic loci degentibus, primum erectum fuit collegium aliquod, ſive ſchola trivialis erudiendæ juventuti, inde etiam Academia, quod locus iſte Muſarum crederetur eſſe domicilium aptiſſimum ac commodiſſimum. In ea non ſolum linguę Latina, Græca, Hebræa doceri cœptæ, ſed & artes ac diſciplinę graviores, Theologia, Iuriſprudentia, Philoſophia, vocatis ad earum profeſſionem undecunque viris doctiſſimis graviſſimiſque. Inter eos non poſtremum tenuere locum Daniel Tilenus, Theologiæ profeſſor Sileſius, editis libris clarus ; Deſiderius Heraldus Iuriſconſultus literarum gloria celebris, Græcæ hic linguæ profeſſor, poſtmodum in Pariſiorum curia Advocatus, Samuel Neranus vir inſigni variaque eruditione, qui Græcanicas itidem literas cum laude docuit ; Albertus Huttenus, pietate ac doctrina eximius, Hebraici ſermonis profeſſor, ac promotor ſedulus, poſtea in Batavorum inſula Hebraici ſermonis profeſſor ac promotor ſedulus, poſtea in Batavorum inſula verbi divini præco fideliſſimus. Nec ſilentio prætereundi Andreas Melvinus quem captivum à Britanniæ Rege precibus impetravit Dux Bullionenſis motus fama

Collegium & Academia.

Viri celebres.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [170] - -

nominis ejus; & Iacobus Capellus, qui concionatoris ibidem, & postquam Hebræam linguam ad tempus professus esset Theologiæ Professoris munere functus est.

Bibliotheca. Anno 1611 libertate ac munificentia ipsius Ducis Bullionensis, Bibliotheca erigi cœpta est, quæ hortatu ac studio D. Iustelli I. C. Secretarii Principis, magni literatorum fautoris, brevissimo empore omnis generis facultatumque variarum libris supra modum aucta fuit.

Cives. Cives humani, seduli, partim opifices, partim mercatores. Inter illos excellunt armamentarii, qui ex ferro armaturas omnis generis cudunt, loricas, thoraces, galeas, sclopeta eaque probatissima & per universam Galliam expetita. Nec desunt hic, qui lanam tractent, & in varias formas texant; nec minus arma tractare norunt ac si Veterani essent & bello assueti.

Alluit urbem Mosa, cujus ripæ usque adeo imminet, ut aquis suis molas in civitate propugnaculi cujusdam in Mosam prominentis exstructas circumagat. Duo in urbe templa sunt: unum vetus in quo per Cives Catholici & Reformati soli conciones habere solebant; alterum novum forma oblonga ac rotunda, quam ovalē vocant, in quo jam reformati soli concionantur, concesso Catholicis templo veteri, Suos novum habet illud peridromos, ut maximam auditorum frequentiam admittat, quorum omnium oculi in concionatorem dirigi possunt. Ædes fere omnes ex vivo lapide ac durissima petra constant, quæ ex vicinis montibus exscinditur. Tecta imbricatim assurgunt, plateę latę satis & patentes, ut urbs hæc tum civium modestia ac morum probitate, tum ædificiorum elegantia ac mercatu reliquis omnibus vicinis urbibus præcellat.

Et ne quid desit adversus bellicos insultus munitissima est, propugnaculis suis sibi invicem respondentibus validissima, quæ ipsa proximè ambit murus è lapide ad hos usus excisō, cujus copiam præbent montes vicini, imprimis fossæ castellum seu arcem cingentes, quæ ob lapides quotidie erutos in profunditatem tantam dehiscunt, ut abyssus desuper spectantibus appareant. Qua parte urbis lateri montes adjacent, immi- *Arx.*
net illi Castellum sive arx, quæ sensim ex humiliore loco, versus montium fastigia ascendit. Valida est, magna, patens, propugnaculis terribilis ac invicta & ea arte fabricata, ut vicina montium nocere obsessæ non queant. Fossæ itidem profundæ ac stupendæ altitudinis. Armis, tormentis bellicis, omnique apparatu Martio instructissima est. Sedem hic sibi ac domicilium delegit Princeps Sedanensis.

Dominium hoc fuit hæreditarium Domino- *Principes.*
rum *de la Marche*, quod tandem desiderata prole mascula, ad filiam *Charlottam de la Marche* devolutum, cessit Henrico Turonio Vice-Comiti *de Tureque* &c. primo Galliæ Mareschalco, qui dictam Charlottam matrimonio sibi junxerat. Atque hic pridem Princeps, Bulionii quoque Dux, mirum quam urbis hujus res auxerit, civibus incolisque dilectissimus, qui non tam rectorem se iis dominumque quam patrem præbuit, Heros comitate juxta ac gravitate venerabilis, maximæque apud Henricum IV Galliarum Regem authoritatis, pacis ac belli studiis clarus, doctorum quoque Mecænas ac Patronus. Nullius juri ac potestati subest, ipse in hoc territorio *αὐτοκράτωρ* ac monarcha. Magistratus politicos simul ac Ecclesiasticos unus ordinat, monetam cudit, supremæ potestatis officio.

Præfuit illi hactenus Elizabeta Nassovia, vidua Gulielmi Principis Auriaci, ex Charlotta Borbonia, filia Ducis Montpensierii filia, nupta Henrico Turonio, post defunctam Charlottam *de la Marche*. Filius illi est in vivis adhuc, Princeps Sedanensis ac Dux Bullionius, qui sub Illustrissimis Ordinibus Fœderatis Hollandiæ ac Auriaco Principe militans, equestribus turmis præfectus, patriis virtutibus se non minorem ostendit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [171] - -
PUBLIC DOMAIN

LOTHARINGIÆ DVCATVS PARS SEPTEMTRIONALIS.



Regio. Vnde dictu.

OTHARINGIA, ut quidem Latinè ſcribentes eam vocant, dicta ab *Lotario*, Ludovici Imperatoris Francorumque Regis vel filio, vel nepote. Ludovico ſanè Pio quatuor fuerunt filii, qui moto paricidiali in parentem bello, eoque apud Sueſſones in Monaſterium detruſo, omnes ejus Principatus inter ſe diviſerunt, conſtitutaque Tetrarchia, proceribus imperii intervenientibus res eò deducta eſt, ut *Lotarius* primogenitus Imperii titulo, cum Italia, Narbonenſi Gallia, iiſque ditionibus, quæ mox *Lotharingiæ* appellatione notuerunt, frueretur; Ludovicus Germaniam: Carolus, Franciam ab Moſa ad Oceanum: Pipinus denique vel ex eo filius cognominis, Aquitaniam poſſideret. Lotario filius fuit, præter Ludovicum in Imperio ſucceſſorem, *Lotarius* Lotharingiæ Rex. Quæ igitur initio *Lotar-rijck* vel *Lot-reich* Germanis, id eſt *Lotarij Regnum* Latinè, eaque depravatione terminatione poſtea *Lotharingia* cœpit audire: *Loraine* Incolis, reliquiſque Francis, quaſi *Lot-regne*, conciſis literis. Memoriæ produnt rerum Francicarum Scriptores, *Lotharingiæ* quondam ampliores fuiſſe limites, *Auſtriaſiamque* olim nuncupatam vel *Auſtriam*, *Ooſt-reich* (quum ex adverſo eſſet *VVeſtraſia* vel *VVeſtra*, *VVeſt-reich*: corruptè etiam *Neuſtria*, Occidentale Regnum) diviſam in Superiorem & Inferiorem, contentamque inter Rhenum, Scaldim, Moſamque flumina: Inferiorem hodie varia nomina obtinere, diverſiſque ſubeſſe Principibus: Superiorem quæ & *Moſellanica* & *Tullingia* cognominabatur, exceptis aliquot ejus portionibus, ſub unius nunc eſſe Imperio, & quotam totius partem antiquo nomine florere, adeò ut *Lotharingiæ* hodie conjaceant

Situs.

ad Orientem quidem Alſatia, & quæ ſpecialiore natione Weſtraſia: ab Meridie verò Burgundia: quà Occidens eſt, Campaniam habeat, quá Septemtrio Arduenna ſilva terminetur (occurrentibus mox Leuceburgiis, Trevirenſibus, aliiſque populis ibi conregionalibus) quæ olim etiam *Lotaringiæ* partes fuerunt nobiliſſimæ. *Lotharingia* hæc noſtra licet altiſſimis innexa montibus

Soli fertilitas.

ſilviſque denſiſſimis, externæ tamen opis non indiget, per ſe ferax frumenti & vini. Metalla generat varii generis, argentum, æs, ferrum, ſtannum, plumbum: nec gemmæ deſunt, quarum ad Vogeſi radices lucroſa eſt piſcatio. Reperiuntur & lapides quos ab cæruleo colore *Lazulos* nominant Incolæ, magnũ inde lucrum facientes. Eſt & materia, quâ Specula & Vitrinæ fabricantur: qualis in reliquis Europæ Provinciis non invenitur. A-

Animalium varietas.

nimalia producit varia; imprimis equos generoſiſſimos, Neapolitanis Turciciſque ſubinde non impares. Decorata fuit olim Lotharingia Regni titulo, uti patet ex

Imperium. Majorum.

Francicorum Scriptorum monimentis. Reges pauci admodum, & vix duo treſve, memorantur. Statim enim Carolus Calvus, poſt Fratruelis Lotarii exceſſum, ipſius Ditiones invaſit, ſuiſque adjecit Principatibus. Non multo poſt ad Ducatus dignitatem eſt redacta. Primi Duces ſparſi per Hiſtorias & variorum Scripta. Henrico quarto imperante Lotharingiam tenuit *Godefridus*, is qui poſtea, Ducatu Bilioneo vendito, memorabili in Terram ſanctam cum Balduino & Euſtathio fratribus expeditione victricia arma per Aſiam Syriamque in urbem Hieroſolymam intulit, ac Rex Hieroſolymæ creatus fuit. Huic Succeſſit *Balduinus*, *Balduino Euſtathius*. Poſtea tradidit Henricus quintus Cæſar Ducatum *Gulielmo* Comiti *Lovanienſi* à quo Lotharingici procreati principes *Theodoricus*, *Theobaldus*, *Fridericus*, & reliqui uſque ad Carolum ultimum, à quo devolutus eſt Ducatus ad Fridericum Comitem Vadimontium, authorem ſtirpis Ducum, qui nunc Lotharingiam tenent. Habitarunt olim Lotharingiam, quę nobis præ manibus, *Mediomatrices* & *Leuci*. *Mediomatrices* Cæſari lib. IV, Tacito, Plinio; Μεδιομάτριχες, Straboni & Ptolemæo: *Mediomatrici* etiam Cæſari lib. VII, quorum Metropolis *Divodurum*, hodie *Metz* appellatur. *Civitas Mediomatricum, hoc eſt Metis*; Notitiæ Provinciarum ſub Belgica I, *l'Eveſché de Metz*: *Le Pais Meſſin*. *Leuci* Cæſ. lib. I; Lucano lib. I. & Plinio *Liberos* cognominanti; Λευκοὶ Ptolemæo, qui Metropolim ipſorum facit Τύλλον. Sic in notitia Provinciarum ſub Belgica I *Civitas Leucorum, hoc eſt Tullum*, *l'Eveſché de Toul*: *Tullum* item Leucor. Novit Antonini Itinerarium.

Sunt etiam qui *Tulingos* Cæſaris ad Lotharingiam referunt. Metropolis *Lotharingiæ* eſt *Nanceium*, vulgò *Nancy*: oppidum non amplum, ſed ſitu pulchro commodoque, loco plano, forma quadrata, magnifico Lotharingicorum Ducum Palatio nobile. Adjacet illi ędes D. Georgii in qua monumentum viſebatur Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis, ab Helvetiis & Lotharingiis Nonis Ianuarii 1477 acie cæſi, cujus reliquias Caroli V Imperatoris, ipſius pronepotis juſſu, anno 1550 menſe Octobris inde Lutzenburgum ſolenniter tranſtulit Boiſotus, Ordinis aurei velleris Præco: Brugas hinc mox, Mariæ Hungariæ Reginæ mandato, tranſportatas. Sunt in eadem D. Georgii æde aliquot Lotharingicorum Ducum tumuli, qui inſcriptionibus carent, ut & in aliis templis; nam certum ſepulturæ locum non habent. Poſteriorum Ducum pars potior ad D. Franciſci ædem (quæ ad alterum palatii latus eſt) ſita eſt. Spectare ibi datur ſuperbum Renati, qui victoria potitus eſt contra Carolum Burgundiæ Ducem, monumentum. Conditi ibidem jacent Dux *Antonius*, ejuſque filius *Franciſcus*, Carolique Ducis uxor *Claudia Valeſia* Henrici II Galliarum regis filia. Nançei mœnia lambit *Murtha* qui tribus inde milliaribus paulo ſupra arcem *Candei* Moſellam intrat. Armamentarium habet Nancejum, machinis bellicis omnis generis inſtructum. Haud procul Nancejo locus viſitur, ubi obtruncatus Carolus Burgundus Audax ad rivulum quendam, quem cum, cæſis jam copiis, fugiens pararet tranſilire effuſo equo miſerrime fuit ab inſequentibus confoſſus. Hiſtoria hæc eſt. Anno 1477 ortum eſt bellum inter Carolum Audacem Burgundiæ Ducem & Helvetios, partim quod hi in Petri ab Hagenbach mortem conſenſiſſent; partim quod iiſdem Sigiſmundis Imperator uſus fuiſſet in recuperandis Alſatiæ & Suggojæ provinciis quas Carolus tenere nitebatur. Quum igitur, ſuſcepta expeditione, in Helvetios iter faceret per Lotharingiam, Nancejum oppugnavit, cepitque: inde per Superiorem Burgundiam in Sabaudiam venit, occupavitque ibi prope Granſem duas arces, Germanoſq; omnes præſidiarios (erant enim quingenti) ex arboribus ſuſpendi juſſit. Helveti repetentes ſuas res commiſſo prælio Burgundos vincunt, Carolumque caſtris pellunt: præda fuit trigeſies centum millium Coronatorum. Carolus reſtaurato exercitu inſtituit Murſam obſidere, oppidum ditionis Bernatium. Helvetii adjuncto ſibi Renato Lotharingiæ Duce, cui Nancejum ereptum fuerat à Burgundo, Carolum vincunt fugantque. Occubuerunt eo prælio ex Caroli exercitu ſeptendecim millia. Tertio igitur aleam belli tentaturus, Nancejum quod interea Renatus Lotharingiæ Dux oppugnaverat media hyeme obſedit.

Urbes & Oppida.

Hiſtoria mortis Caroli Audacis ad Nanceium caſi.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [173] - -

Sed Renatus civibus ſuis opem laturus cum Helvetiis, Gallis Germaniſque impetu in Carolum facto Burgundos pellit; fugientes partim occiſi, partim capti, partim aquis abſumpti ſunt. Nox prælium diremit. Ipſe Carolus cum fuga ſalutem quæreret lapſus equo, tribus vulneribus eſt cæſus non ſine gravi ſuſpicione proditionis ab Italo quodam Comite Campobaſſo inſtitutæ, qui dextrum cornu ſibi commiſſum deſerens defecit ad Rhenanum cum quadringentis Italis, ſeque Germanis junxit; quod facinus adeo Germanis diſplicuit, ut negaverint ſibi cum proditoribus militiæ jus eſſe poſſe. Cadaver Caroli nivibus tectum deſideratum aliquamdiu fuit. Sparſi etiam rumores varii, aliis eum captum abductumque ad Galliæ regem contendentibus : aliis fuga elapſum & in aliquo Germaniæ monaſterio latitantem. Inventus etiam Spiræ quidam Bruxellenſis qui vultu & reliquo corporis ſilo quia Carolum referret, Carolus eſſe vulgo dicebatur quantumvis ipſe reclamaret; nec ante finis fuit, quam ſolutis nivibus, Caroli Cadaver, morte, vulneribus, frigore immutatum, difficulterque agnitum, Nancejum delatũ fuit. Putant Petrus Diveus aliique *Nancejum* hodie eſſe, quod Νάσιον Ptol. *Naſium* Antonino in itinere, quod Durocortoro ducit Divodurum. Sed ſi quis penitus itineris iſtius rationem conſideret, facile deprehendet Antonini *Naſium* incidere non poſſe in locum illum, ubi hodie *Nancejum* : adeò ut *Naſium* illud ſit, non quod nunc *Nanceium* dicimus, ſed pagus XII inde milliaribus diſſitus, non procul ab Moſa in Barroducana Provincia, qui vulgò *Nas* dictus, unde *Naſienſis*, in lapide qui effoſſus,

FABRICIVS NASIENSIS CVRATORIBVS ET MINISTRIS IVVENTIDIO FIRMO ET ATEVLA SOLLIF HVIVS FANI FACIENDI.

Certe *Naſium* illud ampliſſimam aliquando urbem fuiſſe ſatis patet ex ruderibus. Prope Nancejum ad montium radices pagus eſt *Marichian-ville*, cujus incolas perfidia aliquando in ſuum Ducem (eum Hiſtoriæ *Fridericum* II appellant) notatas ferunt, atque ea de cauſa, quotieſcunque cum reliquis Principibus domeſticis epulari contingit, Panem eis inverſum apponi conſueviſſe. Exſtant ibidem rudera rotundæ turris, in qua Dux quem dixi, ex venatione ſubductus ad triennium detentus memoratur. Nancejum dignitate ſequitur *Fanum S. Nicolai*, vulgò *S. Nicolas*, duobus inde diſtans verſus Orientem milliaribus ad Murtam fluvium, loco plano & fertili. Hic locus advenarum frequentiâ in eam excrevit amplitudinem, ut jam non ad pagi alicujus, ſed totius Lotharingiæ cultiſſimæ urbis formam ſi muro clauderetur, accedere poſſet : ea eſt ædificiorum venuſtate, apta viarum diſpoſitione, incolarum multitudine, ut nihil venuſtius requiri queat : ſed ob Mercaturam præcipuè & omnis generis opificia commendatur; Mercatores habens perquam opulentos, vicinis ſuis ditiores. Alia minorum gentium oppida prætereo. Vno diſtat milliari Nancejo *Fruart*; tribus *Ormes*; paullo amplius *Bayon* & *Luneville* : quatuor, *Le Pont à Mouſon* & *Garbeviller*; quinque, *Charmes* : ſex *Chaſtenoy*, *Morhanges* & *Vaucouleur*; paullo plus, *Maxen ſoubs Breſſe*; ſeptem *Dompaire*, *Deneuvre*, *Hodon Chaſteau* : octo, *Ramberville*, *Raon*, *Bellemont*, *Neuf-Chaſteau*, *Mugiſtat*, *Marchain-ville*, novem *Eſpinal*, *Bruyeres*, *Darney*; Decem, *Ormont*, *VValderfing*, *Beaurains*; tredecim, *Vaigni* : quatuordecim, *l'Eſtraye*, Comitatus titulo & dignitate claret, quæ vernacule *Vaudemont*, quinque Nancejo milliaribus. *Chaligny* ad dextram Moſellæ, Leuca ſemi Nancejo. *Amance* ſeptẽ milliaribus ab Mediomatricum urbe verſus Meridiem : *Almantia* Latinè ſcribentibus, ſcriniũ olim & antiqua Lotharingiæ Cancellaria, teſtantibus Archivis ab Roſiro prolatis. *Richecourt* haud procul lacu, qui vulgò *la Garde Lac*, unde amnis profluit, qui inter fanum S. Nicolai & oppidum *Roſieres* Murtæ miſcetur. *Remiremont* ad ſiniſtram Moſellæ, Inſulam ibi facientis, in Lotharingiæ Meridionaliſſimis : *Rumaricum Caſtellum* habet hic Aimoinus Monachus; *Adromarici* corruptè legitur apud Reginonem, pro *ad Romarici*, diviſim; *Rimelsberg* Germanicè nominatur Spigelio ad Bartholini Auſtriad. Spectantur haud procul inde valles, quæ vulgò *l'Eſtraye* & *Vagny*. *La Mothe* ad amnem ſitum eſt, qui mox in Moſam ſe exonerat. Viſitur ibi Territorium, cui nomen *le Sanctoy*. Sunt & Comitatus quidam Jmperii Salmenſis, *Kirchinganus* & *Blancoburgius*. *Blanckenburg*, Gallis *Blanc-mont*, oppidũ eſt non magnum, ſed pulchrum & amœnum. Spectatur ibi caſtrum vetus, ſpacioſum & magnificum, cui Palatium novum Ducis, venuſta ſtructura inſigne, eſt conjunctum. Incolæ agriculturę dant operam. *Nomenii* Baronatus eſt ad dextram Sellæ fluvii, tribus milliaribus ab urbe Mediomatricum, Meridiem verſus. Dominia ſunt : *Marſal* ad Sellæ ſiniſtram, haud procul lacu Lindero, in quo Inſula cum oppido *Techemſul*. *Remereville*, tribus Nancejo milliaribus, S. *Bellemont*, totidem mota. *Rambert-ville* ad dextram Mortanæ, haud procul fonte, ubi ſylva Mortanenſis. *Roſieres*, ad Murtam, prope Fanum D. Nicolai; duobus Nancejo milliaribus. *Homburg* grandiore Leuca ab oppido *Sarbruck*, ad amnem, qui mox Saravo concurrit. *Mariemont* ab monte, cui oppidum impoſitum, uno ab Lindero lacu milliari, meridiem verſus. *Sandacourt* medio fere itinere inter Vaudimontem & Mottam in agro, qui vulgo *Sanctoy*. Mediomatricum urbem, quæ cum Tullo aliiſque Imperialis olim erat, in ſuam poteſtatem redegit Galliarum Monarcha, Henricus II. Quæ vulgò *Metz*, & poſterioris ævi Scriptoribus *Mete*, Gregorio autem Turonenſi & aliis *Vrbs Metenſis*; *Divodorum Mediomatricum*. Antiquis fuit appellatum. Jtineraria Tabula : *Divo Durimedio Metricorum*; Lege *Divoduro Mediomatricorum*, Simpliciter Διοδουρον Ptol. *Divodurum* Tacito lib. IV & Antonino. Sedes olim fuit Regni *Lotharingiæ*. Luitprandus : *Metenſem Vrbem quæ potentiſſima in Regno Lotarii claret*. De ea eleganter Divæus in Itinerario : *Metenſis urbs in ampla eſt planicie, quam Moſella in varios diviſus alveos irrigat, & pars quidem ejus muros ad lævam lambit, pars & eoſdem ſubit, ut civium uſibus inſerviat, atque ſic diviſim fluit ad inferiorem uſque eorum ambitum, ubi recepto Sella, altero flumine, qui dextram urbis partem adluit, in unum denuo alveum colligitur. Sed ſitu imprimis ipſius urbis delectabamur; quum enim agrum latè circumjacentem planum habeat, ejus tamen Area paullum prominet, ut in eo Veterum rationem in condendis urbibus agnoſcas. Ad ſummum ſiquidem Templum multis gradibus aſcenditur, juxta quod forum rerum venalium altiorem totius areæ partem occupat, & ab eo undique verſus muros paullatim deſcenditur, prærupto tantum in una parte clivo, ubi vias duas lapidibus ſtratas ſic diſpoſitas videas, ut altera per alterius domorum culmina excurrat.* Cives *Mediomatrices* nominantur in Inſcriptione, quæ extat Moguntiæ ad S. Albanum.

D. M.
PRIMVLÆ. COMITILLÆ
QVÆ. VIXIT. ANNIS. XX
CIVES. MEDIOMATRIC
A. MATERNIVS. NEMAVSVS
STRATOR. COS. ET
LVCIVS. LVCINVS. MENSOR
FRVMENTI. NVMER.

Quæ *Toul* vernaculè, Tullum olim; Τουλον, Leucorum Opid. Ptol. *Tullum* Antonino, *Tullium* Itinerariæ Tabulæ. Quæ denique *Verdun*; Latinis vocatur hodie *Virdunum* & *Verdunum* : *Verodunum* Antonino dicitur, *Civitas Verdonenſium* in Notitia Provinciarum : *l'Eveſché de Verdun*. Leguntur autem tres urbes, quas commemoravi, Comitatus etiam titulo & dignitate inſignes. Cum Lotharingia porro ſolet explicari *Territorium Barrenſe*, vulgò *le Barrois*, quod extendit ſe ad *Novum* uſque *Caſtellum* vulgo *Neuf-Chaſtel*. Metropolis illi *Bar le Duc*, ſic cognominata ad differentiam aliarum, quæ *Bar ſur Seine*, & *Bar ſur Aulbe*. Minorum gentium oppida ſunt *la Motte*, *Ligny*, *Arg*, & alia multa. Ad Moſam ſe offerunt *Commercy* & *Vaucouleur*, quę partim Frãcię, partim Barri,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [174] - -
PUBLIC DOMAIN

TERRITORIUM METENSE vulgo LE PAIS MESSIN.

MEDIOMATRICUM urbem quam nunc vulgo *Metz* vocamus, Antiquis Divodurum Mediomatricũ appellatum; olim Imperialem in ſuam poteſtatem redegit Galliarum Rex Henricus II. Præfidet urbis Senatui miſſus à Rege magiſtratus. Tribunal autem Mediomatricis urbis tres habet Epiſcopatus ſub Metropoli Trevirenſi *Metenſem, Tullenſem, Verdunenſem*, ſic à locis nuncupatos in quibus ſuæ ſingulis ſedes.

Olim Mediomatrices.

Metis civitas olim Galliæ Belgicæ, poſtea Germanici juris facta eſt, ut Celtes tertio Odarum libro ſcribit. Antoninus *Metenſes* vocat; Marcellinus lib. 16. Mediomatrices; Rudolphus Agricola in Epiſtolis Lotharingiæ clarum oppidum, ait, natura munitum. Strabo lib. 8. Plinius lib. 4. cap. 17. Cæſar eam Mediomatricam nominat, Galliæ urbem. Ptolomæus lib. 2. Dividurum vocat. Marlianus inter Belgas & Trevirenſes urbes eſſe voluit. Appellationis *Metz* varias varii cauſas excogitaverunt. Alii metropoliticam ſuam urbem Metenſem ſic dictam exiſtimant; quia medium occupat locum inter Tullum, Verdunum & Treviros; quorum tamen ſententia magis opinioni, quam firmæ rationi innititur. Alii vero eam, nomen & appellationem à Metio Romano conſequutam tradunt, qui illam à Julio Cæſare expugnatam, pomeriis extenſam & auctam, muris, foſſis, ac propugnaculis cinctam aſſerunt. Verum & hanc opinionem Ptolomæi Coſmographia evertet, qui de Mediomatricibus loquens, præcipiam ipſorum urbem Divodurum nuncupatam afferit, unde plane apparet, longo poſt Cæſarem tempore, compendioſum hoc Metis nomen exortum. Illud ſane ex variis variorum hiſtoriis conſtat, hanc appellationem Metis, toto illo tempore, quo Romani hæc loca tenuerunt, prorſus fuiſſe incognitam neque aliam, quam Mediomatricorum appellationem uſurpatam, quorum ibi latiſſima ditio fuit; quippe qui limitibus ſuis, quicquid Galliæ Auſtraſiæ fuit, comprehenderunt, cujus præcipua eo tempore urbs Metis eſt conſtituta. Cum enim Francici regni conſtitutio vel adminiſtratio in Auſtraſiam, Neuſtraſiam & Sueſſionis regnum divideretur, ipſaque Trevirorum Auguſta graviſſimis calamitatibus preſſa jaceret, à quibus longo poſt temporis intervallo ſe vix erigere potuit. Hinc factum, ut Auſtraſiæ Metis, quemadmodum Neuſtraſia Pariſiorum caput & metropolis conſtitueretur. A quocunque igitur nomen & appellationem & originem habeat; amplam tamen & opulentam, validoque ſitu & opere munitam, & unam ex præcipuis Belgicæ Galliæ urbibus eſſe, manifeſtum eſt. Moſella & Solna amnibus irrigatur, ædificiis elegantiſſimis tam privatorum civiũ, quam publicis reique Divinæ ſacris nitet. Cui tamen venuſtati plurimum per eam obſidionem deceſſit, qua Carolus Jmperator eam maximis copiis cinxit. Quo quidem tempore cives vicinas urbi ædes & frequentibus ædificiis ſtructa ſuburbia diruerunt, ne latibulo hoſti forent. Præclara itidem templa juxta urbis pomœria, ne defenſioni obeſſent, neceſſario dejecerunt, veluti D. Clementis & S. Arnoldi Abbatiam. Qua tempeſtate inſigne religionis pietatiſque exemplum Guiſius Dux, cui gubernatio urbis à Rege Francorum demandata erat, erga eorum cadavera edidit; nam ex S. Arnoldi templo, magna cum pompa, miroque apparatu, haud ſecus, quam ſi celebri magnatum conventu, exequiarum ſolemnia regiæ dignitati exhiberentur, aliud in templũ tranſtulit corpus Ludovici Pii, Caroli Magni filii, ejuſque uxoris Hildegardis, Reginæ; & Aleidæ Drogonis, qui Archiantiſtes Metenſium & naturalis jam dicti Caroli filius fuit; Vitronis Lotharingiæ Ducis, Amalardi Archiepiſcopi Trevirenſis & Caroli Magni Cancellarii. Hæc aliaque ſummorum hominum corpora in ædem ſacram Dominicanorum ſocietatidicatam, regio plane faſtu tranſlata fuere, quo ad obſidionem ſe urbs muniret, quã & ea fortitudine ſuſtinuit, ut rebus omnibus infectis, irrito vanoque conatu Carolus cæſar obſidionem ſolvere cogererur. Fertur etiam hyemis, cælique ſævitiam & contagioſam peſtis luem, quæ Caroli militem crudeliter invaſerat, plurimum ipſi detrimenti intuliſſe adeo quidem, ut in caſtris inventi ſint milites lignorum acervis onuſti, & baculis quibus ſuſtinuerãt greſſum innixi, alii arborũ truncis admoti, ſtupefactis rigore membris, Spirituque vitali ſuppreſſo mortui, viventibus perſimiles, durante ea corporis forma, qua inopinata ac ſubita mors quemque invaſerat. Neque porro hic brevitatis ſtudio eas calamitates referam, quas à Francis & Alemannis Metenſium Reſpublica pertulit; neque multorum Principum de ejus poſſeſſione quærelas; neque etiam quomodo Fridericus Imperator Metim unam ex quatuor Imperii urbibus conſtituerit & quamobrẽ nunc ex eo ordine ſit mota. Nihil nunc, etiam de ea emptione referam, qua ab Epiſcopo cives ingenti eam pecunia compararunt; nihil denique de ea obſidione commorabo, qua graviſſimis eſt labefactata incommodis á Lotharingia Duce, tempore Caroli VII. cujus præſidiis libertati tandem eſt reſtituta. Metenſibus porro fidei religioniſq; Chriſtianæ Apoſtolus fuit D. Clemens, non quidem Pontifex ille Romanus, Petri ſucceſſor, ut

Causa nominis.

Metropolis Auſtraſiæ.

Fluvii.

Varia Belli incommoda.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: GM 7 8111:2, [176]

volunt, ſed ipſius, ut multorum perhibent ſcripta, avunculus, qui à D. Petro ad ſalutarem Chriſti fidem docendam in Gallias miſſus, Lotharingiam omnem & Mediomatricum fines, ex hominum animis falſorum Deorum cultu amoto, pluribus fanis, ſacriſque unius veri ac vivi Dei delubris ornavit, primuſque Metenſium Epiſcopus fuit, apud quos, prima Oratorii fundamenta S. Stephano nuncupati, religioſis & felicibus auſpiciis poſuit, cujus etiam hoc tempore ſtructura concinna, cathedrali honore conſpicua apud Metenſes videtur, quæ ſola à funeſto Hunnorum incendio, peculiari divini Numinis gratia illæſa permanſit. Ab eo autem Epiſcopo ad Cardinalem uſque Guiſium, ſucceſſione numerantur Epiſcopi LXXXI.

Iovii Pagus.

Haud procul Metis, prope pagum *Iovii* in Moſella, antiqui æquæductus ſunt veſtigia de iis ſic Diuæus in Itinerario: Jn hoc Itinere pagus eſt *Iovii* dictus inter montium radices & Moſellam, ubi quantacunq; eſt, inter montes utroſque, qui ripas ambiunt, diſtantia, aquæductuum veſtigia antiquitus fuiſſe, indicant ejorundem, quæ ad huc exſtant reliquiæ. Arcuum ad huc reſtant multi ſuntque ex albo lapide, in laterum formam, diſſecto, & nonnulli quoque ejuſdem operis in adverſa ripa cernuntur. Jncolæ aſſerebant in eodem loco fontem hodieque eſſe, quamvis hos arcus (ſolita inſcitia) ponti inſerviiſſe putantes, & ab hoc pago in montis ipſius jugo minores alios arcus fuiſſe dicebant, qui verſus urbem Metenſem, quæ uno hinc diſtat miliari, excurriſſe viderentur. Altitudo juxta ripam pedum eſt circiter LX, unde conjici poteſt, quanto totius operis moles fuerit, quantaq; altitudo arcuum, qui in ipſo erant Fluminis alveo, quorũ hodie nihil ſupereſt. Repreſentabant iidem incolæ ſuperiorem arcuũ partem planam omnino eſſe, cæmento rubei coloris inductam, & in ejus medio domunculam non ita multis ab hinc annis adhuc fuiſſe, ab utraque parte patentem, quam nos partem tecti fuiſſe, quæ tubum tegeret, ſuſpicabamur. *Tullenſis* à Tullo, vernacule *Toul* nomen habet; *Virdunenſis*, à Virduno vulgo *Verdun*. Leguntur autem tres urbes, quas commemoravi Comitatus etiam titulo & dignitate inſignes.

Cum Lotharingia porro explicari ſolet territorium *Barrenſe* vulgo *Le Barrois* quod ſe extendit ad novum uſque Caſtellum *Neuf-chaſtel*. Metropolis illi *Bar le Duc*, ſic dicta ad diſcrimen aliarum, quæ *Bar ſur Seyne*, & *Bar ſur Aulbe*, Minorum gentium oppida ſunt, *la Motte*, *Ligny*, *Arq* aliaque. Ad Moſam ſe offerunt *Commercy* & *Vaucoleur*, quæ partim Franciæ, partim Barri. *Minora oppida.*

De Lotharingiæ Ducum ſtemmatibus rebuſq; geſtis, volumen ſatis magnum edidit Franciſcus Roſeus.

Quæ & alias juris civiliſque politiæ adminiſtrandæ ratio in hac urbe Metenſi obſervari ſolet, aliunde haberi poteſt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [177] - -
PUBLIC DOMAIN

LOTHARINGIÆ DUCATUS

Pars Meridionalis.

LOTHARINGIÆ Ducatum & Burgundiæ Otto, deficiente ex posteris nepotibusq; Caroli Magni stirpe masculâ, ex Saxoniæ Duce factus Romanorũ Imperator, traxit ad Imperium; quod & Otto secundus ita confirmavit, ut cum Carolo Lotharii Francorum Regis fratri Lotharingiam concessisset, magnam ejus partem Agrippinensium & Leodiensium Ecclesiæ attribuerit: Antwerpiam etiam Marchionatum Imperii esse jusserit; nam antea Lotharingiæ Brabantia universa adjuncta fuerat. Post *Carolum* fuere isti, *Otto* (cujus tempore Lotharingia seperata est ab Alsatia) *Gotfridus de Ardenna, Gotfridus II, Gotfridus III Gibbosus*, quo defuncto Henricus quartus Imperator Ducatum Lotharingiæ tradidit filio suo *Conrado*, qui tamen haud multo post restitutus est familiæ priori, cessitq; Gotfrido IV, qui Rex fuit Hyrosolymorum. Habuit igitur antea Lotharingia ditionem amplissimam, omnẽ scilicet tractum qui Rheno, Schaldi & Vogeso monte continetur, dividebaturq; in superiorem & inferiorem: Inferior habebat Brabantiam, Hasbaniam, Gelriam & Cliviam: Superior Episcopatũ Leodiensem, Lutzenburgum & Limburgum: Ducatum Mosellanum, Palatinatum Surensem, tractum Obrinacum, & regionem omnem quæ hodie singulari titulo Lotharingia appellatur. Stagna habet piscosa & lacus, inter quos memoratus ille, cuius ambitus est quatuordecim milliarium, in quo carpiones sunt insolitæ magnitudinis, trium videlicet pedum; saporis vero adeo grati, ut aliarum regionum carpiones suavitate multo superent: ex hujus lacus piscatione tertio quoque anno Dux Lotharingiæ sedecim percipit Francorum millia. Fluminibus irrigatur celeberrimis *Mosa, Mosella, Saravo, Voloia, Mortana, Murta, Sella, Hida* & aliis. De *Mosa* ad inferiorem Germaniam. Reliqui ad hunc Ducatum proprie pertinent: *Mosella* quidem & *Saravus* potiore parte, cæteri fere integri. Oritur *Mosellæ* in monte Vogeso, haud procul Araris fontibus, paulo supra vicum qui vulgo *Bussans*: lapsusq; a Vulturno ad Caurũ, perlustratis oppidis, qui vernacule *L'estraye, Remiremont, Espinal, Charmes, Bayon*, flexoq; ab Oriente in Occidentem cursu, recta petit *Tullum*, urbem Episcopalem, unde in Orientem resurgens, *Fruardum* usq; versus Aquilonem tendit, visisq; Mediomatricibus, Trevirensibus, aliisq; populis, ad *Confluentiam*, cui ab re nomen, Regno confluit. Germanis *Mosel*, Gallis *Mosselle*; ὁ Βέργγος putatur a Rhenano & aliis, Ptolomæo dici libro II cap. IX. Joannes tamen Heraldus ὁ Βέργγος apud Ptolomæum non fluvium esse notat, sed designari tractum eum ad Rhenum, qui nunc temporis *Ober-Rhingaw* appellatur: Clemens etiam Trelæus Mosellanus testatur, ut scribit Abrahamus Ortelius, quendam ad Mosellam tractum *Obrinei* nomen hactenus retinere. Mosellam singulari doctoque carmine celebrat Ausonius Eidyll. III, ab aquæ limpitudine, navigandiq; facilitate, villis atriisq;, quibus utraq; ripa decoratur. Piscibus *Capitione, Salari, Redone, Vmbra, Barbo, Salmone, Mustella, Perca, Tinca, Alburno, Alausa, Gobio* & *Siluro*, quibus abundat: fluminibus deniq; in ipsum decurrentibus, *Pronæa, Nemesa, Sura, Gelbi, Erubro, Lesura, Drahono, Salmona, Saravo, Alisontia. Mosellam* & Ararim, facta inter utrumque fossa, connectere Imperatore Domitio Nerone, adgressus est L. Vetus, ut copiæ ex Italia per mare, dein Rodano & Arare subvectæ per eã fossam, mox fluvio *Mosella* in Rhenum, exin in Oceanum decurrerent; sublatisq; itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis Septemtrionisq; littora fierent, uti scribit Cornelius Tacitus lib. XIII. De hoc Ausonius:

Te fontes vivi q; lacus, te cærula nosc ent
Flumina, te veteres pagorum gloria, Luci:
Te Druna, te sparsis incerta Druentia ripis,
Alpiniq; colent Fluvii, duplicemq; per urbem
Qui meat, & dextræ Rodanus dat nomina ripæ:
Te stagnis ego cæruleis, magnumq; sonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

Saravus, haud procul Salmensibus ortus, fluviorum omnium qui in *Mosellam* exeunt, est maximus, navigiorum patiens, & aliorum amnium, quos in se recipit clarus, lustratis urbibus oppidisq;, quæ vulgo *Sar-Burg, Fenestrange, Sar-Vberden, Sar-Alben, Gaemond, Sar-Pruck, Walderfing, Sar-Brug*, & aliis tandem sub mœnia Augustæ Trevirorum Mosellam convenit, non longe a *Kontherbruck*; meminit ejus Ausonius in Mosella. Nomen hodie retinet: *Sar* enim adcolis audit. *Sarra* etiam veteribus dictus, docente inscriptione quæ Treveros translata ex oppido ad eum fluvium sito, quod hoc tempore vacatur *Sar-Pruck*, hoc est *Sarræ-Pons*.

CÆS. RO. EXER. IMP. P. P.
S. C. AV. TREVE. INGR.
ESSVM. H. CASTRA. SARRÆ
FLV. PRO. MIL. CVSTODIM.
BIENN. POTITVS. EST.

Voloiæ fluvius est Margaritiferus, qui ad Vicum *Charmeni* Mosellam ingreditur, *Mortana* ad pagum cognominem Murtæ miscetur. *Murta* vel *Meurta*, multis in se receptis amnibus, Mosellam loco plano inter prata paulatim accedit & longo tractu, æquali quasi cursu, comitatur, relicta inter utrumq; ad alveum exigua admodum terra; donec tandem paullum supra Condeium arcem, quæ a dextris in rupe est pago sibi cognomini impendens, facto cum Mosellæ alveo, angulo acutissimo, ejus & aquis miscetur. Jungit se eidem ad Mediomatricum urbem *Sella*, initium quasi capiens ex Lindero lacu, qui sale dives & piscatura. Duplex deniq; *Nida* (Orientalior enim *Germanicus*; Occidentalior *Gallicus* dicitur) facto ad pagum Northenium concursu, duobus infra *Bossonis-Villam* (Abbatiæ nomen est) milliaribus in Saravum exoneratur. Est in valle Deodatensi fons, ad complures morbos sanandos naturæ beneficio efficax. Sunt & salinæ in quibus sal subtilissimum, gustu suavissimũ, ac Scytica nive candidius generatur, ex quibus quotannis Dux Lotharingiæ centum percipit millia Francorum. Altissimi hanc Provinciam ambiunt montes, qui omnis generis metallorum abundantia Pyrenæos longe superant: imprimis autem argenti fodinæ supra quam dici possit, fœcundæ sunt, ex qua quidem argenti ubertate haud parvus Ducatui fructus accedit. Gignit & Vogesus mons in valle Leberia argentum purum, sed non ita multum. Sylvas habet præterea Lotharingia frequentes easque densissimas, quarũ aliquot nomina lingua vernacula adponemus, quæ sunt *Warnedwaldt, de S. Benoit, Le bois de Mortaigne, Boseyne, Bois de Mondon, Le Ban-bois, Le Bois de la*

Ditio Lotharingiæ olim amplissima.

Lacus.

Flumina.

Metalli uberitas.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [179] - -

Opera publica.

de la Voyge, de Heyde, & aliæ. Inter opera publica, *Fanum S. Nicolai*, vulgo *S. Nicolas*, pagum duobus milliaribus Nanceio distantem ad Murtā fluvium, templum est non magnæ antiquitatis, sed vastæ molis editæq; structuræ, luminosum omnino. Columnæ, quę totum fastigium sustinent tantæ sunt, cum gracilitatis, tum altitudinis, ut tanto oneri ferendo vix pares judicentur. Turres habet duas, in quarum una Caroli Lotharingici Cardinalis, qui idem Metensis erat Episcopus, cuiq; hæc parebat Ecclesia sub Prioratus (ut loquuntur) titulo, in summo culmine symbolum: obeliscus scilicet cum hedera circumplicata & inscriptione, TE STANTE VIREBO. Adservari solet in hac Æde ex D. Nicolai Myræ Episcopi, quæ urbs erat Lyciæ, ex eadem Lycia, Patarā urbe, oriundi, manu articulus unus inclusus auro, gemmis multis interstincto: unde hujus primum loci nata Religio, qui advenarum frequentia in eam quā supra diximus, excrevit amplitudinem. Apud pagum *Waßerbillich*, ubi Sura fluvius Mosellæ confunditur, est alius *Igel* vulgo nuncupatus, ubi in loco eminenti spectatur nobilissimū illud venerandæ antiquitatis monumentum, quo nec cis Alpes insignius aliud axstare existimatur, quodq; ipsis Italis possit ostentari; moles est lapidea, ex quadrata basi pedum XXII sensim assurgens ad pedum circiter LXXV altitudinē, tota ab omni parte variis imaginibus semiplanis inscalpta, in fastigio aquilæ restat fragmentum, globo insidentis, cui expansæ alæ, & ante pectus velum fuisse apparet. Haud procul Nanceo locus est, ubi obtruncatus Carolus Burgundus ad rivulū quendam, quem, quum cæsis copiis fugiens, pararet transire, effuso equo, misere fuit ab insequentibus confossus; de cujus fatali exitu hoc restat carmen:

Hic finis Caroli fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit.

Cujus historiam plenius in priori tabula prosequuti sumus.

Templum est in urbe Metensi D. Stephano sacrum & alia, de quibus Divæus: *Templum D. Stephani nomen tenet, qui Civitatis est Patronus; pulcherrimum vero opus, si quod aliud toto hoc itinere videmus, & sua mole spectabile: quodq; raro accidit, omni ex parte consummatum. Dicebatur in eo fuisse Crucifixi ligneam imaginem, totam laminis aureis superinductam. Vidimus labrum Porphyreticum rubei coloris magnæ capacitatis, pedes X longitudine excedens, in quo Lustrales aquas adservant. Sunt & alia in hac eadem urbe sumptuosa templa, & multa erant in ejus suburbiis, inter quæ D. Arnolphi Basilica, Imperatoris Ludovici Pii Augusti, Caroli filii & filiarum aliquot Pipini Regis sepultura celebris. Omnia hæc absumpsit belli rabies, ita ut suburbii ne vestigium quidem nunc supersit, neque ultra muros quidquam præter campestria videas.* Haud procul Metis, prope pagum *Ivey*, in Mosella antiqui Aquæductus sunt vestigia. De iis sic Divæus in itinerario: *In hoc itinere pagus est* Jovy *vulgo dictus inter montium radices & Mosellam, ubi quantacumq; est inter montes utrosq;, qui ripas ambiunt, distantia, Aquæductum antiquitus fuisse, indicant ejusdē quæ adhuc exstant, reliquiæ. Arcuum adhuc restant multi, sunt q; ex albo lapide, in laterum formam dissecto: & nonnulli quoq; ejusdem operis in adversa ripa cernuntur. Incolæ adserebant in eodem loco fontem hodieq; esse, quamvis hos arcus (solita insciti a) ponti inserviisse putantes, & ab hoc pago in montis ipsius jugo minores alios arcus fuisse dicebant, qui versus urbem Metensem, quæ uno distat milliari, excurrisse viderentur. Altitudo juxta ripam pedum est LX; unde conjicere est, quanta totius operis moles fuerit, quantaq; altitudo arcuum, qui in ipso erant fluminis alveo, quorum hodie nihil supereſt. Referebant iidem incolæ, superiorem arcuum partem planam omnino esse, cæmento rubei coloris inductam, & in ejus medio domunculam non ita multis abhinc annis adhuc fuisse, ab utraque parte patentem, quam nos partem tecti fuisse, quæ Tubum tegeret, suspicabamur.* In vico *Scarpaigne*, qui in itinerariis *Scarpona* nominatur, multa antiquitatis rudera visuntur. De iis non possum, quin adscribam Petri Divæi verba ex ipsius itinerario: *Hic*, inquit, *paullo ulterius ad eandem Mosellæ ripam vicus est exiguus Scarpaigne, de cujus antiquitate multa incolæ referebant, opidum olim amplum fuisse a Sarpignia quadam Regina* (non absunt hæc a fabulis) *denominatum, quæ & in eo Regiam habuerit. Ostendant in ejus rei testimonium ruinas quasdam murorum, ubi Thermas quondam fuisse volebant: Nos quæ eorū figura fuisset, non volebamus conjicere, tantum subdubitabamus, num castrorum inserviissent munitioni, cum eorum magna sit erasitudo, & foramina in eis cernantur adhuc rotunda & angusta, quasi ad ejaculanda missilia. Hic & numismata antiqua erui; & hospes, ad quem diverteramus, nobis dedit æreū nummum C. Cæsaris Caligulæ, quem se ibidem reperisse adfirmabat. Exstat in pariete domus cujusdam rusticæ antiquum marmor, in quo Reginæ illius imaginem esse volunt. Est manu omnino artificę scalpta imago muliebris, longioribus indutа vestibus, equæ insidens, quam pullus videtur lactare, ipsa vero Calathum, aut simile quidpiam gestat, in quo pomorum figuram, sicubus haud absimilem videbamur dignoscere. Suspicari sane est ex hac scalptura locum hunc alicujus olim nominis fuisse: sed de hoc, ut & de aliis quamplurimis desiderantur historiæ; fabellarum vero inanium apud profanum vulgus nullum esse modum, nemini non explor atum existimamus.* Mediomatricum urbem, quæ olim Imperialis erat Henricum II, Galliarum Regem in suam potestatem redegisse, supra diximus. Præsidet urbis Senatui missus a Rege Magistratus. Tribunal autem Mediomatricis urbis tres habet Epicopatus sub metropoli Trevirensi: *Metensem, Tullensem, Virdunensem*, sic a locis nuncupatos, in quibus suæ singulis sedes.

Episcopatus tres.

De Lotharingiæ Ducum stemmatibus rebusq; gestis, volumen satis magnum edidit Franciscus Rosetus, qui cupienti est legendus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [180] - -
PUBLIC DOMAIN

CAMPANIA
Vulgo
CHAMPAGNE.

Regio unde dicta.

Situs.

Cæli temperies.

Soli fertilitas.



CAMPANIÆ, *Comte de Champaigne*, nomen, quemadmodum Italicæ, à camporum latitudine, longitudineque; est enim campestris admodũ & plana, sementique apta. Circundant eam undique Brienſium, Burgundiorum, Carleſiorum & Lotharingorum ditiones atque territoria. Cœlum ibi ſerenum, aër temperatus. Agri paſſim frumento, vino, omnique pecorum genere abundant: nec deſunt ſilvæ, opimas quæ præbent venationes, jucundaque aucupia. Sedes hic olim habuerunt ſuas Tricaſſes, Lingones, Remi, Catalauni, Meldæ, Senones, & forte alii, quorum memoria jam obliterata. *Tricaſſes* nominantur in melioris notæ Plinij libris, qui Τρικάσιοι Ptolemæo, *Tricaſſini* Ammiano, Panegyricis quibuſdam & Antiquo lapidi; *Trecæ* Herico in vita S. Germani, *Treſſes*, vulgo Eccleſiaſtico per compendium: *Civitas Trecaſſium* in Notitia Lugdunenſi IV. Hodie ubi *Trois en Champaigne*. *Lingones* Cæſ. Plinio, aliiſque ſunt qui Λίγγονες Ptolemæo: *Fœderatos* idem Plinius indigetat: *Civitatem Lingonum* habet Notitia Provinciarũ in Lugdunenſi I: Hodie *la Duché*, *Pairie* & *Eveſché de Langres*. *Remi* apud Cæſarem & Plinium, qui Ῥῆμοι apud Ptolemæum & Strabonem. *Fœderatos* Plinius nominat: *Civitas Remorum* Notitiæ Provinciarum in Lugdunenſi II; *Duché*, *Pairie & Archeveſché de Reims*, *Remorum* fines Romanorum tempore latiſſimi fuere: Sequanis, Mediomatricibus, Treviris, Veromanduis, Sueſſionibus conregionales. *Catalaunos* præeuntibus membranis, ſcribendos monent viri docti, qui in vulgatis Ammiani Marcellini libris *Cathelauni*. Sic etiam nominantur in exaratis calamo codicibus Eutropii. *Catalaunorum Civitas*, Notitiæ Provinciarum Gallię in Lugdunenſi II, *l'Eveſché de Chalon*. Ad hos *Catalauni* pertinent *campi*, in quibus prælio magno ſuperatus ab Romanis, Gothis & Francis, ducibus Aëtio Patricio, Theodorico & Merovæo, Hunnorũ rex Attila, Anno ab urbe cõdita CIↃ CCIII Imper. Cæſare Fl. Marciano P.F. Auguſto & Clodio Adelphio urbis conditæ RomæCoſſ. ab Chriſto nato CCCCI, cæſis utrimque CLXII millibus, exceptis XC millibus Gepidarum & Francorum, qui paullo ante occubuerant, ut infra mox dicemus. Delineat hos campos, locumque pugnæ Iornandes, cap. XXXVI: *Convenitur itaque in campos Catalaunicos, qui & Mauricij nominantur, Cleugas ut Galli vocant, in longum tenentes & LXX in latum.* Et cap. 38. *Erat autem poſitio loci declivi tumore in modum colli exceſſens.* Et in fine capitis: *Fit ergo de loci oportunitate certamen. Attila ſuos dirigit, qui cacumen montis invaderent, ſed à Chorisſmundo & Aëtio præventus eſt, qui electi collis excelſa, ut conſcenderunt, ſuperiores effecti ſunt, venienteſque Hunnos, montis beneficio facile turbavere.* Hos vero Campos Gregorius Turonenſis *Mauriacum campum* vocat hiſtor. lib. 2. cap. 7. Verba ejus ſunt: *Itaque liberata obtentu beati Antiſtitis civitate, Attilam fugant, qui Mauriacum campum adiens ſe præcingit ad bellum.* Sunt qui ſic dictos volunt à Catalaco, quod in montanis Arverniæ ſitum, ſed huic ſententiæ repugnat ipſa Attilæ expeditio. Eum quidem Pannoniis egreſſum in Belgicam primum per Germaniam veniſſe, certo certius eſt. Fuerunt igitur in Belgica Campi Catalaunici, ſic dicti à *Catalauno* urbe, quæ *Chaalon* hodie. Sidonius Apollinaris carmine octavo,

Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos ſe, Belga, tuos.

Meldæ Cęſari & Plinio, qui eos *Liberos* cognominat, noti: Μέλδοι, Straboni: Μίλδαι, Ptolemæo: *Meldi* Antiquo Lapidi. *Meldos* Strabo imprudenter cum Lexoviis παροικεανίτας facit, qui ſunt in ipſo meditullio: ubi nunc ad Matronam amnem *Meaulx* oppidum. *Senones* Cæſari, Plinio & aliis celebrati: Σένονες Ptolemæo, qui eos in Gallia Lugdunenſi deſcribit. *Civitas Senonum* Notitiæ Provinciarum Galliæ in Lugdunenſi IV. Alii videntur *Senones* Straboni Nerviis vicini, verſus Occaſum. Prioribus adſcribendæ videntur horrendæ in Italiam incurſiones. Atrociſſimum ſanè Romanis bellum moverunt anno urbis conditæ CCCLXIV *Galli Senones*, quod ab iis *bellum Senonicum Gallicum* dicebatur. Dux erat Brennus, Gallorum regulus. Poſt pugnam Allienſem urbem ingreſſi, cæſis obviis, omnibuſque incendio fœde vaſtatis, Capitolium, in quod Romana juventus confugerat, obſederunt multos menſes: tandemque facta cum obſeſſis pace, aurique quantitatem ſtipulati, contra fidem ab M. Furio Camillo dictatore, urbem cum copiis collectis ingreſſo, partim obtruncati ſunt, partim in fugam acti. Quæ omnia ſuis coloribus plenè delineant Livius lib. V, Florus lib. I cap. XIII, & multialii Scriptores. Comitatus titulo Campania inſignita eſt, quo tanquam hæreditario præfuit Eudo Nepos Gerlonis Normanni ex Theobaldo filio: Gerlo Rodulphum ſive Rollonem Normannum (cui rex Carolus cognomento Simplex Neuſtriam quæ poſtea Normannia dicta eſt, conceſſit) in Galliam comitatus erat, regionemque Blæſianam obtinuerat. *Eudoni* in rejecta linea ſucceſſere Stephanus. Theobaldus II: cujus filium *Theobaldum* III ſine liberis defunctum ſequutus eſt patruelis Henricus Largus cognomine, filius Stephani Angliæ regis, qui Theobaldi II erat frater. *Henricus* filium habuit cognominem, Campaniæ & reliquarum ditionum comitem. Eo ſine prole mortuo, comitatum invaſit frater Theobaldus, qui ſe comitem Palatinum Campaniæ ſcripſit, rex Navarrę morte avi materni factus, comitatũ in domum regiam intulit, ſucceſſorem, ut fertur, nactus tam in comitatu Campaniæ, quam in Navarræ regno Henricum, cujus filia Ioanna Philippo Pulcro Francorum regi nupta, Campaniam reliquaſq; provincias coronæ univit: Philippo nati ſunt Ludovicus Hutinus, Philippus Longus & Carolus Bellus, qui omnes ſucceſſive in Gallia regnarunt. Ludovicus unicã filiam reliquit, quę patri quidem in regnum Navarræ ſucceſſit, non autẽ in Comitatus Campanię & Bryæ, qui Coronæ dicebantur annexi; quemadmodum poſtea anno 1361 Ioannes Rex indiſſolubiliter univit. Dividitur Campania omnis in Superiorem & Inferiorẽ. Inferiori adcenſentur Tricaſſium, ditioneſque, quæ vulgò *Ivigny*, *Baſſigny*, *Vallage*. Tricaſſium nominatur ab ævi poſterioris ſcriptoribus, quę hodie *Trois*, urbs ad Sequanam. Nobiliſſimus vir Joſephus Scaliger ſuis ad Merulam literis monet veteribus *Auguſtobanam*, *Trecaſſium* appellatam. In Itineraria Tabula Peutingeriana ſcribitur *Aug. Bona*. Qui *Campaniæ* quondam erant, ab hac urbe ſæpe ſe *Trecarum* dicebant *Comites*. Inter majores & ampliores hujus regni civitates recenſetur. Ejus poli latitudo eſt XLVII graduum aliquotque minutorum, noſtrum Polum Arcticum verſus. Epiſcopalis nunc ſedes, cujus præſules habet Belloforeſtius XXCIII. In eorum fuit numero *Lupus* ille conclamatiſſimus, quem ab ſuis virtutibus laudat paſſim Sidonius

Imperium Majorum.

Vrbes.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [182] - -

Apollinaris lib. VI, Epist. I. IV, & IX, atque aliis locis. Videndi & Paullus Diaconus in Marciano, Beda lib. I. Histor. cap. XVII, & alii. Vrbis hujus jurisdictio latè patet. Estque sedes præsidis, consiliariorum, judicum, aliorumque ministrorum regiorum. Huc referuntur præter sedem hujus urbis, Tutela Fori Brienſis & Campani, Sedes locorum quæ vulgò *Bar Sur Seine*, *Mussi l'Evesque*, *La Ferté Sur Aube*, *Nogent*, *Pont Sur Seine*, *Fruille*, *Chastel*, & *S. Florentin*, oppidorum Campaniæ. Vrbs ad Sequanam (qui chartariis hic magno est usui & commodo) in plano sita est, fertilis, mercaturæque dedita, arce potens. *Ivigny* comitatus Campaniam separat à Burgundia. Oppidum primarium *Ivigny*, jurisdictionem agnoscens Baillivatus Trecensis. *Bassigny* sic nominatur, quod potiorem constituat Inferioris Campaniæ partem. Cincta fluminibus Matrona & Mosa exiguaque Mosellæ portione, aquis magis irrigatur, quam hujus ditionis reliqua. Metropolim habet, cui ab *Calvo Monte* nomen, *Chaumont en Bassigny* vulgò, Baillivatus titulo claram: arce antiqua quæ in rupe sita beneque munita, superbientem: Turris ad Occidentem vernaculè *Donoyn* & *La haulte fueille*. Arx hæc quondam sedes fuit palatiumque comitum Campaniæ. nullus eam fluvius adluit, neque aqua ei suppetit, præter eam quam cisternæ præbent, & fons qui ad pedem turris est. Cives negotiantur panno linoque, textoresque pannorum primum inter mercatores locum obtinent, qui hic opulenti prædivitesque sunt. Arcis territorium fertile est admodum; agricolarum autem labor & industria id multò fructuosius reddunt. Tribui solent illi (præter *Andomatunum Lingonum*, vulgò *Langres*, de quo postea) *Montigny*, *Coeffy*, *Nogent le Roy*, *Monteclar*, *Andelot*, *Bisnay*, *Choiseul*, *Vismorry*, *Clesmont*; omnia oppida non invalida, pleraque arcibus firmata. Vallense Territorium, *Vallage* vulgò, nomen gerere creditur ab Vallibus, quas habet pulcras admodum & fertiles: Partensibus hinc contiguum, inde Barrensibus. Oppidum primarium Vassejum, *Vassy*, ad Bloisam, ditionis Guisiæ. Profectus eò Franciscus, dux Guisius, anno cIↃ IↃ LXII Vasseianam illam stragem, ab Gallicis Historiographis nobilitatam, in eos, qui reformatam profitebantur religionem, edidit Calendis Martiis, multis concisis. Haud procul inde genus terræ invenitur, ex qua fit *Bolus Armenius*. *Fanum S. Desiderij*, *S. desier*, quod expugnatum ab Carolo V Imperatore, ac mox pace facta, Gallis fuit restitutum; arcem habet Iani-villam, *Ian-ville*, quod ab *Iano* fabulantur dictum; familiæ Guisiæ Apanagium, ut vocant. Visitur ibi tumulus Glaudii Ducis Guisiæ, superba stupendaque structura; *Baronia* quondam cognominata *la Fontaine de blanche Roche*, instituta ab *Eustathio* comite Bononio & Bilionæo; cui tres fuerunt filii; *Gotefredus Bilionæus*, post avunculi sui Gotefredi Strumosi excessum; Dux Lotharingiæ, primusque ex Christianis rex Hierosolymorum; *Balduinus*, Remorum & Cameraci præsul; *Gulielmus*, Ianivillæ Baro, de cujus filii *Gothefredi* successoribus & posteris nihil invenio. Principatus titulo clarere cœpit tempore Henrici II. Ab eo dependent Baronatus, qui vulgò *Sailly*, aliæque arces & pagi. Sunt & in Vallensi ditione *Montirandelium*, Abbatia insigne; *Dontlerant*, *le Chasteau aux forges*, *Esclaron*, & alia. *Arsy* ad Albam fluvium Burgum est; Antonino *Artiaca*, ubi legio XII ab ipso ponitur. *Campania Superior*, quæ vere territorium Partense, *le Pays de Pertois*. Nomen illi à Burgo, qui vulgo *Perte* ad Matronam. Nobilior olim fuit, quam nunc est arx ista. Regio est fertilissima, abundans frugibus, lignis, cannabi. Metropolis illi *Vitriacum*, *Vitry*, ad saltum Matronamque concurrentes; quod ab legione Romana Victrice putatur nuncupatum. Sedes hic Baillivi, cujus jurisdictio ad XXXV & amplius milliaria in quadratum sese extendit. Continentur sub eo *Argilliers*, *Lasaincourt*, *Louvement*, & alia oppida. Principatus sui juris Campaniæ adjacentes sunt: Ducatus Renensis & Lingonensis, Comitatus vero Catalaunensis Lingonensis & Moltensis. Ducatus Remensis metropolis est *Reims*, Durocortorum Ptolemæi. Lingonensis Ducatus urbem habet *Langres*, Ardomaturam Ptolemæo. Vrbs Episcopalis est, cujus Antistites duces sunt & Pares Franciæ. Inter vetustatis monimenta, quæ illic visuntur, non postremi est loci triumphalis arcus, in ipsis mœnibus excitatus, Germanici exercitus cæsi haud dubie Trophæum: qui quum pugnandi copiam Cæsari Constantino pene puero feciſſet, pro ipsis mœnibus, & spectante Lingonum urbe, obtritus est; sexaginta hominum millibus eo prælio desideratis. Ejus pugnæ pluribus locis exstant etiamnum testimonia, leonum, equorum, virorumque statuæ, via regia, quæ ad Senonas pertinet. Comitatui Catalaunensi (*Evesché*, *Comté* & *Pairie de Chalon*) nomen impositum ab urbe Catalauno. Cathelaunon posterioris ævi scriptores vocant, quæ *Chaalon* hodie, cognomine *en Champaigne*. Episcopalis civitas, cujus præsul Comes est & Par Franciæ. Vrbs ad Matronam plani situs, excelsis decorata turribus, Pyramidum instar exsurgentibus, frumento, pannisque linteis mercaturam exercens. *Lingonensis Comitatus* (*Comté de Ligny*) oppidum est *Lignium*, insignis vetustatis, ad saltum fluvium. Abbatia hic in vertice montis ad latus oppidi Orientale cum fonte admirandæ pulcritudinis. De Mottensi (*Comté de la Motte*) præter nomen, nihil adhuc habeo. Cum Campania solet explicari *Brienſium* (*Brionenſes* appellantur Nithardo lib. I. de Diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii) tractus, Heurepensibus contiguus, *la Brye*, antiquus Comitatus. Initium illi ad *Cretelium* pagum, haud procul ponte Charantonio, ubi Matrona Sequanæ commiscetur: quorum ille Campanos fere, hic Gastinenses à Brienſibus separat: nam quidquid ferme inter duo hæc flumina est, ad Burgundiæ usque ducatum, Brienſibus adscribi solet. Manet nomen in oppido, quod vulgò *Brye*, vel *Bray Comté Robert*, sic dictum à comite Roberto, Brienſium quondam Principe, cui erat domicilium. Ager Brienſis quamvis quondam & adhuc silvis sit obsitus, id tamen nihil ejus fertilitati detrahit, cujus palmam invitus Campaniæ cedere velit. Cælo enim lætatur sereno, aëre dulci, temperatoque. Fluminibus irrigatur magnis, sanis, fertilibus, *Brienſium* urbes *Castellum Theodorici*, *Iatinum*, *Medorum* vel *Meldarum*, *Provinſium*, & aliæ. Castellum Theodorici, vulgò *Chasteau Thierry* oppidum metropolis est regionis Brienſis, Baillivatus præsidialique sede ornatum. *Iatinum*, Ἰάτινον Meldarum urbs ad Matronam fluvium, Ptolemæo nota: *Meldarum* civitas Notitiæ Provinciarum hodie *Meaulx*. Ab aquis nomen accepit, longeque pulcrum habet prospectum. Præfectura est, vicecomitatus, sedesque ballivatus de *Nogent*. Forum ibi, instar arcis, Matronæ cinctum alveo. Pars una *Brienſium* est, altera Valesiorum: Episcopatus item, cujus præsules apud Belleforestium CI, ultimus *Ludovicus Bresius*. *Provinſium*, *Provins*, oppidum ab rosis rubris suave-olentibus, conditis & dulciariis, quæ ex iis æstivis mensibus fiunt, celebre.

Principatus Campaniæ adjacentes.

Catalaunenſis Comitat.

Nottenſis Comitat.

Agri Brienſis indolet.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [183] - -
PUBLIC DOMAIN

DVCATVS
RHEMENSIS
Vulgò
DVCHE PAIRIE
& Archiveſché de
RHEIMS.



IN Campania ſedes olim ſuas habuerunt Tricaſſii, Lingones, Rhemi, Catalauni, Meldę, Senones. Hodie Tricaſſiorum civitas eſt *Troyes en Champagne*, vulgo *Trocas* vocant: Lingonum eſt *Langres*. Remorum *Reims*. Catalaunorum *Chaalons*. Meldarum *Meaux*: Senonum *Sens*.

Remi veteres populi.

Ducatus ad Campaniam pertinentes, attamen ſui juris, ſunt *Remenſis* & *Lingonenſis*. Remenſis à Remis nomen habet. Remi apud Cæſarem & Plinium noti, qui Ῥῆμοι apud Ptolemæum & Strabonem. Fęderatos Plinius nominat. Remorum fines Romanorum tempore latiſſimi fuerunt, Sequanis, Mediomatricibus, Treviris, Veromanduis, Sueſſionibus conregionales. Cæſare Gallias adminiſtrante, poſt Heduos, ſecundum dignitatis locum obtinebant. Nominant ipſorum Senatum idem Cæſar & civitatis Principem atque Præfectum *Vertiſcum*, de quo in Ephemeridibus belli Gallici multa. Cæſare ad Belgarum fines adventante, *Remi qui proximi Galliæ ex Belgis ſunt ad eum Legatos Iccium & Antebrogium primos civitatis ſuæ miſerunt, qui dicerent, ſe ſuaque omnia in fidem atque poteſtatem populi Romani permittere, neque ſe cum reliquis Belgis conſenſiſſe, neque contra P. R. omnino conjuraſſe, paratoſque eſſe & obſides dare & imperata facere, & oppido recipere, & frumento ceteriſque rebus juvare* &c.

Cæſar in comment. lib. 2. de bello Gall.

Remorum urbs.

Ducatui Remenſi (*Duché, Pairie, & Archeveſché de Reims*) nomen ab urbe, quæ Veteribus Durocortorum, uti in melioribus Antonini codicibus & itineraria Peutingeri tabula dicitur, hodie *Reims*. Δυροκόρτορον Ptolemæo, δυελκόθεκα Straboni; Durocortorum Rhemorum Cæſari. Antoninus illi legionem adſcribit XVIII. Vrbs eſt incluſa & ut ita dicam) incorporata Campaniæ, ſui tamen juris; unde in antiquis chartis quaſi cognominatur *Reims lez Champagne*, Archiepiſcopum habet, qui Dux, Primuſque Par Franciæ. Civitas ampliſſima eſt, muris candidiſſimis cincta, turribus prædtis eminens, ædificiis magnificis intus conſpicua. Templum Cathedrale B. Virgini dicatum unum eſt ex magnificentiſſimis totius Galliæ. Imprimis artificioſiſſima ſculptura elaboratum eſt porta exterius in turris uſque ſummitatem. In hoc S. Nicolaus XI. Epiſcopus Rhemenſis ſororque ejus Eutropia ab Hunnis cum pluribus aliis Chriſti nomen profeſſis, trucidati fuere. In altero S. Remigii, olim D. Petro dicato ſacra ampulla, & oleum cæleſte, quo Reges Francorum inungi à multis ſeculis ſolent, aſſervatur, comiterque iis, qui videre deſiderant, monſtratur. Viſuntur ibi Regum & Dynaſtarum quorundam epitaphia, nec non duodecim Pares Franciæ habitu ſolenni, & quales comparere ſolent in Solemnibus inaugurationis, omnes ex marmore ſculpti. Erectum fuit hoc templum à Clotilde uxore Clodovæi in memoriam rei, quę marito ſuo, tum ſponſo contigerat, cum primus omnium Galliæ Regum Chriſto nomen daret, & luſtralibus undis ablutus, oleo cœlitus miſſo à S. Remigio XVI præſule Rhemenſi inungeretur. In Diœceſi ſua Abbatias numerat plurimas, *S. Remigii* Archimonaſterium, *S. Remy*, *S. Nicaſii*, *S. Baſoli* de *Meſſonio*. *S. Dionyſii* in urbe *S. Denis*, *de Altovillari*, *de Calvomonte in Porceano*; *Igniacum*, *Sparnacum*, *Elenium*, *Vallis Regis*, *Signiacum de Caherio*, *ſeptem fontium*, *Bellævallis*, *S. Theodorici*, *Thierry*, vallis Dei, Orbaci, *S. Petri ſeminarum* in urbe S. Pierre de Reims. In urbe primaria præter Baſilicam, Cathedram, ſunt Conventus Franciſcanorum, Auguſtinenſium, Carmelitarum, Minimorum, Capucinorum, Collegium Patrum S. I. Capitulum S. Symphoriani & Eccleſiæ Parochiales. Academiam inſuper hic inſtituit Carolus Lotharingus Cardinalis anno 1549. Præſules numerat Belleforeſtus lxxx, quorum ultimus Carolus Cardinalis Lotharingiæ: Claudius Robertus qui Galliam ſacram odidit, numerat Archiepiſcopos 88 quorum ultimus Petrus *Erizon*, doctor Pariſienſis & Pœnitentiarius Canonicus Rhemenſis. Portæ nominant adhuc retinent veterum Deorum, Martis & Bacchi, nec non Cereris & Veneris. Haud procul urbe locus eſt qui vulgo *Le Fort de Cæſar*. Archiepiſcopo Remenſi ſubſunt in hoc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [184] - -
PUBLIC DOMAIN





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [165] -

tractu: Suessionensis *Soissons*, Catalaunensis *Chaalons* Comes & Par Franciæ. Ambianensis *Amiens*: Noviodunensis *Noyon*; Sylvanectensis, *Senlis*; Bellovacensis *Beauvois*; Laudunensis *Laon* & in aliis Belgii partibus, Cameracensis, Tornacensis, Morinensis cujus sedes Teroana Morinorum Bononiam est translata, ubi est navale votus *Cessoriacus* dictum, & Atrebatensis *Atrecht*.

Flumina. Fluvius ostendat Tabula Matronam Azonam & Vesulam. Matrona vulgo *Marne*, ingens flumen, neque ipso minus Sequana cum quo Celtas à Belgis dividebat ut Cæsar Ausonius & Ammianus tradunt. Nascitur in Vogeso monte, paulo supra Lingonum urbem *Langres*, versus Eurenetum. Visis vero post Lingones multis urbibus oppidisque quorum præcipua Iani-villa, S. Desiderii Fanum, Catalaunum, Hahyum, Dormantium, Arx Theodorici, Moldeque, acceptis idem in sinum suum aliquot minorum gentium amnibus, qui vulgo *Sault*, *Bloise*, *Ourq*, & *Tresme*, Sequanæ convolvitur, leuca supra Parisios ad Pontem Charentonium. Axona Cæsari fluvius Galliæ Belgicæ in extremis Rhemorum finibus, vulgo *Ayne*, *Aaisne*, vel *Esne*. Fons ejus hodie apud Barrenses, supra Clarum-montem *Clermont*, ad pagum *Sovilii*. *Vesla* Gallis *Vesle* oritur ex Catalaunis & ab Oriente Occidentem petens varioque pagos intermeans, tandem ipsam Rhemorum urbem præterlabitur, usque dum se in Azonam exoneret. Meminit Rhemensium Plinius lib 4. cap. 17. Hinc profectum pretiosissimum telæ genus, quod Rhemense vocant, communicata aliis quoque Galliæ populis textrinæ gloria.

Concilia varia Rhemis celebrata. Varia hic habita concilia. Primum sub Remigio anno 514, in quo inter alia hoc accidisse memoratur, ut cum Arrianus quidam Episcopus acerrimus disputator dialecticis suis conclusionibus Catholicis omnibus insultaret, nimiaque inflatus arrogantia advenienti ad locum Synodi S. Remigio assurgere cum aliis dedignatus esset, transeunte ad illum S. Præsule, sola ipsius umbra mutus prorsus redditus fuerit, nec ultra valuerit aliquid eloqui, nisi postquam ad Sancti pedes procidens nutibus veniam petiit, & ab jussus doctrinam Ecclesiæ confiteri protinus fidem Catholicam professus est. Narrat hæc Hincmarus in ejusdem Sancti rebus gestis. Habitum aliud sub Carolo Magno pro disciplina Ecclesiastica anno Christi 1313, Sub Fulcone Archiepiscopo pro confirmatione regni Caroli Simplicis anno 1392. Sub Artaldo adversus invasores rerum Ecclesiasticarum. Habita etiam Pseudosynodus sub Hugone Rege, contra Arnulphum Archiepiscopum Rhemensem anno 1492, cujus acta rescinduntur à Ioanne P. M. & in alia postea ibidem habita Synodo sub Legato Sedis Apostolicæ anno 1495. Sub Leone 9 Pontifice celebrata ibidem Synodus anno 1049, in qua Canones sanciti de Simoniaca hæresi, de ministeriis Ecclesiasticis & Altaribi quæ à Laicis tenebantur, deque pravis consuetudinibus, quæ ab eis in atriis Ecclesiarum exigebantur; de incestis aliisque illicitis conjugiis, de Monachis & Clericis apostatis & mundanam militiam exercentibus; de rapinis & pauperum injustis captionibus; de Sodomitico vitio, ac de quibusdam hæresibus quæ in iis partibus pullulaverant. Hæc omnia anathemate damnata sunt, multique tam Episcopi quam Comites aliique iis vitiis infecti pari damnationis sententia perculsi. Sub Conone Legato sedis Apostolicę contra investituras Laicorum anno 1114. Sub Callisto 11, pro pace Ecclesiæ, in qua Synodo (ut habet Rogerius in animalibus Anglicanis) numeratæ sunt personarum pastoralium virgę quadringentę viginti quatuor, assidente quoque Rege Francorum Ludovico. Henricus autem Imperator non quidem adfuit, ut promiserat: vicinum tamen se exhibens, Legatos primum ab universo Synodo, deinde à Callisto Papa susceptit pro renunciatione Investiturarum Ecclesiarum: recusans vero eas deponere, communi omnium Patrum consensu excommunicatus est anno 1119. Sub Innocentio 11 de Schismate Petri Leonis anno 1131. Ab Episcopo Gallis in causa Abailardi, anno 1140. Ab Eugenio Papa tertio, de variis negotiis Ecclesiasticis & contra novas hæreses anno 1148.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [186] - -
PUBLIC DOMAIN

COMITATUS BRIENSIS vulgo COMTE de BRIE.

CAmpaniæ contiguus eſt Comitatus Brionensis. Huic Heurepenſe territorium, quod initium capit ad Sequanam ſub Ponte Pariſienſi qui Parvus cognominatur, ac juxta eum fluvium procurrit Corbolium, Melodunum & Moretum, ubi Verina amne, qui in Lonium ſe exonerat, ſejungitur à Gaſtinenſium agro. Adhæret Brienſibus, ubi reſpicit fanum cui cognomen à S. Columba grandi apud Senones. Meminit Brionenſium Nithardus libro primo de diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii. Gallis hic tractus *Pays de Brie* vocatur. De origine ac cauſa nominis controvertitur. *Origo nominis.* *Abri* Francica lingua *umbram* inter alia ſignificat & *opacitatem*, locumque quo venti non perflant. Quum autem omnia hic ſint inter opaca fructiferiſque conſita arboribus, nuſquam non ſi vel pluviæ ingruant ſubitæ, vel nimius Solis ardor adurat, umbroſa ſe offerunt loca, quorum beneficio aut incolæ, aut viatores gratam auram captare, ſeque viopacare, quod Gallis *ſe mettre à l'abri*, conſueverunt. Alii, quod longe nimis petitum ac contra hiſtoriarum eſt fidem à Sicambris, quos hic volunt habitaſſe ἀπὸ τοῦ ἀφαιρεῖσθαι derivant. Initium illi ad Cretelium pagum, haud procul ponte Charentonio, ubi Matrona Sequanæ miſcetur, quorum ille Campanos, hic Gaſtinenſes à Brienſibus ſeparat. Eſt autem pons ille Charentonius haud procul Pariſiis, vicus non ignobilis, ubi echo auditur quæ decies aut duodecies humanam vocem reddit, quæque, quod admiratione dignum majore, quadriſyllabum integre & perfecte, quater quinquieſque reſonat, quo fit, ut Legati Principum, magnique Proceres & juventus tota eo confluat, oblectationem animi ſingularem ex illo vocum ſono percipiens. Quicquid ergo inter hæc duo flumina, Matronam & Sequanam eſt injectum, id ferme omne ad Burgundiæ uſque Ducatum Brienſibus aſcribi ſolet. Manet nomen regionis in oppido quod vulgo *Brye* vel Bray in ipſo Sequana poſitum, *Oppidum Brie.* vocari ſolet *Bray Comte Robert*, ſic dictum à Comite Roberto, Brienſium quondam Principe, cui hic erat domicilium. Per Petrum Brocenſem Britannicæ familiæ acceſſit, per Blancam autem Ioannis ſecundi Ducis Britanniæ filiam, ad Philippum Arteſium, è quibus Margareta nata, uxor Ludovici Comitis Ebroicenſis. Poſt mortem Philippi Ducis Aurelianenſis, qui hæredem duxerat Carolus VI. eundem fratri ſuo Ludovico Duci Aurelianenſi conceſſit, atque ita per Ludovicum XII. cum regio patrimonio confuſus fuit.

Flumina Briam irrogantia ſunt *Vrca* amnis qui Aſſium vicum alluens apud Moncellas, Regiã *Flumina.* domum amœnitate nulli imparem effunditur, una & amplius leuca à Meldenſium civitate. Aimoinus lib. 4. cap. 41. *Audöenus*, inquit, *fabricavit monaſterium intra Brigenſem ſaltum, quod Hieruſalem ab eo quidem nominatum, verum à fluviolo, ſuper quem eſt ſitum, Rosbacenſe nunc dicitur.* *Morinus* amnis *Morinir* per Columniacum, Creſcianum, ac Colinium Pontem virginum Ciſtercienſis Ordinis, quæ *Dominæ* vulgo dicuntur, fluit, apud portum Condenſem navicularum patiens; quinquaginta enim cadorum, qui vino pleni ſunt, aut alio liquore ſeu materia, onus patitur. Irrigat etiam Campos Pruvino oppido proximos, eoſque fertiliores reddit, ac prope Laliviacum in Matronam excurrit. Sequana autem à confluentibus Lutetiam Pariſiorum fluens primum alluit vicinam ripæ domum, ubi echo illa mirabilis auditur. Bibara *Bieurer* in ſequanam labitur, ſic dictus à Bibara nobili vico in agro Pariſiorum. Patrum memoria hic fluviolus Gobelinus cœpit dici, à nomine



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [168] - -

Comitatus Brienſis.

Idaunis Gobelini, accolæ hujus amnis. Oritur apud *Iancurtium* nobilis Pariſiorum agri vicum. *Trappas* inter & *Caproſiam* non ignobilia loca fluit, nec procul à Montimino, inde *Butium*, quod abeſt a fonte Bibaræ leuca una & dimidia, mox deſcendit ad moletrinam, quæ in valle *Betina* eſt, ibique tenuem rivulum, cum Iovium accedit, recipit, aptum ad ſtagnum Boveriorum. Inde diſtractus mille paſſus & aliquanto amplius auctus aquis Igniacum & Antoninum vicos petens, Bibaræ nomen accipit. Poſtea Burgum Reginæ defluens, acceptis jam aliquot, ſed tenuibus rivulis *Gentiliacum* defertur, Pariſienſis Epiſcopi amæniſſimum receſſum, ubi Synodus olim habita eſt. Tandem in ſuburbium S. Marcelli Lutetiam veniens, locum tingendæ purpuræ aptiſſimum, in Sequanam flumen influit, & cancrorum infinita copia abundare experti ſunt Iovii agricolæ piſcari ſoliti, ſed etiam piſcem non habere, niſi cum foſſæ caſtri illius, aut ſtagnum Boverjacum extra crepidines diffluunt.

Alia oppida.

Sunt in hoc Comitatu, præter alia Caſtellum Theodorici *Chaſteau Thierry*; *Iatinum* Medorum vel Meldarum; *Provinſium* & aliæ. Iatinum ἰάτινον Meldarum urbs, ad Matronam fluvium Ptolomæo nota, hodie *Meaulx*, præfectura, vice Comitatus ſedeſque Baillivatus de *Nogent*. Forum inſtar arcis Matronæ cingitur alveo. Pars una Brienſium eſt; altera Valeſiorum. Epiſcopatus item, cujus præſules apud Belleforeſtium 61, ultimus *Ludovicus Breſius*. Provincium *Provins*, oppidum à roſis ſuave olentibus, conditis & dulciariis celebre. Quædam hic antiquitatum rudera conſpiciuntur.

Epiſcopatus.



FRANCIA,

Vulgo FRANCE.

Regio.



PIcardiam ad Occidentem attingit *Francia*, provincia peculiariter sic dicta, olim à Bellovacis & Parisiis habitata, *Vice-comitatum Parisiensem*, *Ducatum Valesium*, *Campos Vrapisiorum*, vulgo *le Heurepois* & *le Gastinois*. Comitatus sive Præfectura Parisiensis, *la Prævosté & Comté de Paris* in quatuor dividitur Ditiones, *Parisium*, *Goellam*, *Insulam Francia*, *Vexinum Francicum*. *Parisium* appellamus, quod vulgo *le Parisis*. Complectebatur olim quidquid erat hinc à porta Parisiensi, usque ad pontem Æsiæ, *vulgo Pontoise*, inde vero Clayam usque, versus Brienses. Nomen fere periit, nisi quod ejus etiamnum memoria servetur cùm in quibusdam pagis, *Louvres*, *Cormeilles*, *Escoua* & aliis, qui cum adjectione *en Parisis* cognominantur; tum in Nummis qui vulgo *Solidi Denariique Parisii*, *Sols & Deniers Parisis*, & quibusdam Parlamenti Parisiensis taxationibus. Quinetiam sunt qui portæ quam nunc Parisiensem vocant, non aliude nomen esse censent, quam quod ea in *Parisium* duceret. *Parisii* hujus urbs, totiusq; nunc Galliæ metropolis est *Lutetia*. λευκο πηία, λευκέτια dicitur: quibusdam etiam *Lutetia Parisius*, non tam barbare, ut quidam hodie putant: sic dicebatur *Santonus Mediolanum*, *Augusta Vindelicus*, *Colonia Tarquinius*, *Colonia Graviscus*, *Colonia Vejus*. Hodie *Paris* vulgo, ab ipsis hujus agri populis, quod passim per Galliasaccidit, ut urbes antiquis nominibus rejectis & obliteratis, augustiores ipsarum gentium appellationes adsumpserint. Parisios vero dictos volunt vel in Paridis Trojani memoriam, vel à Parrhasiis Asiaticis Herculis comitibus, vel ab Iside παρ' ἴσιν, hoc est prope templum Isidis; cujus statuam scribunt nonnulli ad D. Germani Pratensis paucis ante annis adhuc fuisse Idolum S. Germani vocatam, sed an. 1515 sublatę crucem rubram substitutam. *Lutetia* quibusdam à *Luto*, propter paludes vicinas, quarum apud Cæsarem lib. 7 est mentio: earum hodie, ut ferunt, memoriam servante foro primario, quod *Marche-Palus* dictum, quasi *forum paludosum*: aliis gypsi-fodinis proximis quasi λευκοτεχία, quod fere tota crustario constet opere. *Lutetia* multo quondam fuit, quam hodie, minor: in Insula tantum quam ambit Sequana. Tenue ergo admodum tantæ Vrbi fuit initium. Sed tantilla Insula adcrescentem in dies hominum multitudinem paullatim capere non fuit potis. Ductis in utrâque continentem quasi coloniis, additisque locis suburbanis, ita sensim, productis varie pomeriis, excrevit, ut jam totius Galliæ sit maxima. In tres nunc secatur partes: quarum Major, eaque ad ripam fluminis dextram; humilior est, ad Ortum & Septemtrionem vergens, *Villa* vulgo dicitur, *la Ville*; Minor ad sinistram versus Austrum & Occidentem loco altiore, & qui per colliculos suos nonnihil adsurgit. *Vniversitas* vocatur, *L'université*: Media est *Insula*, quam *Civitatem*, antiqua appellatione, *la Cité*, nuncupant; fluvio undique cincta; pontibus duobus quidem Minori, tribus vero Majori juncta. *Villa* speciem præbet Lunæ δίχοτόμυς; hinc Sequana, illinc mœnibus, vallis, fossisque in Hemicycli figuram circumdata. *Portas* habet septem *D. Antonii*, *Templi*, *D. Martini*, *D. Dionysii*, *Montis Martyrum*, *S. Honorii*, *Novam*. *Civitas* quatuor parvulis Insulis superioribus ordine & in linea sitis, tamquam obicibus contra vim fluminis defenditur; primum, ut dixi, propter situs commoditatem habitata, ligneisque pontibus adiri solita, totius urbis veluti cor, propter Episcopale Regiumq; Palatium. *Portas* habuisse olim videtur quatuor. *Vniversitas* quamdam Galeri speciem exhibere videtur, quo caput tantæ urbis tegatur quasi, & ornetur. *Portæ* illi septem, *D. Victoris*, *D. Marcelli*, *D. Iacobi*, *S. Michaelis*, *S. Germani*, *Bussia* & *Nella*. Hæc Lutetiæ pars mœnibus etiam, ut villa, est cincta, sed fossis propter loci situm siccis. Longum esset enumerare quæ in tribus hisce partibus occurrũt, atque adferri possunt, singularia. Architremus Poëta Anglus hisce illam versibus olim celebravit:

Exoritur tandem locus, altera regia Phœbi
Parrhisii, Cyrrhæa Viris, Chrysæa Metallis,
Græca libris, Inda studiis, Romana Poëtis,
Attica Philosophis, Mundi rosa, balsamus Orbis,
Sidonis ornatu, sua mensis, & sua potu.
Dives agris, fœcunda mero, mansueta colonis,
Messe ferax, sortis domino, pia regibus, aura
Dulcis, amœna situ, bona quolibet, omne venustum,
Omne bonum, si sola bonis fortuna faveret.

Vrbes.

Haud procul Parisiis *pons Charentonius* est, vulgo, *le pont Charenton*, non ignobilis vicus, ubi Matrona Sequanæ miscetur. Auditur hic ἠχὼ τετραισυλλάβων, quæ terdecies humanam reddit vocem, quæque quod admiratione dignum majore quadrisyllabum integre & perfecte, quater quinquiesque resonat. *Goëlla*, ut quam minime potest, discedam ab vulgato nomine *la Goelle*. Huic etiam antiqui perierunt limites. Manet ejus tantum memoria quibusdam in locis ab *Goella* cognominatis. Est ibi *Comitatus Dam-Martinensis*, *la Comté de Dam-Martin*, ab insigni quondã oppido, *Dam-Martino*, quod nunc in vici formam est redactum, in colliculo collocatum. *Insula Franciæ*, *l'Isle de France* ex ipsorum Gallorum definitione comprehendit quidquid terrarum est ab *Fano S. Dionysii Possiacum* usque & *Mommorancium*, atque universim quicquid inter Sinus Gyrosque jacet Sequanæ, hinc Picardiam, inde Normanniam versum. Alii alios ipsi fines statuunt. *San-Dionysianum*, vulgo *S. Denys en France*, oppidum amœnum atq; elegans, quod à Dionysio Areopagita imperiti rerum antiquarum & somniorum monasticorum creduli nomen sortitum arbitrati sunt. *Possiacum*, *Poissy* oppidum non ignobile. Arx ibi Regibus quondam in delitiis. Eo Reginæ se conferre solebant, anteaquam D. Germani Arx esset, partum edituræ. Ibidem Regum liberi educabantur, ut postea Blæsis & Ambaxiæ. Inter *Possiacum* & *Lutetiam Fanum* est *D. Germano* consecratum vulgo, *S. Germain in Laye*, oppidum nonnullius antiquitatis. *Mommorantium* vernacule dicitur *Mommoranci*. *Insulæ* succedit *Vexinum Francicum*, *Vexin*, vel ut alii, *Vulxin le François*. Continet quidquid est ab Æsia fluvio Claromontem usque versus Picardiam. Periit & hujus memoria, nisi quod quodãmodo servetur in antiquis quibusdam chartis & monimentis. *Valesium* vulgo *le pais de Valois*, nomen habere putatur ab amœnissimis, quibus hæc ditio superbit, vallibus; alii aliunde dirivãt. Comitatus olim hodie Ducatus. Primus Valesiorum, ut & Alenconii, Comes dictus fuit *Carolus* Philippi III, Franciæ Regis filius, Philippi Pulchri frater, à quo per Philippum VI filium Regium Valesiorum stemma in Galliis fuit propagatum. Extendit se Ducatus *Valesius* in Picardiam usque. Primarium oppidum (præter *Crespiacum Crespi*) *Silvanectum* est, Frãcis *Senlis*. Dictum Latinis quidam augurantur, quod Silvæ nectatur. Oppidum est antiquum, præter Episcopatum, Præfectura & Baillivatu nobile. Ditavit Silvanectensis Præfectura Valesium Ducatum Dynastiis, quæ vulgo audiunt *Pierrefons*, *Bethisi* & *Verberie*, comprehensis oppidis quæ nunc *Angy*, *le Pont S. Maxence* (paludibus hoc cinctum est, limitemque statuit Franciæ & Picardiæ) *Pongoing*, *Brenouville*, &c. Complectitur eadem præfectura *Compendium*, *Compiegne*, sedem olim principum; *Carolopolim* aliis appellatum ab Carolo Calvo, qui pomeria ejus scribitur produxisse & munisse. Transgressis Compendium occurrunt statim Picardiæ populi, Suessones & Laudunenses. Sub Compendio sunt *Magny*, *Thorette*, *Creil*. Continet quoque Silvanectum *Pontis Æsiæ* (*Pontoise*, vulgo *Pontesium* nominat Ivo epistola CV) Baillivatum, Præfecturam & Vicecomitatum, cui parẽt



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [191] - -

Villeneuve le Roy de l'Iſle Adam. Ponte Æſiæ ſuperato, ſe offert Normannia. Silvanectenſis inſuper Præfecturæ Jus agnoſcit *Comitatus Belmontius ad Æſiam, la Comté de Beaumont ſur Oyſe*: antiqua Præfectura, cui ſubſunt *Perſang & Metu. Comitatus Belmontius* Dominos agnoſcit, principes Regiæ ſtirpis Vendomenſis. Ad hoc oppidum ultra Æſiam initium capit Bellovacenſis ditio. Sub Silvanectenſi denique Præfectura, ſimulque ſub Valeſio Ducatu eſt *Comitatus Belovacenſis, Comté de Beauvois, Beauvoiſin*. Metropolim habet *Belovacum*: ſic nominem oppidum, quod vulgo *Beauvois*. Apud Cæſarem, ut Nob. Vir Joſephus Scaliger ſcribit ad Merulam, *Bratuſpantium*, addens ſub Cæſaribus tranſnominatum *Cæſaromagum*, *Bratuſpantium* tamen, ne quid diſſimulemus. Carolo Bovillo pagus hodie putatur *Granviller*, vel *Gratepance*, aliis *Clermont en Beauvoiſin*: Vigenereo *Beaumont ad Æſiam*. Eſt autem *Belovacum* urbs ſitu amœniſſimo adſitos habens hinc montes fertiles non adeo excelſos, inde agros excipiendæ ſementi commodos. Nec deſunt vina. Incolis præſertim feminis magna ſunt privilegia, ab Ludovico XI Francorum Rege ipſis conceſſa, anno 1472 quod Carolum Burgundiæ Ducem obſidionem ſolvere, reque infecta abire coëgerint. Haud procul Belovaco eſt *Claromontium, Clermont*, oppidum eſt arce munitum. Tertia Franciæ pars eſt *Heurepenſe Territorium, Heurepois* Initium capit ad Sequanam, ſub pōte Pariſienſi, qui parvus cognominatur, ſecuſque eundem fluvium procurrit Corbolium, Melodunum & Moretum: ubi Verina amne, qui in Lonium ſe exonerat, ſejungitur ab Gaſtinienſium agro. Adhæret Brienſibus, ubi reſpicit Fanum, cui cognomen ab S. Columba Grādi apud Senones. Continet autem Vicecomitatum & Baillivatum *Melodunenſem*. Metropolis eſt *Melodunum*. Nomen hoc perperam apud Cæſarem bis eſt infultum, pro quo Veteres omnes ſcripti codices Commentariorum de Bello Gallico habent *Metioſedum*. Verum quidem eſt, *Melodunum* & *Metioſedum* unum idemque oppidum eſſe, ſed *Melodunum* poſterius eſt. Hodie *Melum*, in Inſula Sequanæ, inſtar Lutetiæ Pariſiorum. *Melodunum* arce validum eſt. Quod oppidum bonis piſcibus, præcipuè cancris ſuaviſſimis, nobilitatum & celebre, nunc *Corbueil* vulgo, *Corbolium* nominatur in Vita S. Petri Tarenteſii. Habet & hoc cum multis aliis arcem, *Fons bellæ-aquæ*, vernaculè *Fonteine-belle-eau* : ſeceſſus Regum amœniſſimus, cui, ut arci regiæ, nomen eſt à fontiū ſcaturiginibus limpidiſſimas aquas egurgitantibus; ſitus eſt in medio ſilvarum & rupium in ſolo areneſo. Antiquum eſt ædificium & Ludovico etiam ſancto deſertorum & ſolitudinis ſuę vocabulo appellatum. Sub Franciſco primo reſtauratum & ad hanc magnificentiam, ædificari cœptum fuit. Atriis, cubiculis & xyſtis abundat magnificentiſſimis. Multa illic in arce & extra arcem viſu digna occurrunt, quæ longum nimis foret enarrare. Quarta Franciæ pars eſt, *Gaſtinenſium Ditio* vulgo *Caſtinois*, quæ ab Heurepenſi ſeparatur Verina fluvio. Comprehendit ſub ſe *Ducatus Stampenſem* & *Nemurcenſem Comitatumque Rupis-fortis*, & alios *Stampæ. Eſtampes* vulgo: oppidum medio inter Lutetiam Pariſiorum & Genabum Aurelianenſium itinere, ad Junnam fluvium: Cammarorum, qui delicatiſſimi, parentem largum, ad Corbolium in Sequanam ſe exonerantem. Ducatus (qui olim Comitatus fuit) claret dignitate. *Nemurſium*, *Nemours* oppidum ad Lonium flumen, quod paullo infra Moretum Sequanæ concurrit. In Gaſtinēſium ditione cum *Millio* & *Moreto* (quod limes Gaſtinenſes inter & Heurepenſes) utroque arce prædito, aliiſque oppidis eſt *Montargium*, quaſi *Mons-Argi*, ut quidam ratiocinantur: quod in circuitu adſpectus ejus procul extendatur, incendio vaſtatum circa annum 1518, poſtea renovatum fuit: arcem & hoc habet, in qua depicta viſitur Hiſtoria Canis Venatici, qui Heri ſui mortem vindicavit, occiſo eo, qui necem illi attulerat. Præter Templa autem *Sacella* Pariſiis non pauca, 13 circiter: inter quæ primi cenſendum loci, quod in Palatio Regio *Sanctum* audit, ab Divo Ludovico exſtructum: omnium Ciſmontanorum eminentiſſimum: nam facellum ſacello fornicato incumbit, nullis columnis mediis, ſed lateralibus tantum ſubfultum: porta inferior veram D. Virginis imaginem, ſuperior Jeſu Chriſti fertur exhibere. Servantur ibi corona ſpinea, toga purpurea, arundo, ſpongia, ſudarium, mappaque cœnæ ultimæ, quæ omnia à Balduino Imperatore Conſtantinopolitano Venetis oppignorata, Gallus redemta ibi repoſuit. *Cœnobia* plurima etiam in hac urbe circiter 24 & ampla. *Templariorum* ſane circuitus ſpacioſiſſimus, urbis inſtar; Templariis anno 1309 è medio ſublatis, bona Hoſpitalariis S. Joannis fuerunt adſignata. Eſt & *cœnobium filiarum* Dei prope portā S. Dionyſii, quæ damnatis ad ſupplicium ducēdis tres panis bolos cum vino porrigere ſunt ſolitæ. *D. Victoris cœnobium* Canonicorum Regularium. S. Auguſtini *Templum*. *D D. Petri & Pauli* Canonicorum ſecularium prius, poſt ab Ludovico Craſſo Regularium eſt factum, *S. Germani Pratenſis Cœnobium* Benedictinorum. Opulentia nulli Cœnobio cedit: privilegiis & Juriſdictione liberrimum, muris clauditur, forum habet annuum. Jam *domus Pariſienſes*, cum publicæ, tum privatæ, univerſim anno 1549 ad 10 millia ſunt numeratæ, exceptis collegiis, templis, cœnobiis, iiſque quæ in ſuburbiis. Eminent inter reliquas domus Regia vicina Palatio, *Nella, Flandra, Arteſia, Aurelianenſis, Abretia, Lotharinga, Nivernenſis, Alençonia, Senonum, Remenſis, Lugdunenſis, Feſcampia, Bellovacenſis, Rotomagienſis, Bituricenſis, Heureſia, Sabauda, Claromontia, Cabillonenſis, Bavara, Burgunda, Reginæ, S. Pauli*, & alii. *Palatium Thermarum* prope D. Mathurini quidam à Julio Cæſare conditum volunt. Cænaculum illic eſt fornicatum, cui hortus cum arboribus imminet. *Domus publica Pariſienſium*, anno 1533 cœpta ab fundamentis exſtrui, ſub Franciſco I. Quid vero dicam de *Arcibus? Majus Caſtellum* ab Julio Cæſare ædificatum ajunt: magis cenſendum ab Juliano Cæſare, qui aliquamdiu hic habitavit. Quid de Xenodochiis, Noſocomiis, Ptochodochiis, & Orphanatrophiis? Domum in villa 300 *Cæcorum* ab Saracenis excæcatorum, D. Ludovicus condidit. Sepulchra vero, præſertim Regum, Principum, Ducum, Comitum Nobiliumque utriuſq; ſexus quot in hac urbe conſpiciuntur? Eorum plena eſt enumeratio apud Ægidium Corrozetium, cujus exſtat accuratum de Pariſienſis urbis antiquitate opus. *Statuæ* etiam ſtupendæ variis locis, *Regum* omnium in Palatio Regio: *Caroli Magni* in Templo S. Marcelli: *Philippi Valeſii* in primario; ubi & *D. Chriſtophori* Gigantea anno 1413 ab Antonino *d'Eſſars*, Equite erecta. Eſt ibi & effigies *Petri Cugneri*, juxta Chorum in angulo altare B. Mariæ. Fabulantur per ludibriū poſitam, quum Bona Eccleſiaſtica nomine Regio in Fiſcum trahere conaretur, ſub *Philippo Valeſio*: ſed fruſtra Bibliothecæ ſunt variæ, publicæ quidem, cum primis *Regiæ Majeſtatis & S. Victoris*, privatorum autem infinitæ, præcipuæ Cl. *Puteani, Pitheorum, Nicolai Fabri, Barnabæ Briſſonii* & aliorum; & omnes optimis rariſſimiſque cum editis tum manuſcriptis refertæ libris. Academiam inſtitutam habet à Carolo Magno Romanorum Imperatore, incitantibus eo Magnanimum Principem quatuor venerabilis Bedæ diſcipulis. Quatuor firmiſſimis nititur columnis, *Facultatibus*, inquam, *Theologiæ, Iuris Canonici, Medicinæ, Artium*. Tribus quas nominavi primo loco, ſingulis præſidet *Decanus*; duoque inſerviunt *Curſores*, quos *Pedellos* vulgo dicimus. Toti corpori præeſt *Rector*, ab artium facultate, ſingulis trimeſtribus legi ſolitus. Collegia ſunt, *Sorbonicum, Navarrenum, D. Bernardi, Præmonſtratenſe, Cameracenſe, Regium, Rhemenſe*, aliaque.

Opera Publica.

Bibliotheca.

Academia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [192] - -
PUBLIC DOMAIN

AGRI PARISIENSIS DESCRIPTIO.

POsteaquam ipsam FRANCIAM strictius sumptam, plerumque his districtibus circũ septam *Valesia*, *Gastinensiũ*, & *Bellovacorũ diti* & terminatã à Septentrione, Picardiæ & Normãdiæ parte, ab Oriente Brienſi & Campania Comitatibus; à Meridie Gastinensium, & Heurepensiũ ditionibus, ab Occidente Belsia & C. Blesenſi, descripsimus, restat ut de Agro Parisiensi aliquid in medium proferamus, eaque adhuc notemus, quæ præcedens descriptio non exhibuit. Quantum igitur ad Veteres populos attinet, quorum habitatio fuit ad *Sequanam*, ubi hodie ipsa urbs Lutetia vulgò Paris sita conspicitur, frequens passim apud Latinos mentio, præcipuè Cæsarẽ, qui initio libri septimi confines eos facit Senonibus, Civitatemque patrum memoria conjunxisse. Παρίσιοι Straboni & Ptolomæo, *Civitas Parisiorum* in Provinciarum Notitia. *Parisiorum* præliũ pro Libertate Patriæ, communi variarum Civitatum concilio susceptum, ducemque belli Camulogenum propter scientiam rei militaris electum legimus, lib. Ephemerid. belli Gallici VII. Hujus urbis Episcopus Spiritualibus præest eorumque universim numerantur, CVII, quorum ultimus Petrus Gondius. Urbs regi paret habens peculiarem quandam iurisdictionem. Suburbiis idem jus cũ urbe concessit Carolus V. Francorum Monarcha anno ↀIↃ CCCLXXIV. Academia Rectoris unius arbitratu regitur, magistratu trimestri. Hujus quatuor sunt Cancellarii, duo quidem Baccalaureorum, ut vocant, Tertius Ecclesiæ Divæ Virginis Parisiensis, quartus, S. Genovefae. Sunt & sex Advocati, quatuor quidem cum duobus procuratoribus in Parlamento; duo vero cum uno procuratore in Castello. Nihil hic dicam de Librariis, aliisq; idgenus Academiæ ministris, singularum item nationum Nunciis & Tabellariis, qui omnes magnis fruuntur privilegiis. Ex quatuor autem constat Academia Nationibus, Parisiensium, Picardiorum, Normanniorum & Germanorum cum cæteris exteris. Philippus I. Galliç Rex anno ↀIↃ XC *Eschevinos* (viros Consulares) urbi dedit, locoq; Insignium Navem liliis aureis ornatam. Civibus Parisiensibus Iura Nobilitatis largitus est Carolus V. cujus memini anno ↀIↃ CCC LXXI. Templa numerantur LXII universim; inter ea Augustissimum Cathedrale D. Virginis, quod jactis à Philippo Augusto anno ↀIↃ CXCI sub Mauricio Parisiorum Episcopo fundamentis, serio ædificari cæptum anno ↀIↃ CCLVII mense Februario, Ioanne Kalensi Latomo, regnante D. Ludovico, ex Galliæ miraculis præcipuum. Columnis CXX sustinetur. Longitudo passuum CLXXIV, Latitudo LX. Altitudo C. Chorus lapide cinctus, historiis ex Veteri novoque Testamento insculptis, quas anno ↀIↃ CCCLI absolutas loquitur Inscriptio. In ambitu habet sacella XLV, ferreis clathris munita, universim portæ XI. In fronte tres biforæ, statuis XXVIII regum insignes. Ad latera turres visuntur, seu moles verius campanariæ altitudine XXXIV cubitorum. Campana maxima cui ab Maria virgine cognomen, viginti viros flagitat pulsanda; ejus sonitus sereno cælo per septem leucas auditur. Quot urbis Areæ (inter quas primas obtinent Grevensis, Templaria, Luparia) Foraq;, ut Mauberti & aliorum; tot & suppliciorum sunt loca maleficiis plectendis destinata, quorum cadavera post in *montem Falconium* extra portam D. Martini transferuntur. Restauravit Petrus Remigius Thesaurarius & Regni Gubernator sub Karolo Pulchro, reusq; sub Philippo Valesio factus Repetundarum ibidem, suspensus est. Variorum etiam (liceat enim hæc speciatim commemorare) quorum præclara ingenii monumenta cũ admiratione leguntur, quorumq; fama jam volitat docta per ora virũm. Cineres variis hic locis reverenter adservantur: Petri Lombardi in S. Marcelli suburbio: Roberti Cenalis Episcopi Abrincantensis, viri doctissimi ad D. Paulum: ubi & Nicolai Gillii Secretarii Regii & Historici Gallorum; Petri Berchovi Prioris, qui fecit quinq; opera solemnia, Dictionarium, Reductorium, Breviatorium, Descriptionem Mundi, & translationem cujusdam libri latini in Gallicum, ad D. Eligii: Petri Comestoris, Hugonis Richardi & Adæ de S. Victore ad D. Victoris: Ægidii *de Roma*, Archiepiscopi Bituricensis, Philosophi summi, & Philippi Comminei Historiographi apud Augustinianos: Roberti Gaguini, Ioannis de Sacrobosco, Francisc. Balduini I.C. ad D. Maturinum; Pauli Æmilii Veronensis, Historiographi ad Cathedralem; *Cosmæ Guymier* qui Glossas scripsit ad Pragmaticam Sanctionem, in cœmiterio Innocentum, Gulielmi Budæi apud Maturinos; Ioannis Ravisii Textoris in Sacello Collegii Navarræi, Claudii Espencæi Theologi in templo S. Cosmæ, Christophori Thuani & Petri Siguierii, præsidum ad D. Andreæ Artium, aliorum alibi. Fontes publici supra XVI, inter quos admiratus sum, qui Innocentum dictus, quique in S. Martini Cænobio.

Quot porro Parisiensis urbs seditionibus agitata, quot incendiis deformata, quot fundationibus vastata, quotq; hostium incursionibus fuerit concussa & laniata, copiose notant Francorum Annales, qui plura desiderat, ipse adeat Franciscum Belleforestium qui omnium accuratissime Lutetiam delineavit.

Fanum, S. Dionisii.

Cum procul Fanum S. Dionysii vulgò S. Denys ab urbe Parisiensi non absit, sed in ipso ambitu cum Posiaco ferme Mommorancium usque conspiciatur, placuit plenius ejus celebritatẽ & præ ceteris præstantia celebrare. Auxit illud mirum in modũ anno ↀIↃ CXLI, aut circiter Suggerus Abbas, ut ipse in sua testatur historia. Servari memorantur ibi corpora S S. Dionysii Francorum Apostoli *Eleutherii* & *Rustici*, item *Dionysii*, Corinthiorum Episcopi (cujus historia Ecclesiastica subinde meminit) Hippolyti & aliorum. Conspicitur hic interdum, præter alia singularia, grande Monocerotis cornu, sex-semis pedum. Labrum vel Solium ex jaspide, rosei coloris, quo usum ferunt in Balneis Regem Dagobertum. Crucem auream; Lignum pensilem ex argento, quem pro accepto S. Eugenii corpore obtulit Philippus Hispaniarum Rex, anno 1565. Servantur in thesauro S Dionysii, quæ ad Regem pertinent ornamenta, Diadema, sceptrum & alia, quæ quoties quis rex consecrandus, Remos solenniter deportantur. Longitudo hujus templi 390 pedum, latitudo C. altitudo 80 ad interiorem fornicem; nam tectum altius multo exsurgit, turres habet duas excel-

Ejus Auctor Suggerus Abbas.

Cornu Monocerotis.

Longitudo & latitudo cum altitudine templi.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [194] - -

sas quadrata forma, inque iis campanas ex puro ære. Sunt etiam valvæ æreæ auro obductæ. Locus hic à multis jam annis destinatus Regum aliorumq; Principum sepulchris. Siti ibi notantur quamplurimi. Sunt illic præter Dagobertũ Cænobii conditorem in choro versus meridiem, ut nomina loquuntur, Ludovicus Rex, filius Dagoberti; Karolus Martellus Rex, Pipinus Rex, pater Caroli Magni; Berta regina, uxor Pipini regis; Kallomanus rex, filius Ludovici Balbi; Ludovicus Rex, filius Ludovici Balbi. Visuntur ibidem paulo interiore loco tres effigies ex Alabastrite lapide, cippis nigri marmoris impositæ, quæ perhibentur (nã carent Inscriptionibus) Philippi Regis, S. Ludovici filij; Isabellæ Aragoniæ, ipsius conjugis, Philippiq; Pulchri ipsorum filii. In Choro versus Septentrionem leguntur Kallomannus Rex, filius Pipini, Hirmintrudis regina, uxor Caroli Magni; Constantia Regina II (adscriptis his verbis, *Venit de Hispania*) Odo, Rex; Hugo Capet, Rex. Robertus Rex, Constantia uxor Roberti, Henricus Rex, filius Roberti, Ludovicus Grossus Rex; Philippus Rex, filius Ludovici Grossi. Ad latus summi altaris Septentrionale sitos testantur effigies titulique, Philippũ Longum cum corde *Ioannæ* ipsius conjugis & Carolum cum Ioanna uxore, Franciæ Navarræq; reges, Philippi Pulchri filios; Philippum Valesium Ioannemq; ejus filium. Ad latus vero Matutinum, ut vocant, altaris Septentrionale sepulchrum est & effigies marmorea Ludovici Huttini ejusq; filii Ioannæ Navarræorum reginæ. Haud procul inde statua est Caroli VIII in genua procumbentis cum epitaphio non indocto. In medio choro ubi Monachi cantare soliti, sepulchrum Spectatur Caroli Calvi regis & Imperatoris. Post altare Matutinũ sepulchra sunt (quorũ tamen exigua apparent vestigia) Philippi Augusti, qui conquæstor cognominatus, Ludovici VIII, Ludovici Sancti, cujus corpus postea fuit elevatum. Ante primũ altare positam legi Margaretam, S. Ludovici conjugem. Conditos item in choro memorant monachi, licet indicia desint, Hlotarium III, Theodoricum II, Hlotarium penultimum stirpis Karolinæ & Alphonsum comitem Pictaviensem S. Ludovici fratrem Isti igitur in choro: extra eundẽ versus Meridiem quidem in sacello Karoli V, sitos didici ipsum Karolum V. Ioannis filium cum conjuge Ioanna Borbonia Petri filia, Karolum VI, Karoli V. filium, cum Isabella conjuge, Stephani Bavariæ Ducis, Comitis Palatini filia; Karolum VII, Karoli VI. filium, cum uxore Maria regis Siciliæ filia. Præter hos Bertrandum *de Gueselin* Longæ Villæ Comitem, Franciæ Connestablium; Ludovicũ Sancerræum Franciæ IV Virum, moxq; Connestablium, fratrem germanum Comitis Sancerræi. Arnaldum Guillenium, Barbazanis dynastam, Karoli VII regis Consiliarium: Carolum deniq; Delphinum Viennensem, Karoli VI Francorum regis filium. Visitur haud procul inde magnificũ, Francisci Primi, Magni cognomine, ejusque conjugis Claudiæ Britanniæ, Ludovici XII filiæ, Mausoleũ, ipsorumq; liberorum, Francisci Delphini Britanniæ Ducis, Karoli Ducis Aurelianensis & Karolottæ filiæ: adsculptis, præter omnium effigies, bellorum, victoriarũ, Rerumque ab eodem gestarum monimentis. Ad Septentrionem in variis Sacellis conspiciuntur busta, in Blancæ quidem sacrario, Mariæ Blancæque Karoli IV Franciæ Navarreq; regis filiarum; Ludovici Abrincantensis, Stamparum comitis Paris Franciæ; Ioannæ *d'Eu* Stamparum item Comitis, Athenarumque Ducis, Rudolphi Comitis filiæ: in S. Hyppolyti, Blancæ, Francorum reginæ, Philippi Navarræorum regis filiæ cum Ioanna filia; in S. deniq; Martini Alphonsi Comitis Euensis, Joannis Bainensis Hierosolymarum regis & Imperatoris Constantinopolitani filii In ipso templo; qua Septentrio est, visitur monumentum ex Alabastrite Ludovici XII ejusque Conjugis Annæ Britanniæ. In novo Sacello, quod rotunda forma se extendit ad Septentrionem in cæmiteriũ, magnifice positi leguntur Henricus II ejusq; filii, Franciscus II, Karolusque IX Franciæ reges.

Ob Regum multorũque aliorũ principũ, sepulchra celebratur.

Comitum Connestablorum itidem monumẽta visuntur.

Alphonsi Comitis Euensis, Ioannis Bainensis Hierosolym. regis & Imperatoris filii sepulchrum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [195] - -
PUBLIC DOMAIN

VALESIA
DUCATUS.

vulgò

LE DUCHE DE VALOIS.



SUnt, qui existimant Ducatum VALESIUM (qui vulgo Duché de Valois) nomen habere à vallibus, quas hic tractus ostendit amœnissimas. Comitatus olim fuit Valesium, hodie Ducatus dignitate superbit. Primus Valesiorum ut & Alensonii Comes dictus fuit Carolus Philippi 3 Franciæ Regis filius, Philippi pulchri frater, à quo per Philippum sextum filium Regium Valesiorum Stemma in Galliis fuit propagatum, usque ad Henricum tertium Valesium, Caroli IX. fratrē, post quem Henricus Borbonius sive Navarræus regnum adeptus est, cui successit filius Ludovicus XIII. Exporrigitur in Picardiam usq;. Metropolis est Sylvanectum, Francis Senlis (aliis Crespiacum quod appellamus Crespy) cujus appellationis causam quidam hanc augurantur, quod sylvæ nectatur. Meminit ejus Notitia Provinciarum Galliæ in Belgica 11, ubi civitas Silvanectum hodie *l'Evesché de Senlis*. Oppidum est antiquitatis venerandæ, Episcopatu, Præfectura, & Baillivatu insigne. Parochias septem mœnibus suis complectitur, præter Cathedralem B. Virgini Dei Genitrici sacram. In tota verò Diœcesi Parochiæ circiter 60 & Abbatiæ sequentes, S. Vincentii, in urbe *S. Vincent*; Victoriæ *La Victoire*, Caroli-loci, *Charlis*; S. Remigii fœminarū in urbe *S. Remy*, quæ nunc est translata in Diœcesin Suesionensem à Gregorio XV & Ludovico XIII. Præsules ex Belleforesto 74, ex Democharo & aliis colliguntur LXXX quorum primū faciunt *S. Regulum* B. Dionysii (uti scribitur) comitem, & S. Trophimi in sede Arelatensi successorem; habet Ecclesiam in urbe à Roberto Rege constructam: Secundus Præsul *Nicænus* est; tertius *Mansuetus*, IV. Venustus & ita deinceps. Hodie præest *Nicolaus Sanguin* ex Canonico & Senatore Parisiensi consecratus in æde S. Ludovici Parisiis anno 1623, à Francisco Cardinali de *Sourdis*, Archiepiscopo Burdegalensi. Etiam inter Comitatus Galliæ refertur Sylvanectensis Comitatus, qui suos particulares habuit Comites, & per connubium ad Wilhelmum Ducem Normanniæ pervenit: Philippus autem Augustus cum decreto militari & satis obscuro, omnes Terras, quas Angli in Francia tenebant, fisco adjudicasset, hunc quoq; Comitatum arripuit; licet, postea plurimi titulo Comitatus hujus usi fuerint. Sylvanectensis Parfectura Valesium Ducatum auxit Dynastiis, quæ vulgo Audiunt *Pierre-fons*, Bethisi & *Verberie*, comprehensis oppidis, quę nunc *Augy*, *Le Pont S. Maxence*, quod paludibus cinctum Franciæ & Picardiæ limitem statuit, *Pongoing*, *Brenoville* &c. Complectitur eadem præfectura Compendium *Compiegne*, sedem olim Principum, Carolopolim aliis appellatum, à Carolo Calvo, qui pomeria ejus scribitur produxisse & muniisse. Eundem Carolum Comitia Statuum regni Francici, conciliumque nationale præsulum Ecclesiæ Gallicanæ in hoc oppido celebrasse, perhibent scriptores, Transgressis Compendium occurunt statim Picardiæ populi, Suessones & Laudunenses. Sub Compendio sunt *Magny*, *Thorette*, *Creil*. Haud procul Creila stagnum visitur unius semis leucæ, munimentum item in monte, quod à Iulio Cæsare fertur conditum. Continet quoque Sylvanectum, Pontis Æsiæ, *Pontoise* vulgo, Baillivatum, præfecturam & vicecomitatum, cui parent *Ville-neuve le Roy* & *l'isle* Adam. Si Pontesium non sit, quæ Antonino Brivaisara, Itinerariæ autem tabulæ corruptius *Brivisura*. Fuit certe in agro Pontesii suburbicario. Scribit ad Antonini Itinerarium Hieronymus Surita, summo consensu in omnibus exemplaribus esse *Brivanisare*. In Blandinianæ autem Bibliothecæ codice ita distinctum esse, ut *Briva* videatur esse, cognomento *Isaræ* fluminis. Isara tamen hic nullus, sed in Gallia Narbonensi, ut fere, nisi veteres membranæ obclamarent, reponere ausim *Brivæ Esiæ*; vel saltem in *Brivaisare* nullum agnoscerem fluvium. Briva simpliciter est apud Gregorium Turonensem Episcopum, qui lib VII. magno incendio Basilicam B. Martini apud Brivam vicū ab imminente hoste conflagrasse perhibet, & avitum ad Brivatensem vicum mortuum delatum. Meminit idem Brivatensis Diœcesis. Trans pontem Æsiam se offert Normannia. Sylvanectensis insuper præfecturæ jus agnoscit Comitatus Belmontius ad Æsiam, *la Comté de Beaumont sur oyse*. Antiqua præfectura, cui subsunt *Persang* & *Metu*. Comitatus Belmontius Dominos agnoscit proprios Principes regiæ stirpis Vendomensis. Ad hoc oppidum ultra Æsiam initium capit Bellovacensis ditio. Bellum huc montem fere esse, ut opinor, Augusto-magum Antonino, quod à Cæsare describitur lib. 2. Belli Gallici, egregiæ natura munitū, ex omnibus in circuitu partibus, altissimas habens rupes & despectus, aditum autem una ex parte acclivem. Sub Sylvanectensi præfectura simulque sub Valesio Ducatu est Comitatus Bellovacensis *Comté de Beauvais*, *Beauvois*.

Ducatus hodie.

Senlis.

Episcopatus.

Comitatus.

Aliæ urbes.

ooo



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [197] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [198] - -
PUBLIC DOMAIN

DITIONES GASTINENSIUM ET SENONUM.

Gallice GASTINOIS & SENONOIS.

GASTINENSIS ditio ab Heurepenſi ſeparatur Verina fluvio, comprehendit ſub ſe Ducatum Stampenſem, Nemurcenſem, Comitatum Rupis fortis, Moretenſem, alioſque.

Ducatus Stampenſis. Stampæ *Eſtampes* vulgo, medio inter Lutetiam Pariſiorum & Genabum Aurelianenſium itinere, ad Iunnam fluvium cernitur, qui cammarorum (piſces ſunt delicatiſimi) parens largus ad Corbolium in Sequanam ſe exonerat. Urbs undequaq; montibus cincta ac immerſa jacet, ut non niſi cominus ab adventantibus ſpectari poſsit. In unam longam plateam extenditur, quæ ſola fere urbem conſtituit, templum habet honori Beatæ Mariæ ſacrum. *Stamparum* meminerunt Aimonius & Gregorius Turonenſis. Stampenſis pagus eſt apud Nithardum, de diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii lib. 1. Stampenſe etiam conciliū nominatur apud Ivonem. Olim Comitatus fuit, verum Ducatum fecit Franciſcus 1. A Falcone Rude filio Comitis Andegavenſis Philippo 1 Francorum Regi, tunc cum Comitatus adhuc eſset, donatus fuit, ex quo tempore Coronæ Francicæ patrimonio Connexus fuit. Memoratur in Annalibus Franciæ Philippus Nivernii, Rhetelli & Eſtampii Comes, Philippi Valeſii Burgundiæ Ducis filius, qui cum fratre in pugna Azincurtiana cecidit, ſucceſſores nactus filios, in Nivernenſi quidem & Rhetellano Comitatū Carolum; in *Stampano* autem Ioannem, qui fratre ſine liberis defuncto reliquos quoque Principatus eſt adeptus. Hodie Ducem habet Cæſarem, Vindocini Ducem, filium naturalem Henrici 1v. Galliarum Regis ex Gabrielide Eſtræa Duciſsa, de *Beaufort* & Marchioniſsa de *Monceaux*.

Nemurſium. Nemurſium *Nemours* oppidum eſt ad Ionium flumen, quod paulum ſupra Moretum Sequanæ concurrit. Inter Ducatus Franciæ, etiam non poſtremi loci. Vixit nuper Philippus Sabanæus, Nemurſii Dux, cujus filia Ioanna ſecundo loco nupſit Nicolao Lotharingio, Duci Mercurio, Marchioni *Nomeney* & Vandalimontis Comiti.

Rupes fortis. Rupes-fortis Gallis *Roche-fort* Comitatus gaudet titulo. Loco parum eſse aut nihil antiquitatis ipſum docet nomen, niſi tranſnominationem frequentia ſit paſsim admittenda.

In Gaſtinenſium quoque ditione cum *Milio* vulgo *Milly* & *Moreto* (quod limes Gaſtinenſes inter & Heurepenſes) utroque arce munito, aliiſque oppidis eſt *Montargium*, quaſi *Mons agri* ut quidam ratiocinantur, quod in circuitu aſpectus ejus procul extendatur; cum enim in edito colle ſitum ſit, facile eſt ſilvas & campos Heurepenſium deſpicere. Galli *Montargis* vocant. Incendio vaſtatum circa annū 1518 poſtea renovatum fuit. Arcem & hoc habet in qua depicta viſitur hiſtoria canis venatici, qui heri ſui mortem vindicavit, occiſo eo, qui necem illi attulerat. Adſcribam hiſtoriam verbis à fide Iulii Cæſaris Scaligeri, qui ita narrat. *Offenſus amici ſive potentia, ſive perfidia quidam Regis aulicus, cum ex inſidiis obtruncat, atque in avio agro ſepelit. Venaticus canis ibi tum forte Comes hero fuerat, is amore victus diu ſedit in tumulo. Poſteaquam fames pietatem ſuperavit atque in aulam ſine domino reverſus eſt, rati illius contubernales, beſtiam temere fagari, cibum ei dare jubent. Satur ille ad tumulum redit, it, redit toties, ut primum ſuſpicio invaderet animos incerta quædam ac fluctuans; mox etiam certi ſibe eſſe viderentur, heri id fieri deſiderio. Abeuntem proſecuti, deprehenſo telluris tumore, effoſſum cadaver atque agnitum afficiunt ſepultura. Canis, exequiis peractis, ſocius fit eorum, quibus fuerat dux ad inveſtigandum. Tandem aliquando in aulam, ubi homicida redüſſet, eum canis conſpicatus magnis illic edit latratibus, ægre ab impetu cohibetur, quo tanquam indice aucta ſuſpicio, in multorum animis certa fides evaſit. Ceterum beſtiæ perſeverantia in illius odio atque perſecutione, etiam Regem movit, ut juberet hominem cauſam dicere. Ille negare factum, perſiſtere in inficiatione. Canis ejus orationem latratibus atque aſſultibus obturbare, ut eam interpellationem pro facinoris exprobratione, quotquot aderant, interpretarentur. Eo res deducta eſt, ut juſſu Regis homicida cum provocatore ſingulari* *Hiſtoria memorabilis.*



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [200] - -

certamine dimicaret. Picta est canis victoria in cæ-naculo quodam regio. Pictura vetustate dilutior atq; obscurior facta, Regum mandato semel atque iterum instaurata est. Digna prorsus Gallica magnanimitate, quæ ære fusili æquatur perpetuitatem.

Veteres populi.

SENONOIS tractũ illum notat, quem Senones olim inhabitarunt, Galliæ populi Hi Capitolium incenderunt, Romam vastaverunt, sed à Furio Camillo adeo cæsi, ut incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleta fuerint. Hi Seno Galliam condiderunt, maritimam Italiæ urbem ad Aterni fluminis ostia. De Senonibus ita Scaliger:

Elogium Scaligeri de Senonibus.

Quæ Senonum vires & quanta potentia ferri,
Trajectæque Alpes captaq; Roma docet.
Histrum atq; Illyricum Superant, Martisq; ministrum,
Qua Bojana tuas Scopia fugit aquas.
Subdit se Macedo: submittit Achaica tellus
Horridaque armigero Thracia cedit equo.
Atq; hinc res Asiæ tremefactæ, & inhospita Ponti
Littora, & Armenios quæ colit ora Duces.
Hæc summa est, populis, castris & Regibus, horum
Armorum arbitrio fors rata quæque fuit.

De iis ita Merula Cosmographiæ parte II, Lib. 3. Senones Cæsari, Plinio & aliis celebrati. Σένονες Ptolomæo, qui eos in Gallia Lugdunensi describit. Civitas Senonũ Notitiæ Provinciarum Galliæ in Lugdunensi IV. Alii, credo, sunt Senones Straboni Nerviis vicini, versus occasum. Priorum oribus ut magis notis adscribendas censeo horrendas in Italiam incursiones, unde & ibi à Strabone circa Flaminiam, à Polybio in Pyceno; à Suida in Albanorum terra Senones describuntur. Atrocissimum sane Romanis bellum moverunt anno urbis conditæ 364 Galli-Senones, quod ab iis bellum Senonicum-Gallicum dicebatur. Dux erat Brennus Gallorum Regulus. Post pugnam Allienſem (à qua dies Allienſis in Romanorum fastis) urbem ingressi, cæsis obviis, omnibusq; incendio fœde vastatis, Capitolium, in quod Romana juventus confugerat, obsederunt multos menses, tandemque facta cum obsessis pace, aurique quantitatem stipulati, contra fidem à Marco Furio Camillo Dictatore, urbem cum copiis collectis ingresso, partim obtruncati sunt, partim in fugam acti. Senones scribit Verrius Flaccus apud Festum ideo appellari, quia novi venerunt ex Transalpina Gallia quasi Καίνονες, littera immutata; καινὸς enim græce, latine novus dicitur. Sed hæc ridicula. Accensentur Campaniæ Archiepiscopatus Senonensis *l'Archevesché de Sens*, cum oppido Pontio, Senonum urbis olim *Agendicum* vulgo Sens ad Icaunam, qui vernacule *Yonne*, meminit Cæsar. Ad portam ædificium est, cui nomen Carcer Cæsaris. Extra urbem quædam sunt Antiquitatum monumenta. Ridet illos Iosephus Scaliger, qui Agendicum putant esse *Provins*, & quidem inter eos Marlianus. Vigenereo videtur *Milly en Gastinois*. De iis ita Bertius in Campaniæ descriptione. Senones-Galli eo potissimum claruerunt olim, quod duce Brenno post pugnam ad Alliam Romam cepere, atq; inde late in Græciam se extendere. Ab his in Italia Sena & Seno-gallia. Silius Italicus.

Eorum in Italiam incursiones.

Et Glanis & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Senones cur sic dicti.

Vrbs eorum Sens Archiepiscopalis.

Hodie ipsorum urbs est Archiepiscopalis, quę suffraganeos habuit VII, Carnotensem, Autisiodorensem, Meldensem, Parisiensem, Aurelianensem, Nivernensem & Trecensem, sed nunc tres tantum ei subsunt, Trecensis, Autisiodorensis & Nivernensis; nam Carnotensis, Aurelianensis & Meldensis agnoscunt modo metropolitem Novum Parisiensem. Primus huic sedi præfuisse perhibetur S. Savinianus vel Sabinianus, unus ex LXXII discipulis à S. Petro missus, de quo Nicolaus Liranus in Abdiam: *Procedens*, inquit, *S. Savinianus, qui fuit de 72 discipulis unus, convertit ad fidem urbem Senonensem, quæ tunc erat metropolis in tota Francia & civitas aurea vocabatur.* Meminit Senonum S. Bernardus Epist. 202 ad Clerum Senonensem; *Grandis res*, ait, *nobili Senonensi Ecclesiæ pastorem instaurare, grandis prorsus, nec sine grandi adorienda consilio, expectandũ proinde suffraganeorum Consilium.* Savinianum sequuti Archiepiscopi CV. quorum ultimus anno 1623 fuit Octavius de *Bellegarde*, ex Episcopo Conseranensi & Abbate S. Germani Autisiadorensis. Dedicavit Ecclesiam *de Valerii* Maji 27. feria 2 Pentecostes, ab Illustrissimo Principe Condæo Henrico Borbonio, loci domino, instauratam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [201] - -
PUBLIC DOMAIN

COMITATUS BELLOVACUM Vulgo BEAUVOISIN.

Bellovaci veteres populi.

COMITATUS Bellovacensis vulgo le Comte de *Beauvais* nomen accepit à Metropoli cognomine Bellavaco. Terra est quæ culinæ prospicit ex omni rerum ad vitam sustentandam utilium necessitate. Præstantissimi lini ferax. Hic quoddam luti genus invenitur, ex quo varia vasa ad varios usus conducentia conficiuntur & ad alia loca transportantur. Hanc Regionem cum aliis Bellovaci incoluerunt, quorũ frequens mentio fit apud Cæsarem & Plinium. Straboni Βελλοάκοι, Ptolomæo Βελλάκοι dicuntur. At mediæ ætatis Chronographi Gregorius Turonensis, Ado Viennensis, Regino, Aimonius & alii Belgivacos vocant. Qui in nominibus ludere amant ita dictos volunt, quasi *bello vacantes* vel *bello acutos*. In notitia Provinciarum est civitas *Bellovacorum*. Hodie *Beauvoisin* sive *l'Eveschè de Beauvais*. Adscribam Cæsaris loca libro 2, ubi ita ait : *Cæsar obsidibus acceptis primis civitatis, atque ipsius Galbæ regis duobus filiis, armisque omnibus ex oppido translatis, in deditionem Suessones accepit, exercitumque in Bellovacos duxit, qui cum se suaque omnia in oppidum Bratuspantium contulissent, atque ab eo oppido Cæsar cum exercitu circiter millia passuum quinque abesset, omnes majores natu ex oppido egressi, manus ad Cæsarem tendere & voce significare cœperunt, sese in ejus fidem ac potestatem venire, neque contra populum Romanum armis contendere.* Et libro septimo : Bellovaci autem, defectione Æduorum cognita, qui ante erant per se *infideles, manus cogere, atq; aperte bellum parare cœperunt. Tum Labienus, tanta rerum commutatione, longe aliud sibi capiendum consilium, atque antea sensérat, intelligebat, neque jam, ut aliquid acquireret, prælioque hostes lacesseret, sed ut incolumen exercitum reduceret Agendicum, cogitabat: namque altera ex parte Bellovaci, quæ civitas maximam in Gallia habet opinionem virtutis instabant.* Scribit etiam autor lib. 8. de bello Gallico, Bellovacos belli gloria Gallos omnes Belgasque superasse. De iisdem Strabo libro quarto αὐτῶν δ' ἔστι Βέλγων Βελλοάκιος φασὶ μὲν δ' τέτιος Σεσσιόνας; id est, Ipsorum Belgarum optimos fortissimosque esse ajunt Bellovacos, post hos Suessones. Bellovacorum rempublicam aliquo modo depingit Cæsar, quum docet eos Principes suos ex se deligere solitos, ut inter cœteros Corbeum illum, qui licet civium suorum exercitu deleto, nulla tamen calamitate victus adduci potuit, ut excederet prælio, aut sylvas peteret, aut, licet Romanus invitantibus, sese dederet, quin fortissime præliando compluresque vulnerando, cogeret elatos iracundia victores in se tela coniicere. Senatus item Bellovacorum memoratur à Cæsare & plebis autoritas, unde illa fuit ad Cæsarem Bellovaci Senatus excusatio; *Nunquam Senatum in civitate tantum vivo Corbeo, quantum imperitam plebem potuisse.* De iisdem ita Ado Viennensis: *Bellovaci qui cæteris numero & virtute, præstare viderentur, habuere lectissima* LX *millia armatorum,*

De Bellovaco controversia.

Sub Sylvanectensi præfectura simulque sub Ducatu Valesio est Comitatus Bellovacense, Comte de *Beauvois, Beauvoisin*. Hujus ditio initium capit ultra Æsiam ad oppidum *Beaumont*.

Agricolæ hujus territorii tempore Joannis Regis seditionem moverunt, quæ vulgo dicebatur *Iaquerie*. Petebantur ea præcipue nobiles, quorum non pauci leguntur trucidati. Compescuit hanc tandem Carolus Delphinus Franciæ. Metropolim habet *Bellovacum*, vulgo *Beauvais*. Apud Cæsarem, ut nobilissimus vir Iosephus Scaliger scribit, est *Bratuspantium* addens sub Cæsaribus transnominatum Cæsaromagum. Bratuspantium tamen Carolo Bevillo pagus hodie putatur *Granviller* vel *Grattepance*; aliis *Clermont en Beauvoisin*, Vigenereo *Beaumont* ad Æsiam. Bratuspantii memoria servatur in vita S. Gilberti: item in Historia Anstridi Episcopi Vltrajectensis apud Sigebertum. Sed quid opus ex Bratuspantio Bellovacum facere, cum ipse Cæsar loco supra citato *Bellovacum civitatem* nominet, à qua populi Bellovaci dicti. *Bratuspantium* & *Bellovacum* urbes distinguit, licet utramque in ditione Bellovacorum ponat. Fuit & *Belgium* civitas Bellovacorum magna & inter Belgas auctoritate atque hominum multitudine præstans, in qua Cæsar interdum hiemavit; ac plures ejus legiones interdum in hibernis fuere. Guicciardinus Inferioris Germaniæ scriptor, hanc urbem Bellovacum Picardorum esse disputat, non *Bavacum, Bavais*, Walonense in Hannonia.

Est autem Bellovacum urbs situ amœnissimo, adsitos habens hinc montes fertiles, sed non adeo excelsos, inde agros excipiendæ fementi commodos. Nec desunt vina. Incolis præsertim fœminis magna sunt privilegia, à Ludovico XI Francorum Rege ipsis concessa anno CIↃ CCCC LXXII, quod Carolum Burgundiæ ducem obsidionem solvere, reque infecta abire coegerunt, postquam mensem in obsidione trivisset.

Deducitur intra urbem rivus canali exceptus, qui eam perluit. Prope fluunt Thara & Therina; Thara autẽ lapideũ pontem habet antequam in Æsiam labatur, à quo ponte collocatis equis tractoriis efficitur, ut facilius magna onera ex Æsia accipiat, cujusmodi sunt navigia sale onusta. Episcopatu claret, cujus Episcopi se Comites scribunt & Pares Franciæ. Sunt in hac urbe Ecclesiæ 30, ex quibus 13 Parochiales, & 6 collegiatæ, in quarum primaria D. Petro dicata numerantur 42. Canonici. At in tota Diœcesi numerantur circiter 400. Ecclesiæ Parochiales, in novem Decanatus distributæ, præter Abbatias, quæ sequuntur & Prioratus quinquaginta. Qui Episcoporũ hujus urbis catalogos contexunt, primum ponunt S. Lucianum. Episcopos numerant 86, quorum agmen claudit Augustinus, Renati prædecessores fui frater, ex Succentore Canonico, postea Annæ Reginæ Francorũ Eleæmosynarius. Numerat eos Belleforestus LXXIV, eorumque ultimum Carolum Borbonium. *Episcopatus.*

Haud procul Bellovaco est Claromontium Clermont Comitatus, jure Apanagii à Rege Ludovico XI qui Sanctus cognominatus, datus Roberto filio. Hujus filius Ludovicus cognomine Magnus, Comes Claromõtanus II, à Philippo VI, Valesio Francorum Rege primus Borbonii Dux factus est anno CIↃ CCCXXIX, à quo deinceps Borboniorum stemma productum. Oppidum est arce munitum. *Clermont.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [202] - -
PUBLIC DOMAIN





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [203] - ...



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [204] - -

PUBLIC DOMAIN

NORMANNIA,

vulgo

NORMANDIE.

Origo nominis.

NOormannia olim *Weſtria*, corrupte *Neuſtria* dicta, nomen habet a populis Septemtrionalibus, a quibus occupata fuit. *Nort* enim Septemtrionalem plagam, *Man* virum denotat. De illorum in Germaniam Galliamq; excurſionibus paſſim hiſtoricorum monumenta loquuntur. Maxima facta fuit Duce Rollone, tempore Caroli Simplicis, qui eo tandem redactus eſt, ut Rolloni Chriſtianam fidem amplexo filiam Gillam uxorem, totamq; Neuſtriam cum Britannia in dotem dederit. De illa irruptione laudat Merula verba Concilii Meldenſis anno 845 celebrati: *Quia divinas juſſiones non ſequuta eſt obedientia, dedit Dominus ab Aquilone, unde juxta Prophetam pandetur malum, dignos merito noſtris Apoſtolos, crudeles videlicet & immaniſſimos Chriſtianitatis perſecutores, qui Pariſios uſq; venientes, quod juſſit Dominus, monſtraverunt.*

Limites. Fines habet ad Ortum Eptam fluvium, qui illam a Francia dividit. Hic e fonte cognomine oriens duabus leucis aut circiter a Gornajo, fecat Giſortium, & apud Guidonis rupem (vulgo *Roche Guyon*) ſeptem a Giſortio leucis Sequanæ permiſcetur; ad Occidentem fluvium Crenonem, vulgo *Cenon* aut *Coëſnon*, qui a Fulgeriarum valida munitione fluens Britanniam a Normandia dividit ad pontem Orſon, indeq; verſus montem S. Michaëlis deſcendens in mare labitur; ad Septemtrionem eſt mare Britannicum; ad Meridiem ſunt Cenomani.

Regionis & ſoli natura & populorũ. Regio hæc licet neq; paſcuis neq; arvis deſtituatur, tamen ob maris vicinia incolarum ingenia magis mercatura quã agricultura delectantur: neq; tamen propterea aut vino aut frugibus, aut ullo alio annonæ genere deſtituitur. Vini quoq; inopiam ſupplet pyraſium aut ſiſera. Vicina autem mari fere ſterilia ſunt, aut cultoribus ſuis ingrata. Indigenæ cauti & doloſi, externarum legum impatientes ſunt, ſuarum ad pertinaciam uſq; tenaces: litium avidi & omnium ambagum ſcioli; quam ob cauſam eorum conſortiis minus gaudent peregrini. Cæterum ingenio ſunt urbano, & omnium artium ac ſcientiarum capaci.

Veteres populi. Ducatus. Comitatus. Regnum. Olim Normanniam inhabitarunt *Veneſſocaſſes*, *Bajocaſſes*, *Abrincanti*, *Aulerci*, *Eburovices*, *Sai*, *Seſuni*, *Conſtantienſes*, *Lexovii*, *Caletes* & *Nervii*. Ducatus in illa tres, Alançonius, Aumalius & Longevillæus. Comitatus plures. Regnum etiam, ſed perexiguum, vulgo *Royaume d'Yvetot*. Titulus Regni natus ſub Clotario 1, qui Dominum *d' Yvetot* obtruncaverat, damnatus ideo Romani Pontificis ſententia, ut occiſi hæredibus jus ſupremi imperii concederet. Dividitur in ſuperiorem & inferiorem. In ſuperiore ſunt Ducatus illi tres jam nominati: Comitatus ſeptem, *Ecy* ex parte, nam pars in Francia eſt: *Harcourt*, *Evreux*, *Tancarville*, *Malevrier*, *Mortain* & *Mongommery*: quibus addunt *Vexin le Normand* & *Baronatus l'Aigle*. In inferiore cenſentur *le pais de Caux*, *de Beſſin*, *Conſtantin*, *Hovinet*, *Yvetot*, *le Vaux de Vire*.

Diviſio Normanniæ.

Metropolis Rotomagus. Metropolis Provinciæ eſt Rotomagus, vulgo *Roven.* Nominis etymologiæ variæ traduntur, & haud paucæ ridiculæ. Imprimis mirum eſt, in ſyllaba *magus* Regem Magum quæri, quæ Germanis *urbem* ſignificat, urbiumq; nominibus ab illis adjici ſolet, quemadmodum a Gallis *ville* Germanis itidem *Stat*. Verior videtur derivatio ab idolo *Rots*, quod his locis adorabatur; fidem etiam faciente pago tres quatuorve leucas hinc diſtante, qui *Mont-Roth* dicitur: Exſtirpavit idoli cultum S. Melo, juxta hymnum ipſi ſcriptum:

Extirpato Roth idolo,
Fides eſt in lumine:
Ferro cinctus, pane ſolo
Paſcitur & flumine.
Poſt hæc junctus eſt in Polo,
Cum Sanctorum agmine.

Urbis ſitus. Urbs ampliſſima eſt & elegantiſſima; a Meridie Sequanæ æſtuario clauditur, quod ponte lapideo eximii operis jungitur, & in ulteriore ripa S. Severi ſuburbium habet; ad Septemtrionẽ prælatos colles impoſitos ſpectat, & ad pedes eorum Albetam amniculum, qui Darnetalium, panificio nobile, municipium alluit, tum quaſi in ſuburbano poſitos & lætiſſimos paſcuis campos habet. Ad Ortum ſupra viam Pariſienſem in præcelſo aliis contiguo colle S. Catharinæ cœnobium eminet; a Gabriele Comite Mongomerio quondam munitum; ab eadem parte Rebeca amnis influit, & juxta Santhilariana portam intra urbem receptus undecim molatrinis ſervit, & inter Portuenſem & Guilielmi Leonis portas in Sequanam exoneratur. Vetus palatium forma quadrata in uno angulo, qui Caletenſe ſuburbium altero latere reſpicit, ſitum eſt, & Sequanæ altero latere imminet; arx ſemidiruta ad Occaſum vergit, inter Boveroliam, ſed huic propior ad Caletenſem portam ſita. Templum primarium eſt B. Virginis, exquiſitæ artis & elegantiæ, ſive exterius illud, ſive interius contempleris. Tribus decoratur turribus, S. Romani, Butyracea & Pyramide. Butyracea nomen habet, quod ex eo argento exſtructa fuerit, quod Archiepiſcopus Georgius Amboſius ex indultu eſu butyri tempore Quadrageſimæ collegerat, exactis ab unoquoq; nummis ſex. In ea ſpectatur campana totius Galliæ maxima, tredecim pedes alta, triginta duos lata, undecim in diametro, pondere librarum 40000, aut 36000, uti alii volunt, craſſitie magis conſpicua quam magnitudine; illi Gallice inſcriptum: *Templa.*

Ie ſuis nommee George d' Amboiſe,
Qui plus trente ſix mille poiſe;
Et qui bien me peſera,
Quarante mille il trouvera.

Pyramis ex ligno mirabili artificio erecta, plumboq; veſtita, hinc inde deaurata eſt. In faſtigio etiam templi ſtatua D. Georgii collocata eſt, eaq; pulcherrima. In ſacello pone chorum, quod vocant *d' Amboiſe*, viſu digniſſimum eſt Epitaphium Cardinalis Amboſii, Domini de Breſay, Seneſcalli Normanniæ & aliorum. Prope chorum pictus eſt draco, qui infeſtiſſimus dicitur fuiſſe incolis, & obtentu ſtolæ victus a S. Romano, (alii S. Orentium ſucceſſorem ejus hoc feciſſe narrant) cui adjuncti tum fuere captivi duo capitis rei, quorum tamen unus aufugerat. Inde invaluit mos, ut Archiepiſcopo & Canonicis hujus ædis liceat quotannis liberare unum ex captivis, poſtquam omnium confeſſiones audiverunt; fitq; hoc feſto Aſcenſionis: quin & in memoriam hujus libe-





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [204] -

rationis quotannis processio celebratur, in qua captivus iste septem continuis annis tenetur adesse; vel ipse, aut, si fieri nequit, per alium. Aliud templum splendidissimum & nitidissimum est S. Oventii, vulgo *S. Oüet*, cum cœnobio contiguo, a Clotario Rege loco totius urbis amœnissimo conditum. Hortos vicinos habet perelegantes; duas fenestras e regione sibi obversas, figuram rosarum repræsentantes; alteram a magistro, a discipulo alteram structam; quorum ille, cum invidia & æmulatione motus discipulũ occidisset, laqueo suffocatus fuit: uterq; in templo hoc prope chorum humati narrantur. In hoc monasterium, quoties huc veniunt Reges Galliæ, divertere solent. Palatium curiæ Parlamenti, opus est laudatissimum: atria & cubicula magnifica. Imprimis elegantissimum est atrium, quod vocant *la chambre doree*. Alia insuper palatia Principum ædesq; privatæ splendoris non exigui in hac urbe visuntur.

Parlamẽti sedes & Archiepiscopatus.

Parlamenti sedes est & Archiepiscopatus. Parlamento Rotomagensi subest Archiepiscopatus Rotomagensis; Episcopatus sex: Abrincensis, Ebrocensis, Bajocensis, Sajensis, Constantiensis, Lexoviensis; vulgo *Aurenches, Evreux, Bajeux, Sais, Contances, Lisieux*. Archiepiscopos numerat Claudius Roberti LXXXVI, quorũ primum facit S. Nicasium a B. Clemente missum, ultimum Franciscum filium Joannis *de Harlay*.

Aliæ urbes.

Arborica sive Arinca, vulgo *Auranches*, urbs maritima in edito tumulo sita, qui Oceano imminet, valido muro & profundissima fossa cincta; suburbia habet ampla: deniq; sedes est antiqui Episcopatus.

Eburonicum vulgo *Evreux*, urbs Episcopalis insignis, prope quam Audura amnis labitur. Hæc Comitatui nomen dat, in quo præterea hæc sunt oppida *Vernon*, quod egregium pontẽ lapideum habet; *Aigle* quod Ailla fluvius lambit: *Passen, Ivren, Tuillieres, Conches, Bretueil* juxta pulcherrimum nemus: *Rugles, Bruin* & *Hermeinville*.

Bajocassium urbs, vulgo *Bajeux*, ab Oceano leuca & dimidia distat, Episcopatu illustris; alluit ad Orientem amnis Aura: itemq; Droma una circiter leuca ab urbe labitur, valde periculosus: portum habet ad mare.

Ad hunc Episcopatum pertinent plures urbes, præsertim Cadomum vulgo *Caen*, quam idem Olena interfluit, ponteq; jungitur e tribus fornicibus compositio: hic quoq; Udo amnis vulgo *Ouden* in Oleanam influit. Navigia magna ab Oceano Cadomum non exiguo ipsius commodo quæstuq; civium a fluxu maris impelluntur.

Sesurrii vulgo *Seez* urbs Episcopalis, quinq; leucis distans ab Alençonio, interluit Olena fluvius.

Sub Episcopatu item Sesuvienſi comprehenduntur plurimæ urbes, tam in Ducatu Alençonico, quam ditione Perchensi.

Vexinensis agri præcipuum oppidum est *Gosortium*; municipium (inquit Masson) elegans & bene situm.

Regionis quam vocant *de Caux* (Caletes antiquitus fuisse quidã opinantur) præcipua urbs est *Dieppa*. *Dieppa* egredientibus duo colles occurrunt, a Petuna amne, qui Essuorum oppidum alluit, & in quem leucarum undecim spatio maris æstus refluit divisi; dextrum latus palus occupat & prata fere semper irrigua, & ab utraque amnis ripa ad pedem usq; collis porrecta; ad lævam Arcuense municipiũ jacet, & alteri colli impositа arx, quæ planitiem satis latam in summo colle sese aperientem despicit. Urbs portum habet satis notum. Reliqua sunt *Harfleu*: Honflorium in æstuario Sequanæ situm castellum, collibus undiq; veluti conclusum.

Portus Graciæ, quem Franciscus I ædificare cœpit adversus vim Anglorum; Henricus vero filius egregie munivit.

In Constantiensi territorio præter oppidum *Constances*, castra Constantia vocant, sunt *Valoigne*, Cheriburgum munitissimum oppidum ad mare, & alia quædam minoris momenti.

Ivetotium municipium est hodie illustrissimæ & antiquitate & meritis Bellajorum familiæ, regni titulo ex ea occasione celebre, quod cum Clotarius Rex, dum Augustę Suessionũ esset circa Salvatoris annum DXXXIV, Valterum loci Dominũ a bello contra Saracenos bene gesto reducem, sibi olim invisum ipso passionis Dominicæ die, in facello agnitum, arrepto unius e stipatoribus gladio occidisset. Nam Agapeto Pontifice diras interminante, nisi Rex de cæde tanto sacrilegio patrata uxori liberisq; interfecti satisfaceret, ille ut piaculo se solveret, fidẽ ratione beneficiarii fundi a Valteri hæredibus sibi tanquam Regi ac supremo Domino debitam, remisisse dicitur, &c. Et fide huic historiæ derogata ita concludit, ut ut sit, Ivetiorum Regni nomen retinet, & ab omni fidei præstatione liberum est.

Falesia (vulgo *Falaise*) in clivo munitum situ oppidum, & aquæ inexhaustæ stagno ab ima parte circumdatum, arcem secundum Cadomensem omnium provinciæ firmissimam habet. Gibræum tanquam suburbium illi annexum, nundinis tota provincia celeberrimum.

Duces Alençonii.

De Ducatibus superioris Normanniæ pauca addamus: Alençonium ad Sartram fluvium, qui apud Andegavenses in Ligerim provolvitur, Comitatus olim titulo fuit celebre. Primus Valesiorum & Alençonii Comes legitur Carolus Philippi III Franciæ Regis filius. Hic tres habuit conjuges, Clementiam Caroli Secundi Regis Apuliæ: Catharinam Philippi filiam, Balduini I Imperatoris Bizantini neptem: Machtildem Guidonis Castilionæi Comitis S. Pauli filiam. Ex hac Ludovicus, quo improli decedente, Comitatus ad Carolum II fratrem est devolutus. Huic successit Carolus III, filius, quo in Archiepiscopum Lugdunensem lecto, Comes V factus est frater Petrus, pater Joannis, quem primum Alençonii Ducem inauguravit Carolus VI Rex Franciæ. Hunc sequuti Joannes II Dux secundus, Renatus Dux tertius & Comes Persenensis: Carolus deniq; IV Dux quartus, quo sine liberis extincto, Ducatus ad Francisci primũ Francorum Regem rediit. Renatum rursus Ducatus nomẽ in Hercule Andegavensi, qui postea Francisci nomen assumpsit. Hic sine masculo hærede defunctus, Regno restituit Ducatum. Quod ad Ducatum *Aumaliæ* attinet, Antonius Comes Vadimontius duxit Mariam filiam & hæredem Ioannis Harcuriæ & *Aumaliæ* Comitis. Hinc natus Fredericus Comes Vadimontius & *Aumalius*. Hic, cum Jolem duxisset Renati Andegavensis Regis Siciliæ filiam, Lotharingiæ Ducatum hærede vacuum ad veterem stirpem Bilianæam reduxit, successorem nactus Renatum, Lotharingiæ Ducem, Comitemque Vadimontium & *Aumalium*; cui cum plures essent liberi, Claudius septimo loco natus Dux Guisiæ & *Aumaliæ*, Comitatu jam in Ducatum evecto ab Henrico II anno 1547. Huic filius fuit Claudius Dux *Aumalius*, cui cum unica esset filia Catharinam, Nicolao Comiti Vadimontio suo agnato elocavit. De Ducatu Longavillano nihil habeo quod attexam.

Aumaliæ Duces.

Longevillani.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [207] - -
PUBLIC DOMAIN

BAILLIVATVS CAVXENSIS vulgò LE PAYS DE CAVX.

NOrmannia dividitur in Superiorem & Inferiorem. In Superiore ſunt tres Ducatus, videlicet, Alançonius, Aumalius & Longævilleus. Comitatus vero ſeptem, *Ecy* ex parte ; nam pars quædam in Francia eſt ; *Harcourt, Evreux, Tancarville, Malewrier, Mortain & Mongommery*, quibus addunt *Vexin le Normand* & Baronatum *l'Aigle*. In Inferiore cenſentur, *Le pays de Caux, de Beßin, Conſtantin, Hovinet, Yvetot, le Vaux de Vrie*.

Le pays de Caux ſive Baillivatus Cauxenſis continetur, uti modo diximus, Inferiori Normannia quę cum Superiori regnum olim conſtituebat. Regionis quam vocant hodie *de Caux* incolas *Caletes* antiquitus fuiſſe quidam opinantur authoritate Iulii Cæſaris moti, qui eos ejuſmodi nomine celebrat. Hi nominantur Oroſio lib. 4. cap. XI *Caleti* (quanquam in quibuſdam exemplaribus, ſed vitioſe *Saletes* legatur.) Straboni dicuntur Καλέτοι à Sequanæ fluminis trajectu quod vulgo *Seyne* indigitatur. Et in alio ejuſdem authoris jam dicti libro, mendoſe tamen, Ταδέτοι. A quo loco vix integri diei ſpatio in Angliam trajici poteſt. Ptolomæo ſunt Καλήτιοι & Plinio, non autem proprie, Galleti, ſiquidem ille lib. 12. cap. 2. *Caletes* appellat. Hodie ut ſupra diximus Le Baillage de Caux en Normandie vulgo nominatur, ex Sententia nobiliſſimi viri Scaligeri, Tournebi & Divieni aliorumque. Ambigo tamen, ignorans an ſit intelligendum ibidem oppidum Caily ſive Caletum, ſiquidem tota via aberrant qui opinantur civitatem Morinorum (hodie *Terovannois*) à Gallis obſeſſam, & expugnatam 1558 Angliſque ſic ablatam, *Caleſium* eſſe. Veriſimilius eſt quod hinc Colonia à Calis unà cum nomine ſit deducta.

Caletes.

Caux ſitum habet inſtar Cherſoneſi, Sequanâ circumquaque aliiſque amnibus unà cum mari involvitur. Ejus fines extenduntur ad *Treport* & hinc uſque ad Civitatem *S. Valerii* prope *Abeville* & oppidulum *Hu* ſitam. Promontorium habet quod à Gallis *Capo de Caulx* ſive *le Groing de Caux* nuncupatur ; illud ex Sequana in Angliam ſolventes, præternavigant.

Caux.

Hujus tractus præcipua urbs eſt Diepa, vulgo *Diepe*, nomen à præterfluente amne ſortita. Diepa egredientibus duo colles occurrunt, à Betuna amne, qui Eſſuorum oppidum alluit & in quem leucarum undecim ſpatio, maris æſtus refluit diviſi ; dextrum latus palus occupat, & prata fere ſemper irrigua ab utraque amnis ripa ad pedem uſque collis porrecta. Ad lævam Arcuenſe municipium jacet & alteri colli impoſita arx, quæ planitiem ſatis latam in ſummo colle ſeſe aperientem deſpicit. Vrbs hæc portum habet ſatis notum. Ejus incolæ æternum nomẽ ſibi compararunt, ob navalem expeditionem quam in omnes Mundi partes per Oceanum fecerunt. Reliqua oppidula ſunt *Harfleu* forma pene lunari jacet (ut quidam volunt) ad dexteram Sequanæ ripam ; *Honfleu* ſive Honflorium in ſiniſtro Sequanæ æſtuario ſitum caſtellum, undique collibus fere concluditur, quod etiam ob portum commodum celebratur : Ptolomæo (ſecundum quorundam opinionem) Ιουλιόβονα Antonino, & Tabulæ itinerariæ vocatur, ubi (mendoſe) *Iuliobona* legitur. Sigbertus etiam narrat & refert de Iuliobona, quam vult à Iulio Cæſare ædificatam, ſuoque nomine inſignitam poſt Caleſii deſtructionem. Hadrianus Tournebus Iuliobonam nominat Villebon, *Havre de grace*, quod portum Salutis ſive Gratiæ Latinè nominares, locus eſt pyratis admodum formidabilis, & ab hac parte regni Gallię Clavis & malleus. Hæc civitas fundata creditur anno reparatæ Salutis noſtræ CIↃ IↃIX. *Caudebec* ad dextrum Sequanæ littus conſpicitur. *Feſcamp* Latine ſonat quaſi terra fiſcalis ſive fiſci, celebrem habet Abbatiam ob ſepulturam Normanniæ Ducum quæ hic magnificè viſitur. Vbi inter alios ſepulti ſunt Richardus primus, Richardus ſecundus cognomento Intrepidus, quorum alter pater, alter filius fuit, & tertius & quartus Normanniæ Comites.

Diepa metropolis.

Harfleu.

Honfleu.

Iuliobona.

Havre de grace.

Caudebec.

Feſcamp.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [208] - -
PUBLIC DOMAIN





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [209] -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [210] - -
PUBLIC DOMAIN

BELSIA
Vulgo
LA BEAUSSE.

Belsia divisio.

BELSIA vernacule *la Beausse*, dividitur in tres partes; Superiorem nempe, Inferiorem & Mediam. Superior initium sumit à vico, qui vulgo *Ablys* appellatur, petens porro Carnutum agros & ulteriora. In ea sunt primò *Carnutum* regio, vulgo *le Chartrain*, sub qua censentur Comitatus Drocensis & Montifortius. Oppidum *Chartres*, olim *Autricum Carnutum*, hodie postremi non est loci, situm in planicie, partim in colle, frequentibus ædificiis refertum, mœnibus firmis cinctum, aggeribus fossisque circumvallatum, incolarum frequentia pollens. Perluit ad collis pedem fluvius, pistrinis versandis commodus, qui è Perchensibus ortus, hucusque civium industria derivatus, apud Luparias (Louviers) paulo supra Rotomagũ in majores Sequanæ undas influit. Summum templum Mariæ Virgini est consecratum, in cujus crypta puteus ostenditur *Sanctorum Fortium* dictus, in quem, quũ Carnutes Christo nomen primitus dedissent, magnus Christianorũ numerus ab Quirino Galliæ Proconsule dicitur præcipitatus. Adservari hic etiam fertur ingenti pietate Subucula D. Virginis. Portas habet octo, quarum sex patent; reliquas bella clauserunt civilia, quibus anno 1567 fuit obsessum oppugnatumq;, sed virtute Lignerii fortiter defensum.

Carnutes.

Chartres.

Suos olim habuit Comites. Eorum ni fallor, progenitor Otho, cujus pater Theobaldus Senior, Rollonis Normanni adgnatus, Comes Blesensis, Carnutum armis acquisiverat. Otho quosdã habuit successores, filios Theobaldum II improlem & Stephanum: nepotem ex posteriore Theobaldum III, & pronepotem Theobaldum IV improlem: post quem nihil amplius de Carnutensibus Comitibus ego quidem invenio.

Carnutes humani sunt, inter se amantes, in peregrinos faciles, religionis antiquæ tenaces, munifici in pauperes ac mercaturæ studiosi. Hæc regio neque montes, neque fluvios, neq; silvas, neq; vites habet, nec prata, nisi paucissima, propterea putei Belsiani, fontes à præteruntibus vocantur. Unde versus nescio cujus poetæ circum feruntur:

Belsia triste solum, cui desunt bis tria solum;
Fontes, prata, nemus, lapides arbusta racemus.

Frumenti hic summa ubertas, & non sine causa urbis Parisiorum granarium appellatur. Aquas vero pluvias Belsiani habent ad aquandum animalia, easq; in concavis colligunt locis & resides arte faciunt *Marasque* vocant. Drocæ vulgo *Dreux* antiqua urbs & pulchra & Druydum quondam conventu celebris, ut creditur; ad fluvium Ebrum jacet, qui vulgo *Eureux*. Comitatus est, ut & Montfortius *le Comte de Montfort*, eum inter alios obtinuisse legitur Robertus IV, Dreusii comes, uxore ducta Beatrice Joannis Comitis Montfortii filia & hærede. Montfortiũ oppidum, medio fere inter Druydum urbem & Lutetiam itinere.

Dreux.

Pertinent insuper ad Belsiam superiorẽ *Ducatus Andegavensis*, & sub illo Comitatus *Maine*. Ille à pago *Chousay* incipit & definit inter *Moncontour* & *Herraut*, ubi Pictavienſe territorium incipit, quod limitem illius claudit ad Meridiem; ad Orientem habet Turonensem & Vindocinam ditionem; ad Septentrionem Comitatus *Maine* & *Laval*; ad Occidentem Britanniam. Regio fertilis & amœna, colles vitibus consiti & vina alba, hujus Provinciæ laudatissima. Metropolis Ducatus Andegavum vulgo *Angiers* ad utramq; Meduanæ ripam sita, quam pons lapideus jungit. Sunt præterea in hoc Ducatu Salmurium, cum arce ad Ligerim in edito colle posita, ripæ fluminis lapideo ponte junguntur, *Montereau*, *Bauge*, *la Fleche*, *Segre* &c.

Ducatus Andegavensis.

Termini.

Tertio in Superiore Belsia ponitur *Comitatus Perchensis*, in quo sunt *Perche-govet*, cujus principale oppidũ est *Nogent le retrou*, & *Haute perche*, cujus præcipuum oppidum *Mortagne*.

Comitatus Perchensis.

Inferior BELSIA campestris omnino & plana; porrecta inter Episcopatus Aurelianensem & Carnutensem, ab oppido Stampensi procurrit versus Orientem quidem ad Senones usque; versus Meridiem ad pontem Aurelianensem. In ea censentur Ducatus *Aurelianensis*, ditionesque vel territoria *Lorriacum* & *Solonium*. Ducatus Aurelianensis metropolis est *Aurelia* vulgo *Orleans*. Olim Genabum vocabatur, testante inter alios hoc Cæsare *de bello Galliæ lib. 7. & 8.* imprimis vero Aimonio, qui lib. 1. cap. 5. Genabus ubi nunc Aurelianis; ne quis cum Vulgo Genabũ quærat, ubi nunc Gedunum vulgo *Gyan*; & Carnutibus accensebatur, quorum horreum & forum dicta fuit. Druydes condidisse eam creduntur initio, quibus Carnutensis regio, sylvis opaca, olim inhabitata. Parva ea ante, amplificata fuit ab Aureliano Imperatore; non tamen in eam magnitudinem, qua nunc est: nam urbis pomeria secundo prolata fuere, accessitq; ei portio non exigua ad portam Burgundicam, mœnibus antiquis & porta Burgundica prisca rei fidem facientibus. Illam Aureliani amplificationem Bellesorestius factum ait in gratiam Druydum conditorum, qui de ipsius imperio prædixerant. Inde etiam nomen aliud à vetere adepta est, ut Aurelianis & Aurelia vocari inceperit. Acclivis est colle è dextera ligeris ripa clementer ascendente. Ipsa urbis mœnia Liger alluit, longitudinemque ejus tantum non recta linea designat, latitudine à superiore angulo in figurã multangulam se diffundente, & rursus se paullatim ad inferiorem coarctante. In medio fluminis jacet insula amœnissima, partim tiliis, si recte memini, latissimam umbram diffundentibus opaca, partim ædibus occupata. Hæc insula ponte connectitur hinc urbi, inde suburbio *Pontereau* dicto, quod, uti & reliqua & elegantissimum est & amplissimum, plurimaque diversoria præbet rusticis ex Solonia fruges advehentibus. Extremus pons propugnaculis, turribusq; probe munitus est & porta præbet venientibus aditum. Ipsa urbs munita est aggere terreo, muris crassissimis, plures turres rotundas massa terrea repletas in fossam protrudentibus, injecto. Bellorum tamen civilium tempore quam hinc inde tormentorum ictibus conquassata fuerint mœnia & imprimis turres illæ, ruinæ adhuc passim superstites loquuntur. Res vitæ sustentandæ necessarias desiderat nullas, & imprimis vinum, quod ex circumjacente agro colligitur & generosissimis Galliæ accensetur; sanitati tamen proficuum non creditur sic, ut etiam Pincernæ regio hoc Principi suo propinare vetitũ perhibeant. Linguæ Gallicanæ elegantia hic & Blæsis ea floret, ut palmam facile præripiant omnibus. Hinc Gal-

Inferior Belsia.

Situs.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [211] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [212] - -

Belsia vulgo la Beausse.

lis Aurelianiſmus, quod Græcis Atticiſmus.

Epiſcopatus. Sedem hodie præbet Epiſcopo hæc urbs. Habuit inter alios præſules Anianum, quem vitæ ſanctitas Divorum numero intulit, urbis etiam tutelarem fecit. Superbiebat olim Regni titulo una cum Lutetia Sueſſonum & Mediomatricum urbe, cum Clodovæus & poſt eum Clotharius primus relinquerent quatuor filios. Sed quadriſidum hoc regnum non multo poſt temporis in unum *Regnum olim.* *Ducatus hodie.* Franciæ coaluit. Ducatus appellationem etiamnum retinet, qui ipſi primū datus fuit, cum à Ioanne Rege Philippo Comiti Valeſio in feudum concederetur. Sed moriente Duce Philippo & hic ejus titulus intercidebat; donec tandem illum redipiſceretur ſub rege Carolo hujus nominis quinto, qui in perpetuū valitura lege ſanxit, ut ſecundo genitus filio Regis, Ducis Aurelianenſis nomine cenſeretur & hoc ſibi haberet Appennagium. Tri- *Sedes præſidiales.* bunali, præſidiali & præfectura ſive Baillivatu fulget, ſuntque ei ſubalternatæ urbes compluſculæ aliæ & oppida, quorum præcipua ſunt, uti Gallice vocantur *Montargis, Baugenci, Gyan, Lorris, Gergeau, Meun ſur Loire* & in proximo alia.

Templum S. Crucis. Ædificiis omnibus exſtat Ædes S. Crucis, miſerum heu in modum bellorum civiliu turbis, qui intempeſtivo religionis zelo in ædium divino cultui dicatarū ruinam præcipites ferebantur, tantum non funditus everſa. Editiſſima ipſi impoſita fuerat turris, quæ & Rableſio in ſcriptis ſuis ſatyricis pro exemplo excelſiſſimæ fuit; ac in Germania Argentoratenſis eſſe ſolet. Integri ædificii icon ex charta glutine roborata, uti olim fuerat, monſtratur in ædibus civis cujuſdam prope hoſpitium ad inſigne ſcuti Francici. Centum & octoginta paſſuum eſt longitudo & latitudo quadraginta minus. Tanti operis pluſquam ſemidiruti reſtaurator eſſe voluit, qui regnum perinde laceram reſtauraverat, magnus Henricus IV, ſuaque & Reginæ manu primum lapidem poſuit noviſſimo anno Iubilæo. Atq; hactenus quidem immani ſumptu non pœnitenda moles evecta conſpicitur, quæ tamen compoſita ad id, quod reſtat, parum videri alicui poſſit, Adeo unius diei ruina cum reparari debet, multorum eſt annorum, hominum, impenſarum.

Ad dextram introitus templi viſitur inſcriptio teſtis manumiſſionis in Eccleſia factæ, à viris doctis in ſcripta ſua relata. Quæ talis eſt: EX BENEFICIO S. CRUCIS PER JOANNEM EPISCOPUM ET PER ALBERTUM S. CRUCIS CASATUM. FACTUS EST LIBER & LIBERTUS TESTE HAC. S. ECCLESIA. Non quidem tot apicibus, ſed partim notis, partim aliis compendiis lapidi inciſa. Baſilica urbis *Baſilica.* impoſitam ſibi habet turrim, ex qua nunc omnium optime deſuper urbis faciem arbitrari licet. Palatium ſive *Palatium.* Tribunal contiguum eſt Ligeri, nullius quidem ſplendoris, ſed vel ideo viſendum, quia amni plane incumbit. Ædificia privata ſatis ſplendida, imprimis interius, in hac *Ædificia.* urbe ſunt plurima. Plateæ eleganti pavimento ex lapide quadrato minuſculo ſtratæ, nulla impuritate in ambulantes maculant.

Areæ complures, majores, minores, quarum celebra- *Areæ.* tiores ſunt *la place de L' Eſtappe, le Martroy* (ubi ſupplicium de reis ſumitur, unde & nomen mutuata creditur) *S. Aignan, les Mottes.* Nonnullæ arboribus latiſſime ramos diffundentibus inopacantur, quod præ omnibus, aliis amœnitatem Aureliæ incomparabilem conciliare videtur.

Summa: ut uno verbo concludam. Merebatur hujus urbis ſplendor & amœnitas magni Regis de ſe judiciū, qui interrogatus ab Imperatore; ecquam regni ſui urbem reliquis præferret? reſpondiſſe; jactatur AURELIAM. Cumq; Imperator QUID LUTETIA? ingeminaſſet: Mundus eſt Lutetia, retuliſſe fertur non urbs. Vulgo etiam notum eſt, eundem Imperatorem dixiſſe quod quinque in Gallia notatu digna viderit: Domum *Rochefoucaut* pagum *Poictiers*; hortum *Tours*, urbem *Orleans*, mundum Lutetiam.

Territorium Lorriacū *Païs de Lorris* dicitur à Lor- *Lorriacum.* riaco, oppido quondā non ignobili. *Solonia* comprehen- *Soloniæ.* dit, quicquid eſt trans Ligerim ab Aurelianenſi urbe ad Ambocienſes uſq; & hinc porrigens ſe verſus Orientem per adjacentia Cari fluvio loca Eſt autē duplex *Superior*, ubi agri ſiliginei, ericeta, ſylvæ: *Inferior*, multis rivulis paſcuiſq; ornata, arenoſior & non ita pinguis; præcipua urbs vulgo *Romorantin.* Sunt & aliæ: *Chaſteauneuf, Aubigny, Noſtre Dame de Cleriy, Iargeau.*

Media BELSIA eſt, cui tribuitur, quicquid eſt ad *Media Belſia.* utramque Ligeris ripam à Rotomago Vendocinum uſque. Huic autem in dextra ejuſdem Ligeris ripa, quicquid Caſtelloduno porrigitur Bleſas & ad Turonenſium uſque agros. In illa ſunt Comitatus Bleſenſis, ſub quo Dunenſis Comitatus, cujus præcipuum oppidum *Caſtellodunum*; & comitatus *Torodori*. Deinde *Vindocinus* Ducatus; tertio Ducatus *Turonenſis*. Vindocini Ducatus oppidum vulgo *Vendoſme*, urbs ad Ledum ſita, foſſa & muro cincta, in ſummo arcem ſaxo impoſitam habet, undique qua parte urbem ſpectat, prærupto; qua campos foſſa profunda, muro & turribus vallata. Ejuſdem caſtella ſunt Laverdinum & Montorium.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [213] - -
PUBLIC DOMAIN

COMITATVS PERCHENSIS.

Comitatus Perchenſis diviſio.



COmitatus PERCHENSIS vulgo *Comté du Perche* dividitur in duas partes, quarum una inferior dicitur vulgo le *Perche Covet*, Caſtellania Carnutenſi territorio quaſi incluſa, primarium habens oppidum, quod *Nogent le Retrou* vernacule appellatur: altera ſuperior eſt, quæ proprie Comitatum conſtituit. Oppidum cum aliis habet Mortanjum *Mortaigne*, ubi ſedes Baillivi Perchenſis. Terminatur quà Normannos reſpicit in Vernuellio *Vernueil*; quà Cenomanos in Memerſio *Memers*. Contiguus eſt Perchenſibus Comitatus Cenomanenſis, vulgari lingua *Comté de Maine*, qui tribus præcipue fluviis irrigatur, Meduana, Iedo & Sartra. Ad Belſiam Superiorem pertinet *Carnutum* regio, *Ducatus Andegavenſis* & Comitatus Perchenſis: ad mediam Belſiam ſpectat, quicquid eſt, inde quidem ad utramque Ligeris ripam à Rotomago *Romorantin* populari lingua, quod oppidum ad Sandrum eſt fluvium qui Grandis cognominatur, Vendomium uſque; hinc autem in dextra ejuſdem Ligeris ripa, quicquid Caſtelloduno *Chaſteaudun* porrigitur Bleſas & ad Turonenſium uſque agros. Vocatur hæc pars Belſiæ Vindocina *Vendoſinois*, quod finem ibi capiat verſus Septentrionem, reliquas fertilitate ſua Belſias ſuperat. Comprehendit partim Comitatus Bleſenſem, Dunenſem & Tonnorienſem; partim Ducatus *Vindocinenſem* & *Turonenſem*.

Quatuor provinciæ ad Belſiam Superiorem & Inferiorem pertinent.

Belſiæ diſtrictui Comitia & Concilia ibidem celebrata dignitatem haud exiguam conciliarunt. Academiam hic fundavit, anno 1312 Philippus Rex Francorum, Pulcher dictus, Legum & Iurisprudentiæ nutricem. Docuerunt in ea quondam Ioannes Robertus & Guilielmus Fornerius, & poſt aliquod tempus cũ aliis Iuriſconſultis excellentiſſimus Rodolphus Guilielmi F. Fornerius, cujus perinde ac patris ſcripta in Iurisprudentiæ ſacello, æternæ memoriæ conſecrata exſtant. Magnus hic ſtudioſorum plerumque numerus fere in quatuor nationes diviſus, quarum ſingulis ſuus eſt Procurator. Francorum, Germanorum, Normannorum & Picardorum. Procuratoris Germanorum officium trimeſtre eſt, quod ſplendido & ſumptuoſo in æmulationem convivio auſpicari moris eſſe cœperat, cui ut nunc audio, optimo exemplo modum ſuum eſſe poſitum.

Comitia & Concilia.

Academiæ ibidem celebritas.

Quatuor Nationum variarum collegia.

Procuratori ſuus eſt adſeſſor, os & calamus Nationis, tum etiam Sigilli cuſtos. Suus etiam eſt Nationi ærarius Quæſtor. Quin & octo ſeniores eliguntur, qui in conſilium vocantur, cum res majoris momenti deliberandæ veniunt. Bibliothecarii tandem ſunt facti duo, quorum eſt cottidie diebus profeſtis ab hora prima uſq; ad ſecundam in Bibliotheca comparere, libros petentibus indulgere, ab ipſis qui commodatò eos ſumunt notam rei teſtem exigere. Finito cujuſvis Procuratoris officio commodatos libros repoſcere. Cæterum Bibliotheca omnis generis libris eſt inſtructiſſima. Intellexi Hubertum Giphanium Iuriſconſultum, auctorem fuiſſe ejus inſtituendæ. Offertur Germanis adventantibus per Pedellum Nationis matricula. Cui mirum haut paucos nomina ſua eo uſque negare, ut vel cum incommodo abire malint, quam in hanc civium ſuorum, veluti Rempublicam adoptari, è qua tamen viciſſim commoda haud pœnitenda ipſis percipere licebat.

In Belſia hac inferiore & Blæſiis ea linguæ Gallicanæ elegantia floret, ut palmam facile præripiant omnibus. Hinc Gallis Aurelianiſmus, quod Græcis Atticiſmus. Puellę imprimis excolere illam nituntur ac cum æmulatione ita quidem in ea excellere laborant, ut Pindarum ſe exprimere (*Pindarizer* vocant) gloriari auſint, quod & Merula in Aureliæ deſcriptione adnotavit. Illam tamen elegantiam turpant una atque altera vox & ſignificativa & conſignificativa, quas, ut non facile indigenis eripias, monitus quam facillime evites.

Non tempero hic mihi, quin rem admiratu dignam huc ponam, verbis non meis, ſed Pauli Merulæ. Is ita inſit: *Addam hic, quod fidem excedere videtur. Memorant, cives duos olim captivos fuiſſe apud Turcas viros Chriſtianos, de quibus cum ſupplicium eſſet ſumendum, pridie firmiſſimis arcis fuiſſe incluſos: Eos autem, cum nocte, cui ſupplicii dies inluceret, majorem in modum ſe commendaſſent reliquiis Sanctæ Crucis, quas in Aurelianenſi urbe ſervari fama erat, una cum arcis ex tam longinqua regione Aureliam fuiſſe per aerem tranſportatos intraque ædem poſitos Sanctæ Crucis. Mox, pulſantibus nullo movente campanis, factoque ab Civibus concurſu, arcas ante altare fuiſſe inventas, apertis, captivos, qui apud Turcas adhuc eſſe ſe, quæque ad ſupplicium ſpectabant jam parata putabant, prodiiſſe: re cognita vouiſſe ſe oblaturos ſingulis annis Canales duas magnitudine qua arcæ fuerant, cera plenas. Quicquid ſit hujus*

Miraculum duorũ apud Turcas captivorum per aerẽ Aureliam uſque tranſportatorum.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111-2, [215] - -

miraculi in medio relinquo. Ipſe certe fieri oblationem hanc vidi pridie Sanctæ Crucis, ſecundo Maji, atque adeo, ab coactis hæredibus hujuſmodi voti majorum facto damnatis. Hactenus Merula.

Puellæ Aurelianenſis. Reſtant etiam particularia quædam alibi à nobis non memorata de Inferioris Belſiæ Metropoli Aurelia non equidem tacenda. Imprimis videre ibidem eſt ſtatuam Puellæ Aurelianenſis Ioannæ Darciæ Lotharingiæ, ex pago *Vaucouleurs* oriundæ ab ovium grege divinitus ad Aureliam obſidione liberandam, Regem in thronum ſuum reſtituendum vocatę. Hiſtoria pluribus diverſorum libris conſignata eſt. Statua illa in ponte eſt talis: Beatæ Virginis imago eſt, Salvatoris ad ſepulturam deſtinati iconem ſinu & ulnis geſtans; Vtrinque flexis genibus, hinc Carolus VII Rex cataphractus; inde puella armata & calcaribus equitis in modum accincta, capillitio retro defluente ſupplicant. Imprimis hac de re leges libellũ Pontamuſſi ante paucos annos à puellę gentili, viro doctiſſimo editum, in quo iſtius ævi ſcriptorum teſtimonia magno numero cumulantur, & qui ſuperſtitionis aut veneficii hic comminiſcuntur, refutantur. Quod perinde fit in Paſquerii libro, cujus inſcriptio *Recherches de la France lib. 5. cap. 8.* Gladius puellæ in fano Sancti Dionyſii inter alia κειμήλια adſervatur. In rei liberationiſque memoriam ſupplicationes publicæ, annuæ, perpetuæ decretę ſunt omnis ordinis dignitatiſque civibus, die XII menſis Maji, ſoletque à toto gratulabundorum agmine in pontem procedi, & re divina peracta inde rediri in urbem. Plauſibile etiam diei feſto nomen impoſitum eſt *la feſte de la Ville.*



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [216] - -
PUBLIC DOMAIN

COMITATUS CENOMANENSIS vulgò LE MAINE.

Cenomanenſis Comitatus vulgo Mayne.

Fines.

DVcatui Andegavenſi fidem feudi jure præſtant Comitatus *Cenomanenſis* vulgo *Maine*; Vindocinus vulgo *Vendoſme*, *Beauvortius* & *la Val.* CENOMANENSIS Comitatus, Andegavenſibus, Turonenſibus, Normannis & Perchenſibus contiguus eſt. Tribus fluviis irrigatur: *Meduana*, qui Gallis *Majenne*; *Ledo* qui *Loir*; & *Sarta*. Meduanæ meminit ex emendatione Turnebi Lucanus lib. 1. belli Pharſalici:

In ripis Maduana tuis marcere peroſus.

Meminerunt etiam ejus Regino & Turonenſis. Hodie *Mayne* appellatur. Andegavenſium urbem alluit. Ac de Sarta quidem legitur hic verſus nobilis Poëtæ:

Sartæ fluminis elogia.

Venimus ad Sartam, quo non eſt purior alter.

Aquam Argentei coloris & perſpicuam, atque ut ita dicam, vitream trahit. De eodem Sarta hic quoque ſubjiciam ex vita S. Leonardi, quod ſequitur: *S. Leonardi Monaſterium quinque leucis abeſt ab urbe Cenomanorum, ſitumque eſt ſupra Sartam miſereque afflictum.* In eadem vita, hæc quoque legimus: *S. Leonardus tempore S. Innocentii Epiſcopi, pagum Cenomanicum feliciter illuſtravit; deinde idoneum reperit locellum ſuper fluvium qui dicitur Sarta, qui uſque in hodiernum diem ejuſdem nominis vocabulo inſignitus & S. Leonardi Cella nominatur & fabricavit ibidem Eccleſiam in honorem S. Petri.* Amnis eſt feraxCarpionum atque Tructarum. Meduana etiam Ledum ad ſe fluentem excipit. Oritur autē circa *Iſleras* oppidum Belſiæ, quod Fulbertus Epiſcopus *Carnutum* in epiſtolis nominat. Poſtea *Allogium* eidem Fulberto memoratum, & *Bonam-vallem* Ordinis Ciſtercienſis. Ipſe vero Meduana oritur in finibus Cenomanorum, qua illi ſeparantur à Lugdunenſi ſecunda ſeu Normannia, longoq; curſu Maduanam ſibi cognomine oppidum alluit. Incredibili lenitate fluit, etſi Gregorius Turonenſis eum torrentem appellat. Labitur quidem alluens *Lavallem* ſeu *Vallem Guidonis*, dives oppidum & Gunterii caſtrum. Deinde accepto *Volone* apud Leonium Andegavorum, mox Sarta, qui Alençonium claram urbem Seſuviorum ſecundæ Lugdunenſis allabitur; tum Epiſcopalem Cenomanorum, quę & ipſa tertiæ Lugdunenſi tribuitur; unde progreſſus in fines Andium *Scholium* interluit, poſtea in Meduanam evolvitur, qui apud *Cliſſonem* nomen ſuum amittere à popularibus dicitur his verbis: *Rythmus de Mayenna.*

Au lieu de Cliſſon
Mayenne perd ſon nom.

In vita Mauritii Andegavenſis Epiſcopi leguntur hæc verba: *Cum per Meduanæ fluvium navali ſubvectione in Ligeris alveo, ſecure deſcenderet Mauritius.*

Ornant Provinciam ſaltus ſylvæque, quæ complures hic inveniuntur: *Les Foreſts de Verſay, Longoulnay, Perſi, Sille, Charnay, Audain, Maine, Conciſe.* Tota regio ſuperioribus annis in duas quaſi abiit partes. Civitas Cenomanenſis *le Mans*, ditioni addita eſt Regis Franciæ. Vrbs autem Mœnia *Mayne* cum Marchionatu, nunc in Ducatum evecto, Guiſię gentis agnoſcit dominium. Ioſephus Scaliger putat eſſe οὐίνδιον Ptolomæi, Aulerciorum Cenomanorum caput. Ab initio ſedes Baillivatus, poſt Henricum II, præſidialis eſt facta, ad quam variorum oppidorum appellationes devolvuntur. Hæc Provincia ſub Aquitania comprehenſa aliquando paruit Ducibus Aquitanis; donec inter Reges Francię Ludovicum IX, & Anglię Henricum III pactum fuit, ut Anglus Aquitania, quam à Septentrione Carontonus fluvius; à Meridie Pirenæi montes terminarent, contentus, in perpetuum cederet Normannia terriſque Cenomanorum & Andegavenſium, eique numerarentur 1500 aureorum millia. Rex Franciæ, Ioannes Andium & Cenomanorum Comitatum Ludovico filio ſecundo genito dedit. Donationis Diploma anni CIↃ CCCLX in ſcrinio Regis adhuc viſitur. Ludovici ſtemma tale eſt: *Sylvæ & Saltus.* *Regionis diviſio.*

Comites Cenomanorum.

LUdovicus I Valeſius, Dux Andegavenſis, Cenomanorum Comes à Ioanna I Neapolis Regina adoptatus & Rex Hieroſolymorum, Siciliæ & Neapolis deſignatus, obiit anno 1384 menſe Septembri.

Ludovicus II Dux Andegavenſis, Cenoma-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [218] - -

norum Comes, Rex Hierosolymorum. & Siciliæ, obiit anno 1417.

Ludovicus III Dux Andegavensium & Cenomanorum Comes, à Ioanna II Neopolis Regina adoptatus in Regem Siciliæ, Ducem Calabriæ & Comitem Provinciæ. Sine liberis decessit anno 1434.

Renatus Ludovici frater Dux Andegavensis, Comes Cenomanorum, Dux Calabriæ & Barri, Comes Provinciæ & Guisæ, à Ludovico fratre Germano consensu Ioannæ II hęres institutus. Mortuus est anno 1480.

Carolus, mortuis fratris Renati filio Ioanne Calabriæ Duce,&,ex Ioanne, nepote Nicolao Calabriæ Duce; reliquit jura Regni Neapolitani, Comitatus Provinciæ & Cenomanorum. Hic Ludovicum XI suarum rerum hæredem instituit.

Cenomanorum antiqua memoria.

Cenomani inter Gallię populos celebrantur Cæsari, Ptolomæo & aliis. Civitas Cenomanorum, Notitiæ in Lugdunensi tertia. Cenomanos habet Plinius. Cenomanorum in Italiam irruptiones commemorantur apud varios historiographos, Polybium, Livium, Iustinum. Hinc in Italia Transpadana Cenomani à Ptolomęo ponuntur. Hinc item Κενομανοὶ apud Strabonem supra Venetos, Carnis vicini. Hinc denique quod suis sedibus parum essent contenti Cenomanos locat Plinius in Gallia Narbonensi, in Volcis.

Mores eorum.

Sunt autem Cenomani laborum tolerantes, industrii, nec facile capiuntur dolis, attenti ad rem. Ceterum inter eos Nobiles nascuntur tam præstanti virtute, quam usquam in Gallia.

Sub Archiepiscopo Turonensi & in Parlamento Parisiensi, quæ *Cenomanis* urbs Orderico lib. 4 dicitur, à canina rabie (canis mania) & factionis procax & sanguinolenta, ac contumax, cujus urbis Ecclesia major primò B. Mariæ, inde S. Gervasio; tandem S. Iuliano consecrata est anno 1201, translato in eam ipsius Iuliani corpore, habens 38 Præbendas. In Diœcesi vero hæ sunt Abbatiæ cum Parochiis 670 in sex Archidiaconatibus, & viginti quatuor Decanatibus; Belli loci *Beau-lieu*. S. Mariæ de Ebronio *Evron*, S. Vincentii prope urbem S. *Vincent*, S. Mariæ de Lonlayo *Lonlay*; S. Carilesi *Calez*; S. Gregorii in nemore, *S. George des Bois*; S. Mariæ de Persina, *de Persine*; de pietate Dei *de la Pieté*, S. Mariæ de Claro-monte, *Clairmont*; S. Petri de Cultura, *la Culture*; S. Marię de Vadaltio, *Vaaz*, S. Iuliani de prato, *S. Julien du Pré*, de Virginitate *de la Virginité*; *Estival en Charnie* feminarum; Boni loci, *Bon lieu*; Fons Danielis in Meduana; S Mariæ de Campania, *Tironneau*; *la Peregrine* Feminarum, *la Pelice*; *du Geu de Loune*. Sunt præterea 191 Prioratus. Sedes est Episcopalis, in qua primus sedisse scribitur *S. Julianus* sub Vespasiano Imperatore qui, ut refert c. l. Roberti, Cenomanicum penetrans solum, veteres quercus annosasque fagos, id est, vetustæ gentilitatis sterilia vanaque figmenta evertere nisus, & ferro correctionis usus est, quo peccata delinquentium feriret, & igne adustionis, quo jam emendatum solum ad proferenda divini amoris semina aptum exhiberet. Vbi alludit ad veterem Gallorum superstitionem, Quercus antiquas pro diis colentium: Hunc sequuti Præsules 67, quorum postremus Carolus de *Beaumanoir*, filius Ioannis Domini de Lavardin Franciæ Mareschal.

Episcopi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [219] - -
PUBLIC DOMAIN

BRITANNIA,

vulgo

DVCHÉ DE BRETAGNE.

Britannia olim Armorica.

BRITANNIA, olim *Armorica* fuit appellata, præcipuè qua Oceanum ſpectat, ubi nunc inferior eſt Britannia. *Ar-mor* enim veteribus Britannis nihil aliud, quã *ad mare* vel *ſupra mare* ſignificabat. Armoricas civitates nominat Cæſar lib. 7, & eaſdem in ultimis Galliæ finibus poſitas, Oceanoque conjunctas ait A. Hirtius. De iiſdem, earumque pro libertate ſua in Romanos conjuratione, multa memorantur libro tertio belli Gallici. Totum Britanniæ, Normanniæque littus longe lateque Saxonicum in libro Notitiarum vocatur, à Saxonibus, piraticam ibi exercere ſolitis. Qui quanta feritate per hæc littora graſſati fuerint, docet Sidonius Apollinaris lib. 8 Epiſt. 6. ad Nammatium. Certe crebriores Saxonum infeſtantium deprædantiumque excurſiones, tandem huic tractui Præfecturas præſidiaque militum Grannonæ, Blaviæ, Marcis, quorum in Notitia Imperii mentio fit, pepererunt. Inde item nati Vicarii, Comites, Duces Britanniarum, qui tractum Britannicum ſub ſua haberent diſpoſitione. Rediit poſtremo huic Provinciæ nomen antiquum *Britanniæ* (nam & ante Britannos vocatos docent loca Plinii lib. 4. natur. hiſt cap. 17, & Sidonius lib. 1, Epiſt. 7.) Britannis eò ex adverſa inſula ab Anglo-Saxonibus, Pictis Scotiſque compulſis, circa quintum ſeculum. Atque ab his Britannis tota hac regio Britannia Ciſmarina & minor, ad differentiam Inſulanæ quæ major & Tranſmarina vocata fuit. Prætet hos alios etiã populos habuit: *Redones*, quorum civitas hodie *L'Eveſché de Renes*; in hujus Diœceſeos agro Abbatia eſt, quæ *Redon* vulgo, veteris appellationis memoriam ſervans. *Nannetes*, quorum civitas *l'Eveſche de Nantes*. *Curoſopitos*, quorum civitas *l'Eveſche de Cournovaille*. *Venetos* quorum metropolis *l'Eveſché de Vannes*. *Oſiſmios* inſuper, *Diablintes*, *Ambibaros*, *Venellos*, *Ambiliates*, *Biducſios*, *Lemovices*, *Arvios*, *Cadetes*, quorum loca, *Triguir*, *Leondoul*, *Ambie*, *Lambalois*, *S. Paul de Leon*, *Chaſteau-Briant*.

Populi veteres qui Britanniam incoluerunt.

Termini.

Finem habet Britannia ad Orientem quidem Normanniam & Andegavenſes; ad Meridiem Pictones; ad reliquas plagas mari Britannico alluitur, in quod ſupra reliquas Galliæ Provincias ingenti cornu eminet. Eſt autem in duas diviſa partes, in Superiorẽ & Inferiorem, in qua ceteri omnes Britanniæ populi, & maxime ii, qui à Britannia majori, nunc Anglia, veniſſe in illas partes exiſtimantur, & ſermone & lingua ab aliis Britannis plane differentes. In illa Gallicè loquuntur, in hac antiqua Celtica, uti viri docti colligunt ex vocibus Celticis, quas priſci ſcriptores laudant, etiamnum iſtic ſuperſtitibus. Itaque Britones Gallos vocant ſuperioris Britanniæ populos; inferiores vero Britones tonantes, quod non loqui, ſed tonare videantur, & ſtridorem dentium edere. Terra paſcuis læta & frugum copia dives & maris fluminumque oportunitate nullius rei indiga.

Fertilitas regionis.

Epiſcopat. LX.

Britannia provincia novem Epiſcopatus habet, quorum ſedes in totidem primariis urbibus conſtitutæ ſunt. Prima ad Ligerim in urbe Nannetum; Secunda Venetum; Tertia Redonum; Quarta Dolenſis; Quinta Maclovienſis: Sexta S. Brioci; Septima S. Pauli Leonenſis; Octava Coriſopitenſis; nona apud Frecorenſes: quorum alii ad Inferiorem Britanniam pertinent, alii ad Superiorem. Notandumque eſt in eadem provincia homines utriuſque ſexus, cetera animantia, nec non arbores, minoris ſtaturæ ut plurimum eſſe, quam in aliis Galliæ provinciis, ſeu vicinis, ſeu procul ab ea diſjunctis: cultioremque ſecundum Oceanum eſſe, quam alibi, quòd in iis locis frequentior habitatio ſit, propter commoda, quæ maris vicinia advehit; ſed in media *Laudæ* quæ appellatur, cetera infertilia, utilia tamen paſcuis animalium. In eadem provincia & aliis non adeo remotis à mari leproſorum copia videtur.

Superioris metropolis eſt *Nannetum*, vulgo *Nantes*; olim *Condivicum Nannetum*. Vrbs non valde ampla eſt, ſed muris, turribus, propugnaculis & foſſis munitiſſima. Infra ad Ligerim caſtellum habet validiſſimum, in quo Principes morari conſueverunt. Sedes eſt Epiſcopalis. Videre hic eſt ſepulchrum Franciſci II, ultimi Britanniæ Ducis, à Michaële Columbo artifice peritiſſimo factum. Vrbs eſt Mercurialis, propter commoditatem portus ad Ligerim, qui æſtum marinum nunc ſentire incipit. Nec tamen hucuſque conſcendere datur navibus majoribus, quæ ad 4 & 6 leucas infra urbem hærere ſolent. Sternitur hic Ligeris ponte, omnium quos habet longiſſimo, propter fluminis latitudinem (centum enim paſſus continere dicitur) eoque lapideo: non ſublicio, cujus finem in adverſa ripa Pilmium Parochia attingit. A S. Nazario, ejuſdem fluminis oſtio, ad Nannetas leucæ ſunt circiter duodecim. Interluit etiam hanc urbem Arda amnis Ligerim petens. Sedes fuit olim Britanniæ ducum, Comitatus habens titulum, Ducíſq; primogenito adſcribi ſolita. Kanneti encomium tale ſcripſit Iulius Scaliger:

Britan. Superior. Metropolis Nannetum, Nantes.

Vidit Aremoricas animoſa Britannia gentes,
Et dedit impoſito nomina priſca jugo:
Nunc etiam patriæ remanent commercia linguæ,
Vltimaque à Gallo diſcrepat ora ſono.
Impavidum genus, Argivæ gens docta paleſtræ;
Nec minus in bellis utilis, acer eques.
Tar domino quadrupes, ſævis haud ſegnior armis,
Reſpondent animis robora firma feris.
Gens tamen hæc eadem patriis intenta choreis,
Laxat inexpleto pectora læta mero.
Tanta etiam pecoris, tanta eſt opulentia frugum, ut
Cum Cereris certet vomere magna Pales.
Quid varias referam piſcoſa ſub æquora turmas.
Abdit aque ignoto littora capta mari?
Ne partire plagas, ut partis des mihi partem;
Si Galli hæc dicas integra regna ſoli.

Proximum locum occupat Condate Redonum, vel potius primum, nunc *Renes*; nam Thuanus provinciæ caput vocat, & in ea hodie Senatum ſemeſtrem reſidere ſcribit, qui alias Nanneti habebatur. Ad fluvium Vigilaniam, vulgo *Vilaines* ſita eſt. Tertium eſt oppidum Dolũ, olim arx, vulgo *Dol* ſive *Doul*. Vrbs Diablintrum ſub Parlamento Redonenſi. Hic Epiſcopus Archiepiſcopatui Turonenſi ſubditus, habet jus pallii, & ideo

Condate Redonum nunc Renes.

Dolum.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111.2, [221] - -

locum habet inter Archiepiſcopos. Dolenſis urbs (inquit Chenu) paludibus circundata, & fere in ultima Britanniæ parte ſita. Epiſcopus Comitis titulo honoratur, ac per multos annos ſe pro Archiepiſcopo geſſit, hodieque in Comitiis ordinum Generalium Britanniæ primum locum inter Epiſcopos vendicat. Quartum oppidum Fanum Briocenſe, vulgo *S. Brieu*; oppidum non ignobile & ſedes Epiſcopalis. Rupes ibi excelſa tutam præbet navibus ſtationem. In ea arx urbi protegendæ excitata. Inter duo flumina jacet, quæ vulgo Britones vocant *Le Trieu* & *l'Argennon*, Ptolemæo Tritius & Argennus. Quintum Fanum S. Maclovii, vulgo *S. Malo*, urbs Epiſcopalis & ſingulare emporium, in inſula ſitum ad mare Britannicum. Diſtat ab Aletha duobus millibus paſſuum, è qua ſedes Epiſcopalis huc tranſlata. Primus hujus oppidi Præſul fuit S. Machlovius. Patria quoque fuit Iacobi Cartieri, inſignis Navarchæ, qui auſpiciis regis Franciſci I Canadam invenit, aliaſque terras in mari, quod Septentrionem verſus, ſitas. In hujus Diœceſi Abbatiæ ſunt opulentæ, *Belli-loci*, *Montiefortis*, *Præa*. Sextum *Dinan* oppidum pulchritudinis eximiæ & in delitiis aliquando Britanniæ Ducibus. Præterfluit fluvius *Rinctius* vulgo *Rance*, qui oritur prope locum, cui nomen Laudæ Menajæ, & influit in mare prope Machlovium.

Fanum Briocenſe.

S. Malo.

Dinan.

Sunt & Britanniæ ſuperioris alia oppida; *Rieulx* ad Vilanium flumen; *Chaſteau-briant*, oppidum arce præditum, limitaneum inter Britannos, Armoricos & Andegavenſes, proceribus parens Mommoranciis: *Lamballe* à quo ditio *Lamballois*, officinæ hic membranarum, quæ chartæ pergamenæ nominantur: *Vitray* oppidum quod inter vicum qui vulgo *Croiſille*, rivulus eſt, qui Britannos à Cenomanis hic diſjungit; quin & ea parte, haud procul Herucio Burgo, Vlmus viſitur, eundem ſtatuens terminum: *Iugon* ubi arces ſpectantur inſignis antiquitatis: *S. Aulbin du Cormier*, in cujus territorio commiſſum prælium quod in Francorum hiſtoriis *la batallie S. Aul-*

Alia oppida.

Item *Mont-contour*, *Plerel*, *Iocelin*, *Maleſtroit*, *Pontiy*, *S. Iulian*; *Encenis* denique *extremum* verſus Pictones, ſub quo comprehendi ſolent ditiones, quæ vulgo *Cliſſonnois*, *Raiz* & aliæ. Ancenifium inquit Maſſon, portorium magni nominis, quòd tributa rerum, quæ extra regnum per Ligerim & Oceanum evehuntur, ibi ſolvi præſtarique oporteat.

In Inferiore Britannia & urbes & oppida celebriora ſunt: *Venetia* vulgo *Vannes*, olim maxima & potentiſſima urbium Britanniæ ad intimum maris receſſum poſita, in regione olim Venetia dicta. E regione cujus jacet inſula Caloneſus vulgo *Belle iſle*, à pulchritudine ſic vocata, remota eſt à continenti leucas ferme ſex & quatuor à portu, cui nomen Tiberoni; ſeptem in circuitu aut circiter, tres cum dimidia in longitudine, duas in latitudine leucas complectens. Propria eſt grano nutriendo, maxime frumento & avenæ. Nullæ ſunt in ea arbores proceræ & cæduæ ſilvæ, quia ſub terræ ſuperficie rupes tegitur. In ea ſunt Parochiæ quatuor, compoſitæ ex viculis centum quadraginta, quorum quilibet ædificia habet tria aut quatuor. In ea nutriuntur lepuſculi pene innumeri. Munitio in cavata ferro rupe eſt, ubi præſidium quinquaginta peditum vigilias agit. Vrbes vicinæ ſunt Hanneboutum & Kimperle [illegible]beſt decem leucis. Kimper Britannica lingua op[illegible]an ſive urbem ſonat, qualis olim fuit clauſa antiquitus muriſque cincta, populo tamen parum abundans. Interluit amnis Oderus. Æon alius amnis per caſtrum Lini fluit (*Kimpercorantim*) ſalmonibus abundans, atque in inſulam nomine Rotundam excurrit, in quam vicinus Elænia quoque labitur.

Britannia inferior.

Oppida ejus.

Sequitur inſignis portus nomine Breſtius: mox Gabeum promontorium vulgo S. Matthæi, appulſu difficillimum. E regione ejus Oeſſanti inſula poſita eſt, magnitudinis & pulchritudinis ad habitandum idoneę, licet paucos incolas habeat, propter piratas qui illam crebro infeſtant. Alia parte objacet inſula Sena vulgo *Sayn*. Sequitur deinde ad oram, quæ Septentrionem ſpectat S. Pauli Leonenſis oppidum, Epiſcopali ſede ornatum. Dein Trecorenſe oppidum vulgo *Triguir* & ipſum Epiſcopatu celebre. Trecora oppidum (inquit Chenu) in minori Britannia. circa annum Ioc ſedes Epiſcopalis erat in civitate Leſobienſi ad mare, quâ circa annum Ioc c à Danis & Saxonibus ſolo æquatâ, tranſlata ſedes ad peninſulam *Trecor* dictam. In mediterraneis adhuc aliquot ſunt oppida, ſed ignobiliora.

De Britonibus cecinit Auſonius, *Nemo bonus Brito Mores eſt*. Pro varietate tamen locorum plus minuſve urbanos reperias. Nam qui mari viciniores ſunt, ſoli, ſalique natura ferociores ſunt. Ceterum omnes callido ſunt ingenio, licet tales minus videantur. Vino dediti ſunt, cujus amore popinas frequentare ſolent diligentius. natura Normannos odiſſe videntur Britones, uti & hi illos.

Britannia regimen.

Britannia olim regnum, deinde Comitatus, à Carolo Simplici Rollo Duci Normanniæ ſuit conceſſus; à quo tempore Britanniæ Comites, Duci Normanniæ homagium fecerunt, uſque ad Petrum Mauclere filium Roberti Drocenſis, qui Comitatum immediate à Rege Franciæ recognovit. Cujus filius Ioannes Ducis titulo auctus fuit, atque ita Ducatus in Petri familia manſit ab anno 1250 ad annum 1488, quo Franciſcus poſtremus Dux deceſſit, cujus filia Anna primum Carolo octavo, dein Ludovico XII nupta Ducatum Coronæ Francicæ adjunxit, cui rogatu Ordinum Britanniæ anno 1532, regnante Franciſco I fuit unitus, & ut vocant, incorporatus.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [222] - -
PUBLIC DOMAIN

DVCATVS ANDEGAVENSIS Vulgo ANIOV.

Finet.

DVCATVS ANDEGAVENSIS vulgo *La Duché d'Anjou, l'Eveſché d'Angiers*. Hujus provinciæ populos C. Cæſar *Andes*, Plinius *Andegavos* appellat. Incipit ab vico *Chouſay*, finemque accipit inter *Moncontour* & *Herraut*, ubi initium Pictavienſis territorii, quod illi ab Meridie ; verſus Orientem confinia ſunt Turonenſium & Vindocinorum ad Septemtrionem comitatus qui vulgò *Maine* & *Laval*; ad Occidentem denique Britanniam attingit. Regio fertilis & amœna magis quam ampla. Colles ibi vitibus paſſim conſiti, valles ſilvis ſaltibuſque viridantes: læta prata : eryceta gratiſſimum pecori pabulum præſtantia. Vina hic alba, notæ nobiliſſimæ, vulgò *Vins d'Anjou*. In ſumma quicquid huic vitæ uſui eſſe poteſt, hæc provincia ſuppeditat. Jn nonnullis etiam hujus provinciæ locis illud genus lapidis cæruleum & fiſſile effoditur, quo templorum ubique ædiumque tecta contra cœli injurias muniuntur, *Ardoiſes* vernaculè vocantur. Suos olim habuerunt *Andes* Regulos & Duces, quorum *Dumnacum* ab Cæſare victum ſcribit octavo libro Hirtius. Poſtea cum aliis Galliarum populis in Francorum venerunt ditionem. Rex Chilpericus, occiſo comite *Paulo*, Andegavenſem urbem obtinuit, ſuiſq; eam poſteris reliquit Franciæ regibus, quorum Carolus Calvus Superiorem quidem Provinciæ partem *Torquato* (alii alitet vocant) dedit, reſervato ſibi ſupremo in eam jure: Inferiorem autem *Eudoni* Pariſiorum Comiti, cujus ex fratre *Ruperto* comite Andegavenſi duceque Celticæ nepos, Hugo Magnus eam largitus eſt *Fulconi*, Torquati ex Ingelgero filio nepoti. Fulconi ordine ſucceſſerunt Fulco II. Gotefridus vulgò dictus *Griſegonella*: Fulco III, Gotefridus II. Fulco IV, Fulco V, qui Hieroſolymorum rex fuit, poſt Balduinum cujus filiam ipſe viduus duxerat uxorem. Gotefridus denique VI Barbatus cui ſociata fuit Machtildis, Henrici I Angliæ regis filia. Hujus filii, Henricus quidem rex fuit Angliæ, ejus nominis II, Andium verò comites Gotefridus VI, & Gulielmus : quos quum paricidiali bello victos terris ſuis pepuliſſet frater Rex, filios natu majores in Angliæ regno ; Gotefridum autem VIII in comitatu Andegavenſi ſucceſſores habuit. Gotefridi filio *Arturo* comiti, Britanniæque per matrem duci, bellum movit patruus Ioannes Angliæ rex. Fecerat jam *Arturus* homagium, ut loquuntur, & fidem principatus ſui nomine promiſerat Francorum regi Philippo Auguſto, à quo inſtigatus quum Pictones regi patruo ereptum properaret, cum exercitu Ligerim jam tranſgreſſus, ab eo ex improviſo ſuperveniente captus, Rotomagum eſt abductus, ibique non multo poſt occiſus. Jd non ferendum rata Arturi mater, Conſtantia Conani Britanniæ principis filia & hæres, regem Ioannem paricidii accuſavit, apud Franciæ regem, quem dixi : quumque vocatus ſe jure non ſiſteret, paricidii damnatus eſt ſententia Parium Franciæ, ejuſque provinciæ quas in Galliis habebat, fiſco regis ſunt adjudicatæ : quam ſententiam ipſe Rex exequens, Andegavenſes ſibi deditione ſubjecit, regique Francorum Ludovico filio nominis ejus VIII reliquit. Huic ſucceſſit filius Ludovicus IX, Sanctus cognominatus, qui provinciam hanc *Carolo* fratri Apennagii jure conceſſit. Hunc ſequutus Carolus II, qui Clementiam filiâ locans Carolo Valeſio provinciam hanc dotis nomine largitus eſt. Huic ſucceſſerunt Franciæ reges, Philippus Valeſius filius, & ex eo nepos Ioannes, qui nobiliſſimam hanc regni portionem ducatus jam titulo, anno CIↃ CCCL decoratam filio *Ludovico* Apennagii jure dedit. Ejus donationis diploma ponit Papirius Maſſonus Annalium rerum Francicarum lib. IV. his verbis : *Damus & concedimus per præſentes, donatione pura & ſimplici, inter vivos in perpetuum valitura Ludovico ſecundo genito noſtro ad hæreditatem perpetuam, proſe & ſuis heredibus & liberis maſculis, ex carne ſua & libero matrimonio procreatis, & etiam naſcituris, comitatum Andegaviæ & Cenomaniæ, ſalvis & nobis retentis juribus noſtræ regaliæ, exceptionibus Eccleſiæ, Fide & Homagio. Quæ verba ex ipſis tabulis exſcribere placuit, Datis Caleſii, Anno* CIↃ CCCLX, *quæ in ſcrinio regio adhuc viſuntur, eamque legem Ioannes primus in familiam ſuam intulit, & poſteri agnoſcunt regno plane utilem fuiſſe, eaque factum, ne opulenti dominatus ad extraneos tranſierint, fœminis ſucceſſione excluſis.* Hunc *Ludovicum* ſequuti ſunt deſcendente lineâ Ludovicus II & Ludovicus III, quo ſine hærede mortuo principatum adiit *Renatus* frater. Hic defunctis liberis, hæredem dixit ſui fratris filium Carolum (alii frattem fuiſſe volunt) qui hęredem ſcripſit *Ludovicum* XI regem. Et ſic coronæ Franciæ fuit adnexus eique unitus manſit, niſi quod Franciſcus I, eundem ſuæ matri *Alaiſiæ Sabaudæ* in uſum fructum tradiderit. Rex Carolus IX eum jure Apennagij tribuit *Henrico* fratri, qui deinde Poloniæ & Franciæ rex. Metropolis ducatus *Andegavum* eſt, *Andegavenſis civitas* Paulo Diacono, vulgò *Angiers*. Ptolemæo dicitur Ἰαλιόμαγος. *Andicavarum*, ut legendum monet Merula. Sita eſt in utraque *Meduanæ*, *Maine* fluvii ripa, pontemque habet lapideum flumini injectum. Inſignis ibi politia. Epiſcopali fulget dignitate ; Seneſcallatu etiam & baillivatu, ſedeque ſuperbiens præſidiali. Diſpeſcitur in duas partes Meduana flumine, quarum una Meridiem & Orientem ; altera Occidentem proſpicit. In Orientali parte templa ſunt S. Mauritii, baſilica S. Ioannis, nunc S. Iuliani dictum, S. Maurilli, S. Petri, S. Martini aliaque. In Occidentali parte, quæ minima eſt, templa ſunt S. Trinitatis & S. Laurentii cœnobium, S. Ioannis Carmelitanorum & Auguſtinianorum monaſterium. Academiam habet celebrem, ab Ludovico II Andegavenſum duce, anno CIↃ CCC XXCIX inſtitutam. In qua omnium, quos olim jura, aliaſque facultates publice profeſſos, ob eximias ſcientiæ & doctrinæ laudes ſuſpicimus ac veneramur, clariſſimi claruerunt D. Guilielmus du Pejet, Franciæ Cancellarius. D. Lazarus Baifius, vir omnium exiſtimatione ornatiſſimus, Ioachimus Bellajus, Franciſcus Balduinus ſummus Iuriſconſultus ; Renanus Benedictus Theologiæ Doctor ; Bodinus Advocatus Parlamenti Pariſienſis & alii Doctores nõ pauci, gravitate, doctrina & vitę ſanctimonia illuſtres, hinc velut ex equo Trojano emerſere, quorum laus in publicis, privatiſque rebus ſemper emicuit. Sita eſt urbs loco humili, unde proverbium, *Angiers baſſe ville, hauts clochers, riches putains, pouvres eſcoliers*, id eſt, *humilis urbs, turres templorum altæ, meretrices opulentiæ, ſtudioſi pauperes*. Habet hic Ducatus multa inſignia

Soliferitas.

Imperium Majorum.

Metropolis.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111.2, [224] -

Flumina. *Oppida.* *Lacus.*

oppida, alia aliis majora. Pauca, ut vernaculè ſonant, dabo: *Saumur* ad Ligerim cum arce; *Montreneau*, *Bauge*, *Beaufort*, *Briſſac*, *Monſtreul-Belay*, *Malevrier*, *Chantonceau*, *Vihers*, *Duretail*, *La Fleſche*, *Chaſteau-Goutier*, *Segre*. In hac Provincia multa ſtagna, magnus lacuum numerus, rivuli non pauci, & plus quàm XL ſunt fluminа. Sunt & vivaria paludeſque, fontes item infiniti. Inter amnes præcipui ſunt *Ligeris*, *Loire* peramplus, perſpicuitate aquæ inclytus, quem patrem fluviorum Galliæ vocant. *Vigenna*, cujus mentio apud Fortunatum, Gregorium Turonenſem & Hugonem Floriacenſem, *la Vienne*, *Viana* & *Vignane*, *Meduana*; Hujus meminit ex emendatione Turnebi Lucanus lib. I. belli Pharſalici.

Inripis Meduana tuis marcere peroſus.

Alii *Medualla* legunt; Theodorus Canterus lib. III Novar. lect. *Meditana*; *Meduanam* ſane & *Medanam* Galliæ fluvium etiam nominant Regino & Turonenſis: hodie *Maine*. Sarta vulgò *Sartra* & *Lorius*. Habet etiam Andegavenſis tractus, alios non exiles, nempe vecturæ idoneos, quibus alluitur, amnes, qui & ipſi ſuis Ligerim augent alveis, quorum hæc ſunt nomina: *Alcionius*, *Vreſea*, *Lajonius*, *Odonuſque* fluvii, item *Toveſa*, *Iroſna* at ue *Daubentia*, quibus non parum augetur Ligeris. Hujus piſcium copiam non facile quis explicarit, ſive piſcium, quibus ſcatet, genera, ſive piſcaturę gregatim occurrentis frequentiam attendat. Eſt in Ligerano gurgite caſtrum cognomento *Villaneum*, Gallicè *Villaines*, in quo ſæpius omni numero retibus ad capturam diſpoſitis, unico tractu duo piſcium millia extrahuntur. Regio

Montes. Sylvæ. Opera publica.

montoſa eſt attolliturque colliculis; ſilvis ac ſaltibus ornata eſt. *Saltus*, hic, quos *les Foreſts de Chambieres*, *Baugé*, *Belle-eſpaule*, *de la Fleſche-Bovere*, & aliis quibuſdam nominibus appellant. Extra urbem Andegavum vetuſtæ monſtrantur ruinæ, quæ vulgò *Grohan* dicuntur, nomine ab Romano non abludente. Hic quondam theatrum ab Romanis exſtructum fuiſſe perhibetur. Apparent multæ parietinarum murorumque reliquiæ. Effodiuntur & infinita probæ notæ numiſmata. Cæterum huic Ducatui præter alios Comitatus, Baronias & dominia, quæ habet, homagium, ſive fidem clientelarem, ut habet Mercator, præſtant hi comitatus IV; *Maine*, *Vendoſme*, *Beaufort*, *la Val*, de quibus ordine agemus. *Comitatus*

Comitatus Cenomanenſis.

Cenomanenſis, vulgò *Comté de Maine* primo loco occurrit. Hunc tractum Ptolemæi tempore *Cenomani* inſederunt. Provincia autem Cenomanorum inter primas Galliæ habitari cœpit. Olim ejus limites longius quam nunc ſe extenderunt, idque facile colligi poteſt ex iis quæ Livius, Polybius & Iuſtinus de irruptione Cenomanorum in Italiam literis mandarunt: nec inficiari quis poſſet, ipſorum vires collectas fuiſſe, ex Andegavenſibus, & Turonenſibus, ſicut & ſub Bajorum nomine ipſorum vicini comprehendebantur. Territorii pars una fertilis eſt, alia ſterilis; incoliſque facilius eſt venaticas carnes, quam panem & vinum apponere, non tamen iis omnino caret, aliquæ enim hujus provinciæ partes tam fertiles ſunt, ut eam nec Andegavenſis ditio, nec Turonia vini bonitate, frugumq; fertilitate ſuperent. Solum herboſum, paſtionique pecudum commodum. Hanc verò provinciam, ſub Aquitania comprehenſam, aliquando paruiſſe legimus ducibus Aquitanis; donec inter reges Franciæ Ludovicum IX & Angliæ Henricum III pactum fuit. Anglus Aquitania, quam ab Septemtrione Carantonus fluvius; ab Meridie Pyrenæi montes terminarent, contentus, in perpetuum cederet Normannia, terriſque Cenomanorum & Andegavenſium, eiq; numerarentur CIↃ IↃ aureorum millia. Rex Franciæ Joannes Andium & Cenomanorum Comitatum Ludovico filio ſecundo genito dedit. Donationis diploma anni CIↃ CCC LX in ſcrinio regis adhuc viſitur, quod ſupra poſui. *Ludovico* ordine ſucceſſere Ludovicus II filius & Ludovicus III nepos. Hi tres titulum regum Neapolitanorum geſſerunt, Ludovico tertio vita defuncto nullis poſt ſe relictis liberis, ei ſucceſſit Renatus frater quem regina Neapolitana Joanna, ejus nominis II, ſuum hæredem in regno Neapolitano & in comitatu provincię inſtituit. Renatus ex Iſabella Caroli Audacis filia, genuit Nicolaum Calabriæ ducem, cui ſupervixit Renatus pater. Hic Ioannes ex Maria Caroli ducis Borboniæ filia, genuit Nicolaum Calabriæ Ducem & Marchionem Pontenſem, qui abſque liberis deceſſit, avo Renato adhuc ſuperſtite. *Renatus* nepoti ſuo Renato ex Iolanta filia, & Friderico Vadimontano, jura regni Neapolitani & comitatus provinciæ reſignare noluiſſe, ſed ea Carolo fratri ſuo, Cenomanorum Comiti, reliquiſſe fertur, qui cum etiam paullo poſt moreretur Ludovicum undecimũ rerum ſuarũ hæredem inſtituit.

Civitas Cenomanenſis.

Cæterum tota hęc regio ſuperioribus annis in duas quaſi abiit partes. *Civitas Cenomanenſis* ditioni addita eſt regis Franciæ: *Vrbs* autem *Mania*, *Maine* cum Marchionatu, nunc in Ducatus decus erecto, Guiſię gentis agnoſcit dominium, Oppidum primarium ad Sartram fluvium, vulgò *le Mans*. Ioſephus Scaliger vir nobiliſſimus ſuis ad Merulam literis putat eſſe Οὐινδίνιον Ptolemęi, Aulerciorum Cenomanorum caput. Ab initio ſedes Baillivatus, poſt Henricum II præſidialis eſt facta, ad quam variorum oppidorum appellationes devolvuntur. Hæc ſe jactat omnium Gallicarum urbium primam Chriſtianam fidem admiſiſſe, miſſo à Clemente S. Iuliano, qui Eccleſiam illam annos XLVII perpetuos rexit, & myſteriũ religionis in vicina loca propagavit. Provincia multis amnibus irrigatur, qui ſolum herboſum reddunt, paſtuiq; pecudum commodum; ſed hi æſtivo fervore deficiunt, non tamẽ territorium ab ipſis humefactum intermittit herbarum affatim gignere. Ornatus illi multus ab ſylvis ſaltibuſque accedit, in quibus ferarum non infelix proventus. Quorumdã hujus provincię locorum ſterilitas Cenomanos labori aſſuefacit: ſunt induſtrii, vividique ſpiritus, nec ipſis facile quis imponit: probi patresfamilias, eorumque vicinis aliquo modo aſtutiores, ad omnia idonei quibus ſe addicunt, unde natum feſtivum proverbium, Cenomanũ valere ſeſqui-Normanno. *Ducatus*, olim comitatus *Vindocinenſis*, *Duché de Vendoſme*, initium capit à Baugenciaco, limite inter duas Belſias, quæ cognominatur *Solonia* & *Vindocina*: fines longè latèque extendens ad Santonas uſque, ut quidam volunt. Dictus ab *Vindocio* oppido. Sic Venantius Fortunatus

Ducatus Vendocinenſis.

appellat, quod vulgò *Vendoſme*. *Vindocini* comites originem ducunt ex Borboniorum ſtemmate. Primum comitem legimus Ludovicum Borbonium, Ioannis Marcæ Clermontiique Comitis filium. Succeſſerunt huic recta linea filius Ioannes, Franciſcus nepos, & Carolus pronepos, quem primum Vindocini Ducem creavit Franciſcus I Galliarum rex. Filium *Carolus* habuit *Antonium*, Vindocini Ducem, Franciæ Parem, & per Ioannem Albretam conjugem, Navarræorum regem, quo natus *Henricus Borbonius*, Galliæ ejus nominis IV Navarræque Monarcha potentiſſimus, Bearnii princeps, Dux Vindocini, &c. Sunt & *Beaufort* & *la Val*.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [225] - -
PUBLIC DOMAIN

DVCATVS
TVRONENSIS
Vulgo Duche de
TOVRAINE.

BELSIA, quam Mediam vocant, utpote distinctam à Superiore & Inferiore, continet Comitatum Blesensem vulgo *Bloys*; Ducatum Vindocini vulgo *Vensdosme* & Ducatum Turonensem, *TOURAINE*. Incipit autem Ducatus Turonensis, tribus supra *Ambiacensem* urbem miliarib. versus Blosas: Terminatur in vicis qui vulgo *La Chapelle Blance*: In Spiritualibus agnoscens Episcopum Andegavensem & *Chousai*. Hi enim limites statuunt inter Turonenses & Andegavenses. Incredibilem regionis amœnitatem facit placidissima suave spirantis aëris constitutio, adeo ut totius Galliæ Hortus ac pomarium vocetur, populari lingua *le tardin de France*. Vini, frumentique ferax est, & nemora habet venationi commoda. Turones autem inter cæteros Galliæ populos sunt antiquissimi & præcipui, inter Celtas haud postremi, quorum metropolis ad suburbii partem Ligeri alluitur, qui fluvius ex transverso rivum canali prope S. Annam ad suburbia Richii transmittit, eorumque partem Orientalem occupat; à Meridie & Occidente fluvius Idra cursum suum dirigit. Latitudo hujus regionis non adeo magna est, propter vicinas & finitimas provincias, quibus circumdatur. Incolæ non magis morum elegantia, quam fide in suos principes laudantur.

Ambiacensem. *Limites.* *Indoles.*

Metropolis Tours.

Vrbem *TVRONVM* antiquissimam, vulgo *Tours*, Cæsarodunum Tacito, ædificarunt, Galli, unde etiam ob antiquitatem, præ aliis Galliæ civitatibus excellit, adeo ut caput multarum nationum dici meruerit; etiam à Cæsare aliisque, qui Galliam descripsere, pro præcipuis primisque Gallis semper Turones habiti sint. Ptolemæus lib. 2. cap. 8. tab. 3. eos Turegios nominat ripam Ligeris incolentes. Cæsar plurimis in locis illorum facit mentionem, præsertim in fine secundi libri Commentariorum, cujus hæc sunt verba: *His rebus gestis, omni Gallia pacata, tanta hujus belli ad Barbaros perlata opinio est, ut ab nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur Legati ad Cæsarem, qui se obsides daturos, imperata facturos pollicerentur, quas Legiones Cæsar, quod in Italiam Illyricumque properabat, initia proxima æstate, ad se reverti jussit. Ipse in Carnutes, Andes, Turones, quæ civitates propinquæ his locis erant, ubi bellum gesserat, legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus est.* Vnde colligi potest Turonenses non fuisse hostes Romanorum, sed Cæsaris partes tenuisse, optimumque hoc antiquæ illorum magnificentiæ indicium esse. Ex historia etiam Gregorii Turonensis liquet, cives Turonenses, plurimis in locis Senatores Romanos nuncupari, eo quod jure civium Romanorum usi sint, cujus juris olim amici & confœderati Romanorum fuere participes. Sed posteaquam Imperium Romanorum, à Gothis, Vandalis, Alanis, Burgundis, Hunnis & Francis devastaretur, Turonum civitas, ut & aliæ, libertate sua privata fuit, duraque obsidione à Gallis pressa, qui tamen commoti reverentia tumuli S. Martini, cujus ossa hic condita sunt, ab incepto destitere. Et hac ratione urbs Turonum Franciæ coronæ accessit; donec post Danorũ & Normannorũ irruptionẽ in Galliam à Ludovico III in Ingelgerum, Comitem Andegavensem, transferretur, quo hostiles Barbarorum impetus copiis suis repelleret & oram Ligeris propugnaret. Illud quoq; memoria dignũ est, quod olim in territorio, & fere in ipsis portis & sub mœnibus Turonũ invictissimus ille Gallorũ Princeps Carolus Martellus, circa annũ Christi 729 prælio superavit, necique dederit regem una cum quadringentis millibus militum, quibus cum, subjugata prius Hispania Galliam invaserat. Turonenses etiam hac in parte æternum nomen meruerunt, qui non solum Sarracenis illis acriter restitere, sed & Christianis cum prælium anceps esset, aditum in urbem præcluserunt, quo salutem non in fuga, sed fortiter dimicando quærerent. Primus urbis Archiepiscopatum tenuit Gratianus, qui temporibus, Diocletiani vixit. Verum post hunc anno 375 secutus in eodem munere S. Martinus tertius Turonensis Archiepiscopus. Natus hic creditur in Hungaria & sub Iuliano parabata militasse, postea vero, mutato vitæ genere, Turonenses ad Christianam fidem convertisse. Archiepiscopatum obiit annos XXVI & ultra. Habet Archiepiscopatus Turonensis undecim Episcopos suffraganeos: Andegavensem, Cœnomanensem, Re-

Archiepiscopi.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [227] - -

donenſem, Nannetenſem, Venetenſem, Briocenſem, Coroſopitenſem, Leonenſem, Trecorenſem, Maclovienſem & Dolenſem. Spectantur in urbe, primo templum Cathedrale S. Gratiani, quod in ejus honorem exſtruxit S. Martinus, architectura magnificum, horologio quoque inſigne, quod non horas ſolum, ſed & Planetarum motus, Lunæque incrementa ac decrementa deſignat. Duabus turribus elegantis ſtructuræ exſurgit, paris altitudinis, unde conſpectus longe lateque. Deinde templum S. Martini, in hujus memoriam à poſteris fabricatum, in quo ejuſdem oſſa aſſervata fuere, donec bellicis furoribus commiſſa Gallia, ab alterius partis hominibus cremata fuere. Locus cancellis ferreis cinctus aditum vulgo prohibet. Illis inſcriptum.

Impia relligio furiis agitata malignis
Oſſa viri Sancti hic igne cremanda dedit. &c.

Sunt & alia hic tẽpla, ſed ea quę recenſui, præcipui ſunt nominis. Dimidio ab urbe lapide Abbatia viſitur, opus ejuſdem Martini, prꝫterlabente Ligere. In ea ſpectari ſolent Stabulũ regium. In Turonibus pira boni Chriſtiani adeo ſuavia, ut Pontifex Romanus ea ad ſe miſſa cum Cardinalibus convivis avide comederit, nec quicquam accipi à ſuis voluerit pro bullis à deſignato. Turonenſi Epiſcopo Duabus leucis infra eandẽ urbẽ in ripa Ligeris rupes eſt concava, unde ſtillicidia quã plurimas figuras effingunt, alias forma rotunda & orbicularis, alias oblongas, alias amygdalis ſimiles, omnes tamen albo & candido colore politiſſimas, ut Tragemaræ perſimiles appoſitę dicantur, ac ſæpe fallunt convivas in menſa, præſertim fœminas Zacchari amantes.

Oppida ei ſubdita.

Minorum gentium hujus Ducatus oppida ſunt Ambocia, *Amboiſe*; Langerſum, Chinonum, Lodunum, Loches, Montrichard, Caſtellum ſive *Chaſtillon* Aſay. *Ambociam* vicum Ambocienſem vocat Gregorius, Turonenſis, hodie Amboiſe, oppidum ad Ligerim loco tam amœno ſitum, ut cum omnibus aliis hujus regni oppidis certare audeat. Qua de cauſa Reges ſæpius eo ſecedere ſolent. Arcem huc exſtruxit Carolus VIII, in qua & repentina morte extinctus fuit anno 1498. Primum hic templum ædificari juſſit S. Martinus remotis gentilium Idolis ac ſacris. Templo nomen *Marmonſtier*. Templum S. Florentini condidit *Fulco de Nerra* Comes Andegavenſis, qui Canonicatus in eo inſtituit, redituſque ad hos neceſſarios addidit. Diu ſpenes Comites Andegavenſes fuit. Philippus Valeſius accepit per commutationem. Alii dicunt dominum Tovarſii imaginario contractu, Ludovico XI vendidiſſe, odio hæredis ſui domini Tremollii; Regem autem oppidum quidem & arcem amœnitate loci captum retinuiſſe, cetera Tremollio reſtituiſſe. Arx in rupe edita poſita eſt, nec niſi fame expugnabilis putatur. Hinc obortis in Gallia bellorum motibus, in eam Regina, Regiique liberi, velut loco tutiori cuſtodiri ſolebant. *Langerſum Langers* oppidum non ignobile, paulo ſupra confluentes Ligeris & Indri verſus Orientem. *Chinonum Chinon*, oppidum arce munitum, Francorum Regibus olim in deliciis, præſertim Carolo VII, quo tempore æmuli non alio eum dignabantur titulo, quam Regis Biturigum. Territorium habet fertile & jucundum. Ab hoc oppido majores leucæ verſus Pictones initium capiunt. Viſitur haud procul hinc pons, qui vulgo *de la Nonnain*. Arcus ſunt lapidei ad medium procurrentes miliare. *Lodonum Lodon*, Pictavienſi ditioni à nonnullis aſſcribi ſolet. Olim privatis paruit, nunc ſedes tribunalis regii eſt. *Lochum Loche* ibidem oppidum eſt non invalidum. In crypta arcis repertum olim corpus viri, ſtaturæ raræ, oſſa loquuntur hominem fuiſſe octo pedum; inventus narratur inſidens grandi lapidi, capite in ambas manus inclinato. Mons Richardi *Montrichard*, oppidum in amabili planitie ſitum rupibus ſylviſque (*vulgo les Foreſts de Montrichard*) cinctum. In ſuburbanis domus ſunt ſubterraneæ, ſuperque eas horti & Vineta. *Caſtellum Chaſtillon* oppidum regale ad Indrum fluvium. Aſayum duplex, unum ad Indrum, quod *Aſayle Bruſſe*; alterum ad Carim (ther) *Aſay le Farron*. Inſula Bouchardi, *l'Iſle Bouchard*, ad Vigennam eſt fluvium, quo circundatur. *Cauda Caude* ſitum habet, ubi Vigenna cum Ligeri concurrit. *Paulmium* arx, Vicecomitatus titulo gaudet, ſita loco edito. Vivarium adjacet, duorum fere milliarium, muro cinctum. Turonii encomium tale ſcripſit Iul. Cæſar Scaliger:

Splendidior nuſquam Gallis opulentia regnis,
Et nuſquam noſtro major in orbe nitor,
Non æſtus nocuit pecori, non frigora pomis,
Nec jam hortis certet Græcia fœta ſuis.
Nunc etiam Phrygiaque nurus, arteſque Latinæ,
Atque petunt radios Serica regna meos.
Aut ergo hic etiam Elyſii ſunt munera cœli,
Aut nullum vidit Græcia vana ſuum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [228] - -
PUBLIC DOMAIN

COMITATVS BLESENSIS Vulgò BLOIS.

Nomen.



Omitatui *BLESENSI (la Comté de Blois)* nomen dedit oppidum antiquum Bleſenſe, *Bloys*, elegans florentiſſimæ Galliæ & celeberrimi nominis urbs, cum propter vetuſtatem, tum quod auguſtiſſima multorum Principum & Illuſtrium virorum procreatrix fuerit. Ligeris fluminis ripam ſitu partim collibus inæquali, partim plano exornat. Qua de cauſa pleriſque in locis deambulandi quandam difficultatem præbet, quam tamen incommoditatem gratiſſima ſoli aëriſque felicitas non modò mitigat, ſed & infinitis paraſangis ſuperat; tanta ſiquidem ex ſuaviſſimo aeris temperamento hujus loci ſalubritas naſcitur, ut permulti ſummæ dignitatis homines in eo ſibi tutioris & diuturnioris vitæ ſpe domicilia deligant. Agrum habet tam amœnum, vitibus pulcherrimis, omnique frumentorum genere, fructiferiſque arboribus luxuriantem, ut nulli in univerſa Gallia uberrimo tritici ac præſtantiſſimi vini proventu cedat; eſt enim locus univerſus ob miram elegantiam, ſpectatu jucundiſſimus, in quo nihil eorum deſideres, quæ vel neceſſitas, vel ultra eam voluptas requirat. Ea eſt amœnitas & aquarum dulciſſimorumque fontium hoc ſitu erumpentium etiam rivulorum, ſinuoſis flexibus, gratiſſimoque murmure delabentium, ut maxima hinc aëris oriatur bonitas, quem permollem & placidiſſimum univerſa hæc regio habet; adeo quidem, ut magnifici, potenteſque homines ſanitatis recuperandæ gratia huc ex Medicorum conſilio, ſeſe recipiant. Quare Regum Ducumque filii hac in urbe ut plurimum educantur, & ipſi etiam Galliæ Reges, in ea ſubinde ſedem figunt, unde civitas Regia vulgò cognominatur.

De urbis antiquitate.

Et quanquam tanta ſit urbis, agrique vicini vetuſtas, non eſt tamen urbs ipſa veterum hiſtoricorum monumentis celebrata, qui de iis potiſſimum gentibus & civitatibus ſcriptis ſuis aliquid prodiderunt, quæ materiam ipſis gloriæ tribuerunt, quas obſidione cingere aut expugnare cogebantur. Et quamvis laudanda illorum curioſitas, qui accuratiſſimo antiquitatis ſtudio ferunt, locum *d'Orcheze*, ſecundo ab hac urbe lapide, Iulii Cæſaris horreum fuiſſe, quo commeatum & annonam pro exercitus ſuſtentatione reponeret, quemadmodum collapſæ maximorum ædificiorum ruinæ teſtantur; tamen non exiſtimo eo loci quondam primi hujus urbis fundamenta locata fuiſſe, eo quod veteres Galli in condendis urbibus, aſpera, montoſa & adſcenſu difficilia loca fluminibus vicina deligere ſolebant: nihilominus tamen urbem hanc perantiquam eſſe, argumento eſt locus quidam in Gregorio Turonenſi, qui inquit, quod tempore Regis Goutrandi anno ſalutis 560, cum Iberulphum, qui ad S. Martinum Turonenſem confugerat, capere niteretur, Aurelianenſibus & Bleſienſibus imperatum, ut ipſum obſervarent caverentque diligenter, ne ſibi fuga conſuleret. In ipſa porro civitate caſtrum in rupe, eleganti ſitu & ab oppido ſeparatum conſpicitur, ſedem & palatium Regi præbens, unde conſpectus cùm in ipſam urbem, tum vicinum agrum incredibili jucunditate panditur. Duæ hic magnificæ ſunt Eccleſiæ. Altera in ipſo caſtro S. Salvatori dicata & à Comitibus, & qui his ſucceſſerunt Regibus ampliſſimis dotata reditibus. Altera divo Iacobo ſacra. Duæ item Abbatiæ Bleſienſem hanc urbem commendant. Altera S. Lomerii anno ſalutis 927 à Rudolpho Burgundione Galliæ Rege dotata atq; conſtructa; altera *noſtre Dame de Bourgmoyne* dicitur, de cujus prima fundatione nihil in publica ſcriptorum monumenta relatum invenitur. Sunt porro aliæ complures in hac urbe ædes rebus divinis dicatæ, quas omnes enumerare longum nimis foret, in quibus magnifica Regum ac Principum ſepulchra ex cupro, alabaſtro & præſtanti lapide politè facta, conſpiciuntur, potiſſimum vero in Eccleſia Sancti Salvatoris, in qua Ludovicus & Guido Comites Bleſienſes, Saxo ſepulchrali artificioſe inciſi continentur. Sunt & in urbe aquæductus varii, qui effoſsis magno ſpatio intimis terræ viſceribus, ſtructiſque opere lateritio fornicibus, magno quoque faſtu viſendos ſe præbent, idque ea altitudine & latitudine, ut tribus equitibus junctis facile tranſitum concedant. Pleriſque etiam in locis exciſis duriſsimorum montium rupibus, tantis impenſis facti conſpiciuntur, ut fidem narratio excedere videatur. Tanti operis plane admiranda ratio Romanorum olim opes vireſque in eo elaboraſſe omnino evincit, etiamſi hiſtoricorum Roma-





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

norum ſcripta ejus non meminerint; nam & eadem ſilentio involvunt ædificia apud Nemanſienſes celebria, Amphiteatrum Burdigalenſe, magnifica Pictonum ædificia, aquæductus Pariſienſes. Huc accedit priſca ædificandi & cæmenti ratio, quæ in muris caſtri ac urbis obſervata, Romanam antiquitatem redolet, & rudera paſſim, quæ ex terræ viſceribus quandoque eruuntur. Cives porro & incolæ urbis ſuavi quadam & civili concordia, conſpirantibus aëris ac agrorum bonitate ſociantur: tanta enim eorum in familiari congreſſu eſt comitas ac morum humanitas, ſermonis facundia & in dicendo civilitas, in victu atque amictu ſplendor ac mundities, ut hæc omnia animi decora nativam ſoli bonitatem comitari videantur. Lingua Gallica puriſſima non in urbe ſolum, ſed & ruri & in vicinis oppidis. Plateæ hujus urbis anguſtæ & inordinatæ, nitidæ tamen & mundę. Ædes Saxeæ cęruleo lapide tectæ. Arce regia ſplendida ſuperbit. Antiquam condidiſſe ſcribitur Gedon cognatus Rollonis Roberti, primi Normanniæ Ducis. Sed hodiernæ conditores fuere Ludovicus XII & Franciſcus I, quorum ſimbola hinc inde, hujus erinaceus, illius ſalamanda conſpiciuntur. Arci proximus eſt hortus regius amœniſſimus in duas partes diviſus, Superiorem & Inferiorem. Xyſtum 300 paſſuum longitudine in eo videbis ab Henrico magno exſtructum, cui ſubeſt crypto-porticus, ex altera parte hortum inferiorem ſpectante, aperta patenſque. Templum S. Salvatoris juxta arcē videas, ubi Comitum Bleſenſium Ludovici & Guidonis, aliorumque Principum magnifica cernuntur ſepulchra.

Civium humanitas.

Inter primos Bloſii Comites invenio Theobaldum cognomine ſeniorem Gedonis filium, Rollonis Roberti, primi Normanniæ Ducis, agnatum. Filium hic habuit Ottonē, qui auctus tum patris, tum propriâ virtute Principatibus, Comes fuit Campanię, Bloſii, Briæ, Turonum & Carnutum. Liberos procreavit Theobaldum II & Stephanum, qui fratri ſine prole mortuo ſucceſſit. Hoc ex Adela, Gulielmi Conqueſtoris Angliæ Regis filia geniti cū aliis, Theobaldus III & Stephanus; quorum prioris filius patri cognominis cum improlis vita defungeretur, ampliſimas hæreditates reliquit ſui patrui Stephani, qui Angliæ regnum adeptus fuerat, poſteris. Inter quos legitur Ludovicus, Henrici II Comitis Campanię Briæque filius, Henrici Largi nepos, Stephani Regis pronepos, Comes fuiſſe Bleſenſis: donatus inſuper ob egregia ad Conſtantinopolim facinora, Romaniæ Ducatu. Sine prole mortuo ſucceſſit poſt Theobaldum etiam improlem Margareta ſoror, uxor primò Ottonis Burgundiæ Comitis, ſecundò Gualteri Avennatis Dynaſtæ, quo nata Maria Avennæ domina, Comes Carnutum & Bloſii, quæ nupſit Hugoni Caſtilionæo, Comiti Fani S. Pauli.

Comites Bloſii.

Anno 1538 die 22 Novembris interemptus eſt Bleſis juſſu Regis Henrici III. Henricus Lotharingus, Dux Guiſię & poſtridie ejus frater Cardinalis.

Comitatus Dunenſis *la Comté Dunois* principem habet urbem, Caſtrodunum *Chaſteaudun*. Comitatus Tonnorienſis, vulgò *le Comté de Tonnoire*.

Ducatus Vindocinenſis, *Duché de Vendoſme*, Belſia Andegavenſi tractu, Perchia & Turenia concluditur. Primaria civitas eſt *Vindocinum*, patria Petri Ronſardi. Olim Comitatus fuit.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [231] - -
PUBLIC DOMAIN

DUCATUS BITURIGUM

vulgò

DUCHÉ de BERRY.

Regio.

BITVRIGVM vel Bituricensis Ducatus, *Duché de Berry*, ab Septemtrione Soloniam Inferioris Belsiæ partem, à qua Caris fluentis disterminatur; ad Ortum Hurepenses, Nivernenses & Arbonios respicit, constituente hic limitem rivulo, cui nomen *La Faye*: qua Meridies

Situs.

est Lemovices habitant, ut Croure fluit: qua Occidens Pictones & Turones, à quibus fluviolo, qui *Clery* vulgo, separatur. Segetum est fertilissima, Vini rerumque aliarum ad vitam cultumque necessariarum. Inprimis

Soli fertilitas.

Pecore abundat, quod ab incolis per universam distrahitur Galliam: infinitus hic quoque oppidorum, burgorum, pagorum, saltuum, montiũ, pratorum, pascuorum, rivulorum, fontium, vinetorumque numerus. Domicilium hic olim *Biturigibus*, quos Κούβους scribunt cognominatos Strabo, Ptolemæus, aliique. *Bituriges* enim Galliæ Populi, duplices erant, cognomentis distincti, *Bituriges Cubi*, quorum Metropolis *Avaricum* Primæ Aquitaniæ, *Bituriges Vibisci* aut *Vivisci*, quibus primaria Urbs *Burdigala* Secundæ Aquitaniæ. Vtraq; Civitas libera sub Romanis, teste Plinio. *Civitas Bituricum* vel *Betorigorum* Notitiæ Provinciarum, in Aquitania Prima vel Sexta Viennensi. Esse apud hos populos magnas Ferrarias testantur Cæsar lib. 7. & Strabo lib. 4. Sic Rutilius lib. 1.

Non Biturix largo potior strictura Camino.

Imperium Maiorum.

Principatum apud Francos Hugone Capeto tenente, *Biturigibus* præerat nomine regio Gotefredus. Ab eo originem traxisse perhibetur *Herpinus* is, qui ab rege Henrico I. emit *Comitatum Biturigum*. Hic non multo post accingens se ad expeditionem Palestinæ cum aliis Principibus, eundem Coronæ uniendum vendidit *Philippo* I. Aliquot post annis Apannagii jure *Comitatum* in *Ducatus* dignitatem nunc evectum obtinuit à Patre *Ioanne Valesio* Francorum Rege *Ioannes Valesius*: quo sine prole mascula mortuo, Ducatus ad Regnum rediit. Adsignatus est postea *Ioanni* Caroli VI, qui numerosa prole gravatus erat, Filio. Hic quum ἄπαις obiisset, successorem reliquit *Carolum* Fratrem, qui Rex Francorum inauguratus Sponsalibus, quæ inter Henricum Angliæ Regem & Catharinam ipsius Germanam contracta jam antè fuerant, insuper habitis, quum ei major Regni pars ab Anglis esset erepta, per ludibrium *Biturigum Rex* fuit appellatus. Patri Carolo subrogatus est *Carolus*, Ludovici XI Francorum Regis Frater. Post eum *Margareta*, Regis Francisci soror, nupta primo Carolo Alençonio Duci, deinde Henrico Albretano Navarræ Regi, *Ducatum Biturigum* ab Fratre in Vsumfructum accepisse scribitur. *Margareta* denique, ejusdem Francisci Regis filia, *Bituriges* accepisse traditur ab Fratre Henrico II, quum nuberet Emanueli Philiberto Allobrogum principi. Primariam ejus

Vibes.

urbem Cæsar, Antoninus & alii *Avaricum* vocant, quę nunc vernacule *Bourges*, *Biturigæ* Ammiano & aliis. Dicitur & *Biturica*, *Bituricæ*, *Bituriga* Urbs, & *Biturica* civitas. *Avaricum* quidam dictum volunt ab *Eura* flumine, quo adluitur. Locata est in agro perquam amœno; qui non modo frumentorum omnium & leguminum, verùm etiam vinorum prestantissimorum, pecorum, volucrum, & quorumcunque fructuum feracissimus. Quatuor beata est rivulis, qui vulgo *Aufron* & *Aurette* ab una; *Ture* & *Molon* ab altera parte fluunt. Quis condiderit, ut pleraque alia opida, incertum est. Veteris paullo sequior quam hodiernæ, Urbis fuit situs. Ad Paludes scilicet vergebat, cujus etiam nunc cum admiratione visuntur Muri, propemodum integri, solidissima materia, ut passim veterum Romanorum opera, constructi: Initiũ capiunt ab Turri, quam *Magnam* vocant, pergentes per medium D. Stephani Templum, plateam D. Ioannis Campestris, portamq; Gordianam usque ad Novam, cui olim ab S. Andrea nomen; inde per plateam Amphitheatri, vulgo *les Arenes*, se ad portam Turonensem extendunt; hinc autem; porrecto ambitu versus portam D. Pauli, paullatim turrim, quam dixi, repetunt. Postea prolatis varie pomeriis ita fuit hæc urbs amplificata ab Carolo Magno & aliis: ut jam nunc cum maximis & munitissimis Galliæ civitatibus contendat; formam habens oblongam, ampliſſimam & spaciosissimam. Munita est octoginta editis crassisque Turribus. Inter eas principem tuetur locum quam antea *Magnam* dixi appellatam, vernacule, *la Grosse Tour*, ab insolita crassitudine, minoribus undique turribus muroque & fossis profundissimis; Philippo II Augusto Galliarum Rege circa annum CIↃ CXC curante, cincta. Forma est rotunda, magnæ altitudinis. Aliam omnino similem fuisse ajunt, sed dirutam; à binis Turribus *Biturigibus* nomen inditum fabulantes. Et laudat antiqui Grammatici carmen Calamæus.

Turribus à binis, inde vocor Bituris.

Verùm hi lymphatico furore correpti, quę somniarunt, aliis persuasa volunt. Septem habet Urbs *Suburbia*, totidemque Portas, præter minores aliquot, quæ hæc ibi flagitanti sunt facta necessitati. Ingruente ab hostibus metu, quatuor tantum patent; *Borbonia*, *S. Privati*, *S. Sulpicii* & *Aronia*. Septemdecim hic sunt *Ecclesiæ*, quas *Collegiatas* vulgo vocant: Septemdecim *Parochiæ*. Hæc urbs *Archiepiscopali* fulget *Sede*: sua floret *Academia*, cui nulla per totam Galliam par, Doctissimorum Virorum genitrix & Emporium. Viget in ea maxime Iurisprudentia, quam ibi professi sunt Professores excellentissimi, *Andreas Alciatus*, *Eguinarius Baro*, *Petrus Rebuffus*, *Franciscus Duarenus*, *Franciscus Balduinus*, *Antonius Contius*, *Hugo Donellus*, *Iacobus Cujacius* & alii. Urbẽ maximæ non semel calamitates adfixerunt. Quinquies & amplius expugnata ab hostibus, fere funditus diruta fuit, incendioque absumpta sed magnificentius semper restaurata. Recepisse se in eam scribitur Carolus VII, pressus bello Anglico: quare nominatus ab Adversariis, quod ea una & sola ipsi superesse videretur, *Rex Biturigum*. Prope *Bituriges*, inter vicos *Solange* & *Nehant* locum monstrant incolæ, quo Vercingetorix castra sua posuerat contra Cæsarem, qui oppidum obsidione cinxerat, ut eum inde moveret. Est autem *Avarici*, summum totius Ducatus Tribunal, cui præsidet Monarcha Biturigum; qui vulgo *Le Bailly de Berry*. Ad hunc devolvuntur omnes appellationes cum à Prætore Urbano, tum ab omnibus finitimorum aliorumque territorii Bituricensis locorum Magistratibus. Habet autem præfectus Bituricensis sub se Metropolim ipsam *Avaricum* & v Diœceses. Metropoli adcensentur Comitatus, *Montfaulcon*, *Sancerre* & *S. Aignan* Baronia. Castellaniæ fere xl, quæ ejusmodi ordine sequuntur & sic nominantur: *Ais d'Angillon*, *Sury en Veaux*, *S. Soulange*, *S. Palais*, *la Salle du Roy*, *Buoil*, *Quantilly*, *Fomorigny*, *Francheville*, *La Chapelle*, *Nãcay*, *Dryc*, *Beaulieu*, *Brecy*, *Bengy*, *S. Fleurant*, *Nsufny sur Baranjon*, *Morthonier*, *Marmaignes*,



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111.2, [233] - -

maignes, Maubranches. S. Vrſin, Tellay, Brilliers, Vatan, S. Satur, Bury, Eſtreches, Maulpas, Ville neufve, S. Crapaix, Aſchilly, Iuſſy, le Chauldrier, la Corne, les Chaizes, Vauvrilles, les Cloyes, Bouge. Hactenus de metropoli ejuſque juriſdictione. *Sancerram* quidam arbitrantur dictam ab *Cerere*, quæ ibi culta perhibetur, tamquam *Sacrum* vel *Sacellum Cereris*. Doctiores Latinè ſcribentes hujuſmodi Etymologiam adverſati *Xantodorum* vocant. Comitatus gaudet titulo, qui anno CIↃ XV permutatus cum *Belovacenſi*. Arctiſſimam ſuſtinuit *Sancerra* obſidionem anno CIↃ IↃ LXXIII; famem paſſa tam ſævam, ut poſt devoratos avidè canes, feles, equos, glires, mures, talpas, poſt conſumta cornua, corium, pergamenas & ſimilia, ne excrementis quidem carnibuſque humanis fuerit parcitum. Præter Caſtellanias parent illi *Ialonges Tarenya, Vardigny, Meneſme, Charentonnay, Brie*, & alia. S. *Aignan* nomen habet à *S. Aniano* Epiſcopo. Baronia *Montfaulcon* Latine ſonans *Montem Falconis*. Dominia complectitur *la Fane, Lyuron, Cony, Villahon, Seury, Marcilly, Marnay, Farges, Auor, Saligny, Percigny, Cru, Laſſax, Boisboſon, Nuiſſement, Villiers, Compoy*. Succedunt Dioceſes. *Iſſouldum* ſub ſe habet Baronias aliquot, & Caſtellanias ſupra xx, Baronias quidem *Chaſteau-roux, Caſtellum rufum* ſonat Latinis: Opidum inſigni arce ornatum in comitatus decus ab Carolo IX Francorum Rege evectum, ut Baroni gratificaretur Aumontio, cujus filius natu maximus Comitem ſe geſſit primum Caſtelli Rufi. Is antea Dominus audiebat Eſtrabonnæ. Sequuntur inde *Ceracay*, cui Arx *S. Severe, Lynieres*, cui annexa eſt Caſtellania *Rizay, Argenton*, in qua *Ravennes*, Seneſchallatus & *Servignet* præfectura. *Argentomagus* autem hoc putatur eſſe Antonini & Itinerariæ Tabulæ. Opidum eſt cum Arce, cui Turres decem, Majores ſeptem, tres Minores, quarum una dicitur *Heracly*, in qua Tauri effigies cui inſculpta Cæſaris illa, VENI, VIDI, VICI. Dominos agnoſcit Montprenſierios. Antiquitates quæ quotidie ex terræ viſceribus eruuntur, vetuſtum eſſe loquuntur.

Diœceſis Iſſoudunenſis

Fluminà. Sylvæ. Opera Publica.

Fluminibus hæc regio partim rigatur, partim alluitur: *Ligeri, Souldra, Aurrona, Cherre, Theone, Indro, Creuſa*, ac nonnullis aliis ignobilioribus rivulis. Montes hic nulli celebres. Silvis hinc inde conſpergitur regio, quarum præcipuæ ſunt *Silva Roberti*, & *Lacenna ſilva*. Avarici præter triginta quatuor Eccleſias de quibus ſupra dixi, ſunt Cœnobia quatuor *Ordinum Mendicantium*: duæ *Virorum Abbatiæ*, una *S. Sulpicii* potens & dives extramuranea: altera intra urbem *D. Ambroſii*, valde etiam dotata: tres *Mulierum*: prima *Nuntiade* vulgo, in honorem *D. Virginis*, altera *D. Laurentii*, tertia *Sororum Mendicantium D. Claræ*. Exſtructum ibi non ita pridem fuit à pio Magiſtratu *Ptochodochium*, Pauperibus aliiſque adflictis alendis conſecratum. Inter ſplendida Ædificia, quorum magnus ſemper hic fuit numerus, primũ agmen ducit *Domus Iacobi Corde*, qui vixit tempore Caroli VII ſuperba & ſumptuoſa. Sunt & *Ædes Almanorum*, qui quondam Regiæ Gazæ præfuerunt, antequã Nundinę quæ ibi maximo Peregrinorum concurſu celebrari ſolitæ, Lugdunũ transferrentur, anno CIↃ CCXCVII. Infinita monſtrantur hic cùm intra tùm extra Muros veterum Ædificiorum elaborati operis & materiæ præſtantis rudera: multa & quotidie eruuntur, præſertim ex Foſſa Arenarũ uti vocant, ubi quondam *Amphitheatrum*. Artes hic florent *Mechanicæ*, cum primis *Textrina*, & ab ea *Mercatura Pannaria*.

Opificia. Mercimonia

Dunum regium vernacule *Dun le Roy*, late ſe extendit ac ſubſunt illi Caſtellaniæ præter alias *Pradict Callant*; Baronia *Chaſteau* ad Carim, *S. Iulian*. Sequitur Vierzon civitas regia & Diœceſis ſub ſe habens Dominia, *Champre, Motte d'Aiſy, Saragoſſe, Brivay, Mery*.

Dun le Roy.

Vierzon.

Succedit inde *Mehun, Meliodunum*. Ius dicit Caſtellaniis *Love & Foicy*. Poſtremum eſt *Concreſſaultum*, latinè Concordiæ Saltus, Burgus eſt habitatoribus frequens, arcem habens ſitu opereque inexpugnabilem. Subſunt ejus juriſdictioni *Vailly, Clemon, Beaujeu*.

Mehun. Concreſſault

Status Eccleſiaſticus.

Archiepiſcopus Bituricenſis, *de Bourges*, hos habet ſuffraganeos Epiſcopos. X.

Claramontenſem, *Clarmont*
Rhutenenſem, *Rhodes*.
Lemovicenſem, *Lymoges*.
Menatenſem, *Mende*.
Albienſem. *Albi*,
Caturſenſem, *Cahors*.
Caſtrenſem *Caſtres*.
Tutelenſem, *Tulles*
S. Flori, *S. Flour*.

Anicienſis, *Le Puy* eſt exemptus.

Hæc ex Ioannis Chameau advocati Bituricenſis hiſtoria Biturigum deſcripta ſunt. Quæ in ipſius tabula deerant loca, ea nec numeris monſtrare potui, neq; enim amplior hujus Ducatus extat deſcriptio.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [234] - -
PUBLIC DOMAIN

DUCATUS NIVERNENSIS

Vulgo

DVCHE DE NEVERS.

DUCATUI Burgundiæ concenseri solent tres urbes Episcopales, quæ tamen Parlamenti Parisiensis jurisdictionem agnoscunt, vernacule nominatur NEVERS, *Auxerre*, *Mascon*. Prima dignitate gaudet & honore Ducatus, cujus ditio (*Duché de Nivernois*) late patens tribus navigeris fluviis irrigatur, *Icauna*, *Elavere*, *Ligeri*. Incolæ rei pecuariæ sunt dediti, frumenti producit ager parum, vini fere nihil: præter ferri, etiam argenti habet venas, circa Fanum D.Leonardi. Carbonum lapideorum, qui haud procul Decisa oppido effodiuntur, magnus ibi usus. *Soli indoles.*

Numerantur hic oppida portis murisque clausa XIII, quorum Nivernium est metropolis, jurisdictionem exercens in XXX ut vocant, Castellanias. *Noviodunum*, Cæsari notum, cujus lib.7. hæc de eo sunt verba: *Noviodunum erat oppidum Eduorum, ad ripas Ligeris oportuno loco positum*, &c. Et ne quis amplius ambigat, urbem Ligeri appositam, quæ *Nevers* vulgo, esse Noviodunum Cæsaris, diserte in quadam Notitia Provinciarũ Galliæ, quæ penes I C. Iacobum Cuiacium fuit, legitur: *Noviodunum Nivernensium*. Antonino Nivernium vocatur in itinere, quod Augustoduno ducitur Lutetiam Parisiorum. Oppidum est omni ex parte mænibus cinctum firmissimis, turribusque ampliſſimis & fossis profundissimis munitum. Qua Meridies est mœnia Ligeris lambit, pontem habens pulcherrime quadrato lapide constructum, viginti arcuum. *Nivernis*, unde vernaculum oppido nomen, ab Ortu circumfluens, duobus acceptis ponticulis, mox in Ligerim se exonerat. Ad Septentrionem & Occasum fontes sunt, ex quibus etiam aquæ in urbis fossas deduci possunt. Arcem habet & Palatium Principum Nivernensium, juxta primariam Ecclesiam, quæ D.Cyro sacra, cuique Episcopæum adhæret. Nihil, aut certe parum suburbiorum, quod secus in aliis Galliæ oppidis. Et hinc Nivernium munitius minusque insidiis obnoxium. Ambitu suo Parochias undecim complectitur, præter Abbatias S.Martini, & S.Mariæ fœminarum: & Conventus Dominicanorum, Franciscanorum, Capucinorum, Minimorum & Sororum Visitationis ac Collegium Iesuitarum. Episcopi recensentur a Claudio Roberti 103, quorũ primum facit S.Austremonium, discipulum S.Petri, ut vult Baronius, A. C. 46, aliis tamen dissentientibus, a quibus in tempora Decii rejicitur. Vltimum ponit Eustachium du Lys anno 1606 consecratum. Arx, cujus modo meminimus, splendida satis & antiqua, cui nunc nova ædificia cum area figurę quadratę latissima accedunt, opus Principe autore dignum. In ea hi versus leguntur: *Nevers olim Noviodunum.* *Origo nominis.*

En tibi magna Ducum prisca hæc nova mœnia surgunt,
Quæ veteri posito tegmine lauta vides.
Sic Constantinus Byzanti prisca novavit
Pergama, quem frater pectore & ore gerit.

Imprimis visu dignum est *le Cabinet du Prince*. Mensa ibi marmorea maximi pretii: cui ejusdem materię imposita tabella visu penetrabilis, si Soli aut Lychno obvertatur, in qua natura & ars elegantissimas ad stuporem usque picturas exhibebant. Nivernis picta in tabula appendebat perieti. In proximo ambulacro picti erant omnis generis homines, res quasvis viles venum Lutetiæ circumferentes & proclamantes, *le Cris de Paris*. Extra urbem est nemusculum, cum area ludi, quem *Ballemalle* vocant, locus æstivo calori evitando accommodatissimus.

De ea sic tomo Vrbium III scribit G.Braun: Noviodunum, vel ut plerique Nivernia, vulgo *Nevers*, Nivernensium Ducatus, urbs tam antiqua, eoque loco sita, ut sine errori dici ea possit, cujus in Commentariis suis meminit Cæsar hisce verbis: oppidum diruit (de Genabo loquitur) atque incendit, prædam militibus donat, exercitum Ligerim transducit atque in Biturigum fines pervenit. Vercingetorix, ubi de Cæsaris adventu cognovit, oppugnatione desistit atque obviam Cæsari profieiscitur. Ille oppidum Biturigum in via, No-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [236] -

viodunum oppugnare inſtituerat,&c. Vides ut Gergobinę urbi a Gallis obſeſſæ auxilio proficiſcens, Novioduno iter habuerit? quæ urbs non alia cenſeri poteſt,quam quæ nunc Nivernia dicitur ad Ligerim ſita, eo prorſus itinere,quo Cæſari eundum erat. Vbi is veritus, ne male ab exercitu Gallico exciperetur, quamvis urbem teneret: videns tamen adverſum occurre Gallorum equitatum, qui prælium depoſceret, eam reliquit. Itaque hodie quoque in ipſius urbis mœnibus videas antiquum propugnaculum, magnæ omnino amplitudinis & altitudine ipſos urbis muros æquans. Et vero Nivernium eſſe Noviodunum Cæſaris docet Aimo ille monachus hiſtoriæ ſuæ initio, ubi Celticas urbes enumerans, Noviodunum inquit eſſe, quam hodie Nivernis eſſe putant. Qui eadem etiam ſua hiſtoria perhibet,urbem hanc(quemadmodum univerſum Nivernenſem Ducatum, cujus Noviodunum caput eſt, initio Comites habuiſſe,qui rempub. Regis nomine curarent, ſed Comites deinde ejus poſſeſſionem ac Dominatum uſu cœpiſſe: Succeſſu deinde temporis Comitatum hunc ad Ducatus dignitatem pervenisſe,primumque Nivernię Ducem fuiſſe Franciſcum, filium Caroli Niverni & Mariæ Atrebatanæ. cui uxor fuit Margareta Borbonia, Coroli primi Ducis Vendomii filia.

Fluvii. Infra oppidum dimidii fere miliaris itinere, nobiliſſimus Arvenorum fluvius *Elaver*, vulgo *Allier*, Ligeri commiſcetur. Locus *Conflans a Confluentibus* fluviis dicitur.

Opida alia. Inter præcipua Ducatus Givernenſis oppida ſunt *Deziſa*. Deciſæ apud Antoninum: *Clamecyum, Douzyum, Molinium, Angilberthum, Corbignium, Fanum D. Leonardi, Luyzium, Premecyum* & alia. Co-

Olim Comitatus. mitatus olim, hodie Ducatus floret titulo.

Memoratur in Annalibus Franciæ *Philippus* Nivernii, Rhetelli & Eſtampii Comes, Philippi Valeſii Burgundiæ Ducis, qui cum fratre in pugna Azincurtiana cecidit, ſucceſſores nactus filios, in Nivernenſi quidem & Rhetellano Comitatu *Carolum*; in Stampano autem Ioannem, qui fratre ſine liberis defuncto, reliquos quoque Principatus eſt adeptus. Hic ex talibus conjugibus plures ſuſcepit liberos. Sed præmortuis cæteris, unam tantum filiam habuit ſuperſtitem *Carolam*; cujus (nupta enim fuit Ioanni Albretano) filia fuit, Maria *Albretana*, uxor Caroli Clivenſis, Ioannis II Cliviæ Ducis, filii, *qui primus Nivernii* Dux legitur. Huic filius fuit Franciſcus II Dux, cui ex Margareta Borbonia, Caroli I Ducis Vendocinenſis filia, liberi fuerunt *Franciſcus*, Dux III Niverſii; Comes Euſii, qui nulla prole relicta, pugna Dreuſiana periit anno 1563. *Iacobus* Ilæ Marchio, Dux Nivernii quartus qui etiam *ἄπαις* obiit; *Henricus* Nivernii Dux V, qui item, ut fratres, improlis eſt defunctus, quibus omnibus ſuffecta eſt ſoror Henrica, Dux Niverſii VI, quæ uxor facta Ludovico Gonzagæ Marchioni Mantuano, Principatum Nivernenſem dotis nomine ad eum attulit. Ex eo conjugio natus *Carolus Gonzaga Clivenſis*, Dux Niverſii VII, &c.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [237] - -
PUBLIC DOMAIN

BURGUNDIÆ DUCATUS.

Regio unde dicta.

BURGUNDIAE Ducatus ſive Inferior Burgundia nomen à *Burgundionibus* habet, qui Germaniæ populi, ex Vandalorum orti ſanguine, dictique à *Burgis*, id eſt, præſidiariorum caſtris ab Almannis (in horum enim agris violenter in Cappellatio, ubi hodie Palatini Comitis Ditio, conſederant) exturbati, ub Theodoſio Arcadii filio, juniore, expulſis late Sequanis Eduiſque, hanc Veteris Galliæ partem cum Nuithonibus (quorum Tacitus meminit) occuparunt. Quæ tum Alemannia dicta, ob amnis Rheni propinquitatem, agrorum fertilitatem nullis Germanorum Provinciis cedebat, contra quos vario ſucceſſu aliquamdiu pugnantes, tandem ſedes quas armis nequiverant, liberali incolarum benignitate obtinuiſſe iis nimirum Alemanniæ partibus, quæ nunc Palſgraviatus, ſive Palatinatus Rheni ac Marchionatus Badenſis titulo gaudent. Petrus Sancto Iulianus *Burgundiæ* etymon ab loco quodam deducit, qui vulgo *Burgogne* in agro Langrenſi. Olim regni titulo in Gallia longe lateque imperarunt. Anno CIↃXX Rex Burgundiæ fuit Rudolphus, ſocer Conradi Imperatoris, cui in regno ſucceſſit Conradi filius Henricus. Complectebatur tunc Burgundiæ regnũ Sequanos, Superiorem Burgundiam, Sabaudiam, Delphinatum & territorium Arelatenſe. Ideoq; regni ſedes modo Arelate, modo Aureliæ fuiſſe legitur. Ab his ad Clotharium totius Galliæ regem, poſtquam Theobaldus rex ſine liberis exceſſiſſet devolutũ eſt & ex eo tempore Burgundia penes Francorum reges manſit. *Regnum* hoc circa annum CIↃ XXXIV, bipartitum in *Ducatũ* & *Comitatum* abiit: quorum ille verſus Occidentẽ, *Burgundia Inferior* & *Regia*; Hic, ad Orientem, *Superior* & *Imperatoria*. *Ducatum* cingunt, qua Oriens eſt, Rhodano interfluente, Sabaudia & Burgundiæ comitatus; qua Meridies, Lugdunenſe Territorium: ad Occaſum lætiſſimi Nivernenſium Borboniorumque occurrunt agri; ad Septemtrionem Campania ſe offert. Hujus ager planus & ſoli fertilitate nulli cedens; hic enim certat cum Cerere Bacchus. *Richardus* Comes Auguſtodunẽſis vir ſtrenuus, & in re bellica exercitatiſſimus totius Burgundiæ, cis Ararim Dux inſtitutus fuit à Francorum Rege Odone, qui præfuit Ducatui Burgundiæ annis XXXII. Hic Burgundiam *Rudolfo* filio reliquit, & in Regem Francorum fuit electus, ac ſucceſſorem habuit in Ducatu, *Hugonem Nigrum* fratrem. Huic *Odo* frater aut filius (utriuſq; enim ſententiæ auctores reperio) ſucceſſit. Quem ſequutus *Henricus* frater. Quo ſine liberis defuncto, *Robertus* Francorum Rex, Ducatum Burgundiæ ex teſtamento, ut ajunt, Henrici adeptus eſt. Huic ſucceſſit filius *Robertus*, *Roberto Hugo* ex Henrico filio nepos. Hunc ſequutus eſt *Otho*, hunc *Hugo* II. Hugonem II, *Odo* filius. Quem ordine ſequuti ſunt *Odo* III. Hugo IV, *Robertus* III, *Hugo* V, *Eudo Philippus*. Quem ſine liberis defunctum ſequutus eſt *Ioannes* Francorum Rex, cui ſucceſſit filius *Philippus* cognomento *Audax* à patre Ducatu Burgundiæ donatus. Patri Philippo ſucceſſit *Ioannes* cognomento Intrepidus, atque huic *Philippus Bonus* ſeu *Mitis* filius. Atque hinc Carolus ob plurima bella quæ geſſit, Bellatoris cognomen ſortitus. Poſt cujus obitum hanc omnem ditionem occupavit *Ludovicus* XI. Metropolis Ducatus *Divio*, *Divio Caſtrum* in Martyrologiis vetuſtiſſimis; *Divionum* Gregorio Turonenſi, Gallis *Dijon*. *Divionis* cõditor habetur vulgo; nobis potius reſtaurator, pomeriique productor Aurelianus Imperator. Nomen ab *Divis*, quia plurimus ibi fuit cultus, impoſitum putatur. Hãc urbe nihil in Burgundia pulchrius amœniuſque. Sita eſt in planitie jucundiſſima, duobus fluminibus *Suzione* & *Oſcara* (*Suſon* & *L'Ouche* vernacule) utrimque muros adluentibus: ille quidem periculoſiſſimis exundationibus urbem infeſtare conſuevit; hic piſculentus admodum alveo fluit quietiore, rerum multarum uſum ſubminiſtrare ſolitus. Muri ad juſtam propugnandi magnitudinem in altum ſunt educti; turribus propugnaculiſque nuper exſtructis muniti. Sub Cœnobio *D. Benigni*, quod ab Gregorio conditum Lingonenſium Epiſcopo, vaſtum oſtenditur *Specus*, cryptas ciſternaſque habens, in quo *Benignus* vir Sanctus vinctus fuiſſe traditur, quum populum ad Chriſtum traduceret, dæmonum adhuc ſacris operantem. Supremum Iuſtitiæ ibi eſt Tribunal & Parlamenti ſedes; unde veluti ex ſinu, patriæ Iura petuntur. Qui in *Majorem* hujus oppidi legitur, non tam honorem quam onus ſuſcipere, vel invitus vel renitens, cogitur. Iuſque-jurandum præſtare in Templo D. Virginis, præeunte verba Procuratore regio, ſe Regi fidelem futurum, defenſurumque ſua civitati Iura, libertates & privilegia, adverſus quoſcumque; Regem etiam, quoties flagitat neceſſitas. Gregorius Turonenſis memoriæ prodit, *Hilarium* quemdam, Senatorem Divionenſem, adeo uxorem adamaſſe, ut quum defuncta inferretur tumulo ipſius, qui retro multis annis obierat, avida jam dextra fuerit ejus cadaver arctiſſime complexus. In vicinis urbi montibus optima creſcunt vina. Epiſcopales porro Ducatus hujus urbes ſunt *Auguſtodunum* & *Caballinum*; ſua utrumque ſuſpiciendum antiquitate. Priori nomen *Auguſtoduni* natum ab Auguſto qui dirutum bello, quod Cæſar contra Gallas geſſit, reſtauravit. *Bibracte* Cæſari, Petro ſancto, Iuliano; *Edua* Aimoino; *Aurelianum* etiam videtur appellatum. Hodie *Auſtun* dicitur. Urbs quondam ampliſſima, ſed multum de priſtina gloria amiſit. Viſuntur hic etiamnum magnæ Theatri ruinæ, itemque Aquæductuum, Columnarum, Pyramidum: effodiuntur etiam quotidie numiſmata antiqua, aliaque antiquæ ſupellectilis monimenta. Eſt & hodie templis publiciſque ſtructuris conſpicua. Templorum maximum eſt *Nazarii*, Sedes Epiſcoporum, quos Belleforeſtius numerat IXXXIV, ultimum nominans *Carolum Aillebouſtium*. Adſita eſt radicibus montium, qui vulgo *Les Mons de Cinis*, ad fluvium Arouſium. Multa quoque viſuntur *Auguſtoduni* cum intra, tum extra urbem antiquitatum monumenta, videlicet Fanum Proſerpinæ & Plutonis, Iani Templum, Martis templum, Martis Campus, *Philoſia* collis, Cupidinis ædes, fornices Veneris, Cucubarrus, Theatrum, Capitolium, Apollinis templum, Caninus vicus, Rochi delubrum, Arcus, Mons Druidus, Mons Iovis, ut plane æmula Romæ credi poſſit hæc civitas; unde & medii ævi Poëta quidam canit:

Celtica Roma dein voluit cæpitque vocari.

In hac urbe Magnentius, natione Gallus, poſt Conſtantem in Galliis fraude occiſum, purpuram Imperialem induit. Fuit & bonarum artium ſedes, ubi, ut Tacitus ſcribit lib. 3. Annalium, nobiliſſima Galliarum ſoboles liberalitatibus ſtudiis operabatur. *Caballinum* vel *Caballionum Eduorum*, vulgo *Challon ſur Saone*, non *Chaallon*. *Cabillo* Bedæ, Uſuardo & Adoni: *Cabellio* Antonini Itinerario & Melæ; *Cabillo* Itinerariæ Tabulæ: Καβυλλῖνον Strab. Καβυλλων; Καλλιὸν Ptolomæo, *Cabilonum* Cæſari. Quis condiderit, non conſtat. Sita eſt hæc urbs ad dextram

Olim regnum.

Situs.

Soli fertilitas.

Imperium Majorum.

Urbes.

Locus ſupremæ juſtitiæ.

Amoris exemplum.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [239] -

Burgundiæ Ducatus.

tram Araris ripam, agri uberrimi, cœlique saluberrimi, eximie felix, convehendisque secundo Arari mercimoniis idonea, unde ab Cæsare commeatui parando, exercituique qui sæpe in plures distractus erat partes, distribuendo delecta. Testatur hoc ipse sub finem lib. VII. *Profligato*, inquiens, *ad Alexiam Galliæ totius exercitu, Cæsar T. Labienum cum duabus legionibus & equitatu in Sequanos proficisci jubet. Huic M. Sempronium Rutilum adtribuit. Q. Tullium Ciceronem & P. Sulpicium Cabiloni & Matisconæ in Eduis ad Ararim, rei Frumentariæ causa collocat. Ipse Bibracte hiemare constituit.* Majorem olim fuisse loquuntur antiqua Rudera. Hæc *Guntchranni* aliquando regia fuit. Hic eam supra modum variis ædificiis ornavit: in S. Marcelli Cœnobio ibi conditus. Eam Lotharius Ludovici Pii Augusti F. postea incendio totam absumpsit, ut ne vestigium quidem civitatis appareret. Sed ob loci opportunitatem, postea iterum caput extulit, estque hoc tempore mercimoniis opulenta. Primarium Templum, consecratum olim sub nomine *D. Stephani*; hodie *D. Vincentio*, quod ejus ibi Reliquiæ ab Hildeberto I conditæ, est dicatum. Est & templum Divi Georgii quo tempore urbs à Clothario vastata, nullis incendii facibus aut tormentis unquam dejici potuisse memoratur. Trinis ornata quondam fuit nundinis utrisque ad totum mensem durantibus; alterisque *Brandoniis*; alteris ab Augusto mense nuncupatis, quæ tamen, urbe suis cladibus fere sepulta, primo quidem Genevam, quæ tunc etiam regni Burgundici erat, postea vero Lugdunum, ubi nunc quoque habentur, sunt translatæ. Retinet tamen Cabillonum, quas nundinarum beneficio solebat habere, immunitates: usurpat enim Cabillonensis magistratus nundinarum & Mercatuum magistri nomen. Et quo anni tempore nundinæ habentur, nemo Cabillonii adparitor, vel regius vel alius, quemdam potest jure sistere vel in ejus bona manus injicere. Hodie civitas pro dimidia tantum parte Episcopi est, pro altera Regis, ut & Burgundiæ Ducis. In duas enim divisa jurisdictiones, habet & curiam judicialem Castelli, quæ regia est & Episcopi collegnque Canonicorum Cathedralium, in qua Episcopalis nomarcha jus dicit. Cabillonensium familia secundum Principes longe fuit clarissima, cujus parens Guilelmus ille magnus fertur, cui à venatorio cornu erat cognomen. Sequuntur nonnulla Ducatus hujus minorum gentium oppida. Inter *Cabellinum* & *Matisconem* medio fere itinere oppidum est, quod vulgo *Tornus*, *Tinurtium* Spartiano & Antonino. Solo situm est fertilissimo, ab Arari undique cinctum. Colles in agro suburbicario vini generosissimi feraces. Ab utraque etiam urbe Matisconensi & Cabillonensi itineris spatio prope æquali distat *Cruscellum*, Regiæ Ditionis oppidum, ut Paradinus censet, *Secusianorum*, *Secusiumque* Ammiano dictum. Situm ad radices Juræ Montis, multis licet hodie ruinis deformatum; miram tamen præ se ferens antiquitatem. Ab Oriente montes habet celsos, amnesq; perennes, qui limpidas & potu suaves edunt aquas, unde fons saluberrimus ex topho & vasta rupe in oppidum longe porrigitur per ligneos tubos. Ab occasu planicies se in sinum laxissimum pandit. Tertia fere leuca ab urbe Cabillonensi versus Septemtrionem est *Belna* vulgo *Beaulne*, ad amnem, adcolis *Bourfoize* dictum. Sunt qui volunt *Bibracten* esse Cæsaris & Strabonis. Aliis alia mens est. Situm est hoc oppidum loco uliginoso & quod, ut scribit Paradinus, nullo pene negocio, nulloque ab hostibus discrimine, posset lacum urbi ad primum Lapidem offundere, quo hostes ab se submoveret. Urbs tota valida, mœnium sepimento circumdata, propugnacula habet, quibus omnium tormentorum vim potest excipere. Belnensis ager pinguis est & optimæ notæ. Vites habet toto terrarum Orbe nominatissimas. In eodem agro visitur *Cistertium* ab cisternis, Odonis Ducis opus stupendum in vastissimo nemore exstructum. Ejus Cœnobiarcham agnoscunt supra mille octoginta virorum Cœnobia, ac totidem prope Velatarum ejusdem instituti, quod hinc *Cistercience* dicunt. *Semurium*, vernacule *Semur*, situm est in meditullio Territorii, quod vulgo *Auxois*, oppidum non inelegans. Inter Divionem & Belnam itinere medio *Nuithonium* est, vulgo *Nuys*. Oppidum hoc semper gladiorum opificio fuit celeberrimum. Quod oppidum hodie *Avalon*; apud Antonium *Aballon*, ubi *Legio* XVI dicitur. Quod *Saulieu* venacule; *Sidolucum* est Antonino, *Legionem* illi XVIII tribuenti. Quod *Flavigni*, sesquileuca *Semurio* versus Orientem, *Flavia Eduorum* censetur olim dictum. Sunt & alia *Burgundiæ* oppida Burgique queis delineandis, brevitati studens supersedeo: ut sunt *Ausone*, *Noiers*, *Ravieres*, *Leigne*, *Mombard*, *Chastillon*, *S. Seigne*, (Abbatiam habet; haud procul hinc Sequanæ Fons) *Seloigne*, *Crevaut*, *Verdun*, *Arnay*, *Seure*, *Tonnerre*; *Tronoderum*, Antonino. *Burgundiæ Ducatui* concenseri solent aliæ tres urbes Episcopales *Nevers*, *Ausserre*, *Mascon*. Prima dignitate gaudet & honore Ducatus, cujus Ditio (*Duché de Nivernois*) late patens tribus fluviis irrigatur, Icauna, Elavere, Ligeri. Numerantur ibi XIII oppida clausa, quorum *Niversium* est Metropolis: Iurisdictionem exercens, in XXX, ut vocant, Castellanias. *Noviodunum* Cæsari, notum. *Nivodunum* Floriacensi vocatur, vulgo *Nevers*. Oppidum est omni ex parte mœnibus cinctum fi: missimis, turribusque amplissimis, & fossis profundissimis probe munitum. Inter præcipua *Ducatus Niverneusis* oppida sunt *Dezisa*, *Decisæ* Antonino & *Decetia* *mecyum*, *Douzyum*, *Molinium*, *Angilbertsum*, *Corbigny*, *Fanum D. Leonardi*, *Luyzium*, *Premecyum*, & alia. *Auxerre* sequitur, *Autisiodorum* Antonino, *Legionem* hic locanti XXII. *Antosidorum* Ammiano, *l'Eveschè d'Auxerre*. Territorium hujus urbis, vulgo *le Pais d'Auxerrois* vino cognomine est nobilitatum. Urbs quæ hodie *Mascon*, Cæsari dicitur *Matisco*; *Matisco*, Itinerariæ Tabulæ; *Matisconense Castrum*, Noticiæ Provinciarum Galliæ, & Antonino, qui *Legionem* ibi ponit X; *Maštico* in veteri quodam Diplomate, ut notat Philippus Bugnonius, qui hujus urbis historiam concinnavit, *Machaon-Villa* videtur dici Paulo Diacono in Longobardicis. *Matisana* est Gregorio Turonensi, & aliis, Caballino, si situm quis cultumque & artes respiciat, simillima. Porrecta jacet ad Ararim, qui ponte insigni stratus, recto longoque ad Orientem tractu: reliquis lateribus in arcus speciem se formantibus. Flumina habet Ducatus *Suzionem*, *Oscaram*, *Ararim*, *Icaunam*, *Ligerim*, *Elaverem*, & alia.

Civitatis Cabillonii divisio.

CAROLOESIUM COMITATUS

Gallicè

LE COMTE DE CHAROLOIS.

COmitatus Carolæsium est inter fluvios Ligerim & Ararim ; terminos habet à Septentrione Ducatum Burgundiæ; ab Occidente Borbonios & Forenses; à Meridie Bellojolesios,& Lugdunenses;ab Oriente Bresiam. Nomen sortitur ab oppido Carolæsio vulgo Charlois. Creduntur hic habitasse qui à Cæsare & Livio Ambarres vocantur.

Major natu Ducis Burgundiæ titulo huius Comitatus honoratur, vivente patre, ut videre est in Carolo Audace,quamdiu parens Philippus Bonus supererat,cujus crebra est mentio in Historiis Belgicis & Gallicis. Idem observatum in Carolo postea,Imperatore, prate Philippo superstite. Magnæ sepe fuere lites inter Phillippum II Hispaniarum,& Henricum II Galliæ Reges, de jure hujus Comitatus,donec post tristes sanguineasque belli contentiones, per Legatos pax firma inita est in arce Cameracesia, quæ nuptiis Isabellæ Henrici filiæ cum Rege Philippo fuit confirmata,In hoc pacis tractatu Legati Hispani adeo solidis rationibus Comitatum hunc ad Regem suam spectare docuerunt, ut Henricus Rex illum totum Hispano cesserit. Mansit nihilominus, ut antea solet, jus provocandi in causis civilibus ad Parlamentum Dolanum , seu primarium consilium Regis,à quo non datur appellatio. Itaque Rex Galliæ est dominus Feudatarius Carolæsii.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [241] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [242] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [243] - -
PUBLIC DOMAIN

BVRGVNDIAE
COMITATUS.

Regio.



Vrgundiæ Comitatus, sive *Burgundia Superior*, Francis *Franche comté*, id est *Liber Comitatus*, est ideo dictus; quia Provincia planè sub suo est comite, ab omnibus, ut ajunt, tributis & exactionibus libera. Feudum est Imperii, sub protectione Bernensium Helvetiorum. Conregionales illi sunt ad Septemtrionem Lotharingia, Superiorque Germania, ad Occidentem Burgundiæ Ducatus: quà Oriens est, occurrunt Helvetii: quà Meridies, Allobroges & Segusiani: Longitudo xc, latitudo LX est milliarium. Regio admodum fertilis: rebus omnibus ad victum necessariis instructa, agerque sementi faciendæ, arboribus serendis, vinetis vini laudatissimi sustollendis, pecori alendo commodissimus; summa est ubique tritici, siliginis, hordei, avenæ, fabarum, milii, aliorumque leguminum fertilitas; arborum haud minor fœcunditas, ager passim præsertim quà umbilicus est & Regionis meditullium, colles habet præstantissimorum, primæque nobilitatis vinorum feraces. Apud *Arbosianos* & *Vadanos* vasa vinaria sunt adeò magna, ut domos altitudine videantur æquare. Prope Regiam veterum Burgundiæ Regum, quæ adcolis hodie *Chambrette au Roy*, ex terra gypsum, materiam calci similem effodiunt. Eruituribidem & in *Dolano Agro* in Magnatum sepulturas marmor candidi coloris, quod Ἀλαβαστίτης Græcis appellatur; & aliud nigerrimum, maculis purpureis variatum. Varii etjam generis videre est ibi animalia, magnamque jumentorum & pecudum copiam. *Granvellenses* equos Gradarios, canesque ejusdem tractus ferocissimos probant omnes. De antiquis hujus Burgundiæ Comitibus, stirpis etiam Imperatoriæ Franciæque, multi multa memoriæ produnt. Nuperi fuere, quorum Comitis & Palatini Burgundici simul cum Ducatus tum titulos primus gestavit *Eudo*, cui successit Philippus ex Philippo filio nepos, quo sine liberis defuncto, Rex Francorum *Ioannes* Ducatum Burgundiæ filio *Philippo* qui *Audax* cognominatus fuit dedit: sed *Margareta* Philippo, nepoti ex sorore Ioanna succedens, Comitatum adepta est Burgundiæ: Huic successit *Ludovicus Malanus* filius. Huic *Margareta Malana* filia. Hanc Philippus Burgundiæ Dux cognomento audax uxorem duxit. Huic ordine successere *Ioannes* filius cognomento *Intrepidus*, *Philippus Bonus*, *Carolus Bellicosus*, *Maria*, nupta Maximiliano Austriæ, *Philippus Austriacus*, *Carolus* V Imperator, &c. *Philippus Hispaniarum* Rex, *Philippus* Hispaniarum Monarcha. *Dola* totius Comitatus est Metropolis, reliquarumque urbium celeberrima, ad Dubim sita fluvium, qui in duo hic brachia scinditur. Nihil ibi earum rerum, quæ ad civitatis splendorem faciunt, desideratur. Forum hic elegantissimum & spatiosum, forma quadrata, longitudine tamen latitudinem nonnihil superante. In parte Occidentali Prætorium est, cum carceribus. Primarium Templum, quod pulcherrimum & admirandi operis, Deiparæ Virgini est sacratum. Sunt & multæ aliæ, inter quas *Vesontio* Cæsari: & itinerariæ Tabulæ: *Visontio*, Antonino: *Vesuntium* Ammiano: Οὐισόντιον Ptol. Hodie *Besançon* urbs Imperialis: olim quoque dicta *Chrysopolis*, Paradino teste, sita est commodo fertilique territorio. Alduasdabis fluvius magna ex parte ipsam interfecat ejusque potiorem partem concludit, reliquam partem ad portam quà Dolam itur, fluvius non alluit. *Nazarethum Noseroy*, quod olim à nucibus dictum Nucillum, sed Ludovicus Cabillonensis ab expeditione Hierosolymitana reversus, muris cinxit, ac *Nazarethum* dici voluit. Hic comes arcem habet, quæ quia plumbo intecta est, dicitur plumbea. *Salina*, amplissima civitas, toto terrarum orbe celebris; ab salsis denominata fontibus, saleque inde igne densari solito, qui candore præstans in finitimas regiones exportatus maximum hujus Comitatus est vectigal. Lacus habet hæc *Burgundia* ingentes & mirabiles. Inter eos non postremi loci, cui ab *Voraginibus* nomen: mirum Naturæ ludentis opus. Super enim aqua fit limus, qui adeò durescit, ut Continens videatur, super quo tamen equites currusque securè non ambulant, sed soli pedites. Is cœlo pluvioso & nebuloso non emergit, nisi serenitas sit futura. Tunc per foramina brevi tempore auctus totam Columbanam planiciem rigat. Ei mons celsus ab Oriente imminet, unde crebri fontes in illum diffluunt. Inter Nozerethum porro & Ripariam alius est lacus in Bonvalli; Lupis, Percis & aliis piscibus abundans, qui septimo quoque anno in aliquot hebdomadas suffugiens & delitescens, iterum emergit, quæ res in miraculum exit, fidemque vincit. Tractus hujus Comitatus Australiorlacubus scatet: Videre ibi est, qui vernaculè *Maleteux* Major Minorque: *Marley*, profunditatis vix credendæ: *Vernoy*, duo *Chamblici*, *Frogeay*, *Ronchault*, & alii. Flumina scindunt eam beantque plurimum non pauca; *Dubis*, *Lougnonius*, *Danus*, *Lupus*. *Dubis* totus ad hunc Comitatum pertinet: Δοῦβις Ptolemæo, *Alduabis* Cæsari, si proba sit conjectura Fulvii Ursini; in aliis codicibus *Alduasdubis* & *Alduasdalis* vitiose legitur, vulgò *Doux*. Oritur ex Monte Iura paullo supra pagum amœnissimum: quique instar oppidi, Motam. *Dubis* porro, cœpto ab Meridie in Septentrionem cursu, per Pontium lacum lapsus, nonnullis amfractibus prætergressus Pontarlum, Mortuam & Vafrum, Fanum petit S. Hippolyti: unde in Occidentem flexus ad *Pagum Ghastelot* versus Africum tendens, Vesuntionemque permeans, & facta ad Dolam insula post multas ambages receptosq; fluvios prope Virdunum Arari commiscetur. Totus etiam Burgundiæ Superioris est *Lougnonius*, vulgò *Lougnon* quiin Lotharingiæ finibus ortus variis oppidis pagisque lustratis paullo supra Auxonam in Ararim se fundit. *Danum* evomit ex sinuoso recessu mons arduus, Syrodo, grandi & celeberrimo pago, incumbens, hoc modo: postquam descenderis, est antrum profundi præcipitii & intus fons inperscrutabilis profunditatis, latitudine forsitan decem passuum. Huic rupes horrendæ imminent, quæ contemplantibus horrorem planè incutiunt ac per gurgitem altissimum tanta aquarum copia ebullit, ut statim in ipso ortu flumen navigiorum, si ob rupes & saxa, per quæ devolvitur, liceret, satis capax esset. Incolis hoc flumen *Dain* vocatur. Fluvios in se recipit varios cum aliis prope fontem *Senam*, amnem fama & natura ingentem, ex *Fonte-Sena*, pago qui immensus multisque constans villis, ab eo denominatus exorientem & saxosa convalle per Plancas & Sienū vicos labentem juxta Burgum oppidum. Et sic aliis LX auctus fluminibus decurrens ac præterlabens per Superioris Burgundiæ meridionalem partem, in Rodanum tribus Lugduno versus Orientem milliaribus invehitur: unde *Dani* nomen in posterioribus *Rodani* sunt qui arbitrantur latere. Pisces habet *Danus* gratissimi saporis, præter alios Troctam & Auratam. *Lupus* vel *Lupa*, vulgo *Louve*, altissimus, latissimus, rapacissimus Burgundiæ fluvius, multa habet piscium genera: inter quos numerantur Alosa, Barbatulus, Anguilla, & Aurata. Oritur paullo supra Villephanum in Ovino pago, & non procul ab Dola cum Dubide in Ararim aquis properantibus devolvitur. Est & Araris, & alia. Thermæ quoque cum magna calidarum aquarum copia ad Luxovium oppidum scaturiunt. Regio insuper sylvis, montibus, vallibus gratissima, vicissitudine spectatur variata. Montium autem hujus regionis præcipuus & nominatissimus est *Iura*, qui hanc provinciam à Lotharingia disterminat & *Vogesus*. Academiam habet hic Comitatus *Dola* veterem quidem, sed quæ circa annum CIↃ CCCC LXXXXIV, sopitis bellis, serio florere cæpit. In collegio Hieronymiano Blibliotheca servatur multorum Auctorum & optimorum Codicum. Sedes hic supremi senatus quo ab inferioribus Comitatus Tribunalibus, absque ulteriore provocatione, appellatur, expugnatam vi ab Ambrosio, pernicioso que incendio funditus fere anno 1479, mense Majo deletam pii cives sensim restituerunt, pontibusque variis, mœnibus validissimis, stupendis propugnaculis, magnificis templis & sumptuosissimis ædificiis ornarunt.

Quod ad statum liberi hujus Comitatus Politicū attinet, tres status in Comitiis provincialibus convenire solent, convocante ejus nomine Comitis Principe Arausiorum, Nozoreti & Arlæi Dynasta. Sunt illi Nobiles, Ecclesiastici, Urbes. Dividitur

Solifertilitas.

Animalium varietas.

Imperium Majorum.

Vrbes.

Lacus.

Fluminum.

Montes.

Academiæ.

Bibliotheca.

Status Politicus.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [245] - -

Dola. quoque in tres Diæceſes ac præfecturas, quæ Baillivatus vulgo, *Dolanam, Superiorem & Inferiorem.* Primæ ſedes eſt *Dola*; Secundæ *Veſully*; Tertiæ *Bolichny*; ſingulis ſuæ ſunt urbes, oppida, pagi: quibus cum Comitibus, Abbatibus, Prioribus, Canonicis Dominiſque ad Comitia provincialia veniendi & ſuffragium dicendi jus eſt.

Quingium. Dolanæ Diæceſi accenſentur *Dola*, *Quingeium*, *Ornatum*, *Rupes-fortis*, *Vercellæ*, *Loya*. Quingium vulgò *Quingen* vetuſtiſſimum eſt oppidum in Lupiæ ripa ſitum ab Amboſio ſolo adæquatum, nunc utcunque reſtauratum.

Ornatum. Ornatum *Ornans*, inter excelſiſſimos montes, interfluente Lupia, piſcoſo fluvio poſitum; Nicolai Perrenotti Granvellani, ſupremi rerum ſtatus conſiliarii & Sigillorum Cæſareæ Majeſtatis cuſtodis, ortu & natalibus nobile.

Rupes fortis. Rupes-fortis, *Roche-fort* oppidulum deditione captum poſtquam aliquamdiu obſeſſum fuiſſet ab Amboſio anno ſupra dicto. Vercellarum oppidum mœnia habet ruinis deformia. *Loya* pagus eſt ampliſſimus.

Vercellæ.

Loya.

Superioris Diæceſis urbes. Ad Superiorem Comitatus Diæceſim pertinent Græum, Veſuliam, Mons-Boſonis, Iuſſeium, Portus ad Sarnam, Cromaræum, Mons-Iuſtini, Falcomænum.

Inferioris urbes. Inferioris Comitatus præfecturæ ſunt *Salinæ, Arboſiū, Polichniū, Pontarlum, Noæretum, Caſtrum Coroli, Monmorotum, Orgelotum.*

Atque his quidem quas recenſui, omnibus in Comitiis publicis ſuffragii jus eſt, quæ vero non tantæ ſint dignationis hæ creduntur: *Iunia*, vulgò *Iougne*: *Vſierum Vſier*, *Mortua*, *Hyppolyti fanum*, *Burgum*, *Claravallis Clervaulx*; *Fanum S. Claudii S. Claude*; *Turmeya*, *Campignola*, *Monetum Monet*; *Mirebellum Mirebeau*; *Sorlimum Sorlin*; *Caſtellana*, *Balma Baume*; *Celera*, *Arleum Arley*; *Rufacum Ruffey*; *Bleterum Bleterans*; *Lonſalinum* vernacule *Lyon*, vel *Lon le Sauvier*; *Laurentianum S. Laurens de la Roche*; *Sanctulianum S. Iulian*; *Mons floridus Monſtleur*; *Chevannæ Chavannes*; *Amurcum S. Amour*; *Montronis Montron*; *Lila Lille*; *Luxovium Luxoul*; *Robimons Rougemont*; *Gyum Gys*; *Iunvilla Jonville*. Sunt & pagi ibi celebres, *La Motte, Roche Ioan, Fons-ſenæ, Vers, Saugean, Chaſtillon, Montroland, S. Lothain, Saulbie, Dornon.*

Pagi celebres.

Veſontio Beſancon. In ipſius Comitatus umbilico, libera Imperialis ac metropolitana urbs *Veſontio* vulgò *Beſancon* poſita eſt, naturæ beneficio ad propulſandos hoſtiles inſultus munita. De ea ita Cæſar Comment. lib. 1. *Veſontio* inquit *Maximum Sequanorum oppidum, natura loci ſic munitum ut magnam ad ducendū bellum daret facultatem, propterea quod flumen Alduabis, ut circino circumductum, pene totum oppidum cingit, reliquum ſpatium quod non eſt amplius D C. qua flumen intermittit, mons continet, magna altitudine, ita ut radices ejus monti ex utraque parte ripæ fluminis contingant, hunc murus circumdatus arcem efficit & cum oppido conjungit.* Hæc Cæſar. Mirandum autem in modum urbem hanc commendat Antiquitas, quæ à Iulio Cæſare ob bellicoſam gentis fortitudinem & ſummum libertatis ſtudium culta ſemper & obſervata fuit. Tantas ſiquidem ſuo ævo Veſontinorum vires fuiſſe commemorat, ut Principes etiam Alemannos ſtipendiarios habuerint; tunc etiam cum Orgetorix apud Helvetios longe nobiliſſimus & ditiſſimus, regni cupiditate inductus, nobilitatis conjuratione facta, ſuis perſuaſiſſet, ut de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent, perfacile fore, cum virtute omnibus præſtarent totius Galliæ imperio potiri. Nec tamen tempore Romanorum ea fuit ſtructuræ magnificentia, qua ſe nunc commendabilem reddit: nihil enim fere tum ambitu ſuo aliud Dubis continebat, quam quod eſt verſus S. Quintini montem, & S. Ioannis & Stephani fanum reſpicit. Dubis etiam fluvii alveum plateam vulgo Ronchaux fuiſſe affirmant. Muri autem quorum Cæſar meminit & Dubi fluvio utroque ex latere claudi ait, etiam hodie conſpiciuntur & S. Stephani montem à *de la Croce* ſeparant, quorum initium à porta ſciſſa vulgò *Taille*, quæ eſt rupes ferro in uſum portę excavata, ad portam uſque *Maupas* deducitur. Sunt qui aſſerant Turrim S. Quintini quæ antiqua eſt Domus nobilis & patricii Veſontini quondam hujus urbis portam fuiſſe. Et quamvis Veſontina Monarchia tantæ non fuerit dignitatis atque potentię, quantæ olim Romana, tamen publicorum ædificiorum magnificentia proxime ad ejus famam & gloriam acceſſit. Vetuſta ſiquidem in hac urbe loca, qualia olim Romæ conſpiciuntur, quæ Panthæon, Campus Martius, Dianæ, Minervæ, Campuſque Lunæ, multaque hic alia priſcæ vetuſtatis monumenta conſiſtunt. Archiepiſcopatu etiam hæc urbs inclareſcit, cui primum S. Anthidius Pontifex præfuit, miſſus ab Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo, viris religioſis ac doctis, qui Chriſtianæ fidei incunabula ac rudimenta traderent. Intra mœnia ſunt horti ſpatioſi, vineta, viridaria, aptique ſtudiis & meditationibus receſſus.

De antiquis hujus Burgundiæ Comitibus, Stirpis etiam Imperatorię, Franciæque multi multa memoriæ produnt. Nuperorum hoc eſt ſtemma.

Philippus V cognomine Longus | *Francorum Rex* — *Vxor Ioanna Othonis Burgundiæ Comitis filia & hæres.*

Ioanna, Comes Burgundiæ, defunctis Othone Avo materno: & Roberto Avunculo. Duxit eam Otho, Dux Burgundiæ, qui hoc conjugio Ducatum Comitatumque comunxit.

Philippus Burgundus ante patrem mortuus.

Philippus, Dux Comeſque Burgundiæ, avi Othonis ſucceſſor improlis obiit.

Margareta Philippo, nepotiex ſorore Ioanna ſuccedens, Comitatum adepta eſt Burgundiæ. Nam Ducatum dederat filio ſuo Philippo qui Audax cognominatus Francorum Rex Ioannes. Nupta fuit Ludovico Nivernenſi, Flandriæ Comiti.

Ludovicus Malanus, Comes Flandriæ, Niverſii & Reſellii: & poſt exceſſum matris, Superioris Burgundiæ. Vxor Margareta Ioannis III Ducis Brabantiæ filia & hæres.

Margareta Malana, unica Patri hæres, Dux Brabantiæ &c. Comes Flandriæ, Superioris Burgundiæ, &c.

Ioannes cognomento intrepidus.

Philippus Bonus.
Carolus Bellicoſus.
Maria nupta Maximiliano Auſtriaco.
Philippus Auſtriacus.
Carolus V Imperator.
Philippus II Hiſpaniarum Rex.
Philippus III.
Philippus IV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [246] - -
PUBLIC DOMAIN

TERRITORIUM
BRESSANENSE
vulgo
PAYS de BRESSE.



Itio Bressianensis fluminibus tota ab Occidente Arari; ab Oriente & Meridie Rhodano intercipitur, clauditurque. Sunt qui Sedem Segusianorum esse volunt, quos refutat in Gallia sua Paulus Merula partis 11 lib. 3. cap. xxvj. Hæc ab Occidente habet fluvium Ararum, Lugdunum inter & *Mont-bellay*; à Septentrione Burgundiæ Comitatum; ab Oriente Lacum Lemanum ac Genevense Territorium; à Meridie Lugdunensem & Viennensem tractū. Comitatus in ea insigniores inveniuntur, veluti de *Basgey*, de *Villars*, de *Varas*, *du Pont de Vaulx*, & *de Montreveil*. Ulricus Basgæi Comes & Bresiæ dominus filiam reliquit unicam & hæredem, Sybillam, quam cum uxorem duxisset Amedæus IV, Sabaudiæ Comes viij, Comitatum Basgæensem, totamque Bresiam suæ fecit ditionis. Anno demum CIↃ IↃ CI Regno Galliæ accesit, à Rege Henrico IV primum armis occupata, dein à Duce Sabaudiæ pro Saluciarum Principatu tradita, ut autem pateat, quæ loca Sabaudus Regi Galliæ tradiderit, ipsas conditiones in medium proferam.

Pacta (inquit Thuanus) hujusmodi fuerunt, ut omnis intra Rhodanū à Geneva urbe tractus, ipso fluvio comprehenso ad ditoné Francicam, cum omni jure Supremi dominii deinceps pertinent. Tantum pro transitus in Sequanos comoditate pons Cresini inter Clusuras & Arbiæ pontem, cum designatis aliquot pagis Sabaudo reservatus, ea lege, ut nullum vectigal imponere aut toto illo tractu ullum propugnaculum exstruere possit. Burgi arx bona, fide Regi tradatur cum tormentis & omni bellico apparatu & annona. Trans Rhodanum præterea Seissellium Daira, Chausium, Arleipons, Chetra, Castellum cum omni jurisdictione suaRegi cedant. Præterea Gexensis præfectura cum omni territorio ac pleno jure, sicuti iis Sabaudi decessores usi ac fruiti sunt. *Nota b.*

Patet Bresia in longitudinem decem leucas, & quatuor in latitudiné intra fluvium Dainium, *le Pays de Mantua*, *S. Maurice* & alias regiunculas. Cœli ac aëris calor non solet ibi esse tam ingens, quam in Delphinatu, nec frigus tam vehemens quam in inferiori Germania, ubi flumina congelari solent. Solum habet fertile & fœcundum; abundat enim uvis, tritico, pisis, rapis, caulibus, faseolis; nec non, hordeo, fœno & avena aliisque frugibus. Ad latus Orientale Bresianensis territorii conspicuus est Comitatus Genevensis cui nomen à *Geneva*, urbe miræ antiquitatis. Metropolis totius Regionis est Burgum, vulgo *Bourg en Bresse*, ad differentiam Burgi Pontii Leontii vulgo *bourg sur mer*, ad confluentem Ellæ in Garumnam. Urbs est ampla satis, lautaque & populosa, propè quam templum est sepulchris Ducum Sabaudiæ clarum, loco jacet palustri sed fecundo, ad Ortum Iuræ montes, & molli clivo descendentes amœnissimos colles vitibus consitos habet. Bresiæ sunt adhuc oppida minora *Pont de Vaux*, *S. Iulien*, *Pont de Villiers*, *Montalier*, *Trevoulx*, *Loye*, *S. Rambert* & alia quamplurima.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [247] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111 2, [248]



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [249] - -
PUBLIC DOMAIN

PRINCIPATUS
Vulgo
LA SOUVERAINETE
DE DOMBES.

Termini



Dynastia hęc intra Bressanensis agri fines continetur, eamq; ab Oriente Dainius & Resouza; à Meridie Rhodanus, ab Occidẽte Saona circumfluunt. Supra Choysſæum initium ſuum capit ad ripam Saonæ, hinc verſus S. Trivierium, per pagos *S. Cyre* la *Chapelle*, *S. George*, le Bouchouz abit, inde reducto greſſu radit Burgũ Breſsiæ metropolim, à qua in Meridiem recta fere tendit, uſq; dum includat pagum *Cram*, à quo ad Montelierium extenſa, iterum reflexa miris modis ad Saonam tendit. Longitudo ejus maxima eſt novem miliarium; latitudo par fere juxta Saonæ ripam, Thoyſſæum inter & pagum *Geney*. Irrigant eam præter Saonam, *Renon*, *Trance*, *Veyla*, *Challarine*. Metropolim habet Trivultium vulgo *Trevoulx*. ſitam ad Araris ſive Saonæ ripam, Lugduno tribus miliaribus diſtantem. Reliqua ſunt *Thoiſſey*, *S. Trivier*, *Villa-nova*, *Challamont*, oppidula, pagi & vici plurimi, quos paſsim tabula exhibet; nec tamen tam ſuis, quam vicinis urbibus celebris eſt. Ad Septentrionem quippe ſe oſtendit in ipſo Arari *Matiſcona* hodie *Maſcon*, Matiſco Itinerariæ tabulæ; Matiſconenſe caſtrum Notitiæ Provinciarum Galliæ; & Antonino, qui legionem ibi ponit decimam; Machaonem villam putant dici Paulo Diacono in Longobardicis; Matiſſana eſt Gregorio Turonenſi & aliis: Caballino ſi ſitum loci, cultumque & artes reſpicias, ſimillima. Porrecta jacet ad Ararim, qui ponte inſigni ſtratus, recto longoque ad Orientem tractu, reliquis lateribus in arcus Speciem ſe formantibus. Inter ſacras ædes, quarum Cathedralis S. Vincentio eſt conſecrata, pulcherrimum fuit Dominicanorum cœnobium, quo loco ante Comitum erat Palatium à S. Ludovico exſtructum, vaſtatũ cum reliquis omnibus publicis ędificiis, annis 1562. & 1567. ab iis qui reformatam ſe religionem profiteri ajebant. Hic volunt primum celebratam à Chriſtianis diem Dominicam, ut videre eſt ex Guntchranni Aurelianenſium Regis edicto, quod in Synodo ibi celebrata promulgatum. Comitatus titulo claruit, quem Francorum Rex Ludovicus IX emit ab Ioanne ejuſque conjuge, Comitibus Matiſconenſibus. Tragediam de Guilielmo, Matiſconenſi Comite, quem, quod Cluniacenſes Monachos indignis modis tractaſſet, ex convivio ab ignoto raptum, fama loquitur, quam aliunde petat Lector, fidemque ei habeat, quam volet. Ad latus Meridionale, juxta Trivultium conſpicitur Lugdunum, ampliſsima, ornatiſsima & florentiſsima urbs, ad Araris & Rhodani confluentes. Colonia in eam Auguſti Principatu ducta, in cujus quoque honorem & templum erectum & ara. Priſcam ejus magnitudinem teſtantur, paſsim templorum, arcuum triumphalium, aquæductuum & alia antiquitatis monumenta. Ab ea urbe nobiliſsima Galliæ pars in quinque diſtincta eſt portiones; Lugdunenſis I. II. III. IV. V. uti in Notitia Provinciarum Galliæ videre eſt. Igne fatali miſerandum in modum ſuo tempore exuſtam conqueritur Seneca, clademque inde acceptam deplorat Epiſtola ad Lucilium XCII. Solatium iſti calamitati adhibitũ à Nerone. Septimo poſt in cendium anno, quum ejus mœnibus ſe continuiſſet Albini exercitus, ab Imperatore Severo obſeſſa, poſt capta, direpta, iterumq; obſeſſa fuit. Lugdunũ Philippus pulcher Francorũ Rex, juſſu Pontificis ditioni ſuæ adjecit, ſcribente in Annalibus Papirio Maſſonio. Loco ſita eſt urbs amœno & commodo, natura fere in expugnabilis, ab una parte duobus munita collibus iiſque fructiferis; ab altera totidem beata fluviis, Arari Rhodanoque, templorum ædificiorumq; cum publicorum, tum privatorum magnificentia ſuperbiens, opibus & mercatura, ſupra modum florens, ut celeberrimum facile ſit hodie totius Galliæ emporium, Regniq; cor & clavis inſtar, qua aditus recluduntur in Italiam, Germaniam aliaſque Provincias, confluentibus eo ad publicas nundinas ſolenniter, & ex condicto quaſi, quater ſingulis annis variarum gentium mercatoribus. Regnante Carolo IX, cum tota arderet bellis civilibus Gallia, arcem accepit. Sedes eſt Archiepiſcopalis, cujus præſules recenſet Belle-

Longitudo & latitudo.

Fluvii. Metropolis.

Oppida alia.

Vicinæ urbes.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [251] - -

forestus CII. quique Primates se gerunt Cleri Gallicani. Est & Seneschallatus antiquus, cui subsunt territoria Lugdunense, Forense, Matisconense & Bellojolesium. Ecclesiam Lugdunensem celebravit Bernardus Abbas Claravallensis hoc elogio: *Inter Ecclesias Galliæ constat prosecto Lugdunensem anteire, uti dignitate sedis, sic honestis studiis & laudabilibus institutis. Ubi enim æq; viguit disciplinæ censura? morum gravitas? maturitas consiliorum, auctoritatis pondus? antiquitatis insigne; præsertim in officiis Ecclesiasticis haud facile unquam visa est repentinis novitatibus acquiescere, nec se aliquando juvenili passa est decolorari levitate.* Irenęus Lugdunensis fuit Episcopus, Scriptor Græcus, cujus extant lib. v. contra impias veterum hæreticorum opiniones. De antiquitate & origine urbis Lugdunensis virisque ejusdem illustribus cum Episcopis, tum aliis (inter quos L. Plotius Gallus, qui primus Rhetoricam Rhomæ professus fuit, teste Suetonio, & à quo cum Q. Fratre latine primum se doctum refert M. Cicero) plene scripsit Symphorianus Champerius Lugdunensis medicus. Ei hoc enconium scripsit Scaliger:

Abbatis Claravallensis de Ecclesia Lugd.

Fulmineis Rhodanus qua se fugat incitus undis,
Quaque pigro dubitat flumine mitis Arar.
Lugdunum jacet, antiquo novus Orbis in Orbe,
Lugdunum vetus Orbis in Orbe novo.
Quod nolis alibi quæras; hic quære quod optas,
Aut hic aut nusquam vivere vota potes.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [252] - -
PUBLIC DOMAIN

LUGDUNENSIS
ARCHIEPISCOPATUS,
vulgò
L'ARCHEVESCHE DE LIONS.



Termini.

Archiepiſcopatus LUGDUNENSIS vulgò l'ARCHEVESCHE & Senechauſſé de LIONS ad Septentrionẽ habet Breſſiam; ad Orientem Sabaudiam; qua Meridiem Spectat Delphinatus eſt cum Languedokia; qua Occidentem Forenſes jacent & Arverni. Sua hic olim domicilia habuerunt Seguſiani. Hodie audit *Le Pays & Seneſchaucée de Lionnois*, uti in ſuis ad Paulum Merulam literis ſcribit Joſephus Scaliger: *Lugdunum* (inquit) eſt *in Seguſianis, ut illud alterum in Convenis ad Garumnam*; Sed & totus pagus Forenſis, qui hodie *Le Pays de Fores* dicitur, continetur, in Seguſianis, & vetus inſcriptio exſtat in oppido *Furs*, in qua mentio eſt Fori Seguſianorum; nam à Foro Forenſes dicti & ipſum oppidum *Furs*. Caput hujus tractus ad Confluentem Ararim cum Rhodano *Lugdunum* eſt, ad cujus differentiam Batavi ſuum Lugdunum, vocant Lugdunum Batavorum, Græci Scriptores λουγδοῦνον & λούγδουνον appellant. Galli hodie contracta voce *Lion* vocant. Plinius in Epiſt. ornamentum Provinciarum eſſe ſcribit. *Nobiliſſimam* indigitat Gregorius Turonenſis ex eo quod Martyrũ ſanguine fuerit illuſtrata octodecim enim Chriſtianorum millia hic trucidata perhibet Eccleſiaſtica hiſtoria, Antonino Vero Imperatore, quo loco nunc Athenatenſe cõſpicitur templum. Nomen alii aliunde derivant, quidam à *Lugere* quod illi proprium fuit, poſt fatale incendium; nonnulli ab Lucere, quod in monte tanquam in Specula longe lateque luceret; quo collimare creduntur Senecæ in morte Claudii:

Scriptorũ de Lugduno controverſia.

Vidi duobus imminens fluviis jugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obvecho videt;
Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararque dubitans quo ſuos curſus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.

Alii à Lugdo Celtarum Rege, quæ non niſi vaniſſimæ ſunt conjecturæ. Felicius illi conjectant, qui à voce *Luck* deducunt, quæ hodie Gallis Belgis pro *meliore Fortuna* in uſu, ut Lugdunum fuerit, quaſi Fortunæ dicatus mons; eſt enim in monte poſitum, qui antiquis Gallis *Dunum*. Aëre minus ſalubri fruitur, utpote craſſiore, de quo apud Sidonium lib. 1. Epiſtol. 8, Candidianus: Nebulas ergo mihi meorũ Lugdunenſium exprobras & diem quereris nobis matutina, caligine obſtructum, vix Meridiano fervore referari. Et tu iſta hæc mihi Ceſenatis furni potius, quam oppidi verna deblateras. De primo urbis conditore nihil certi compertum. Illud conſtat pomeria ejus produxiſſe L. Munacium Plancum. Colonia Romanorum facta eſt Auguſto Imperante per eundem Plancum. Atque ab eo tempore ſemper cum primis Galliarum urbibus cenſeri ſolita & immunitatibus donata fuit. Templum hic in honorẽ Auguſti condidere omnes Galliæ civitates. Eidem etiam ara dicata fuit, ad quam, vivente adhuc Auguſto, ludi celebrabantur. Certamen hic Latinæ Græcæque inſtituit Caligula, quo certamine ferunt victoribus præmia victos, contuliſſe, eorundem & laudes componere coactos; eos autem, qui maxime diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongia linguave delere juſſos, niſi ferulis objurgari aut flumine mergi maluiſſent. Huc alludit Iuvenalis:

Polleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad Aram.

Inter inſcriptiones veteres, maxime excellit ea, quæ Claudii Imperatoris orationem tabula ærea continet, ſuper civitate Gallis danda, quam videre eſt in comment. Juſti Lipſii ad II Annal. Taciti. Conſpiciuntur paſſim templorum, arcuum triumphalium & aquæductuũ veſtigia, antiquitatis priſcæ documenta.

Cæſar Auguſtus anno ab urbi conditæ IOCCXI huc Coloniam deduxit cui ſuffragatur vetus illa inſcriptio inventa in Campo Neapolitano:

L MUNATIUS L.F.L.N.L. Pron.
PLANCUS COS. IMP. ITER. VII VIR.
EPULON TRIUMPH. EX RHÆTIS ÆDEM SATURNI,
FECIT. DE MANUBIS. AGROS DIVISIT In ITALIA,
BENEVENTI IN GALLIA COLONIAS DEDUXIT
LUGDUNUM & RAVRICUM.

Quædam inſcriptio reperta eſt in hac eadem urbe ad murum alicujus veteris templi S. Petro ſacri; quæ talis eſt:

IOVI O. M.
Q. ADGINNIUS. VRBICI.
FIL. MARTINUS. SEQ.
SACERDOS ROMÆ. &. AUG.
Ad ARAM. Ad CONFLUENTES
ARARIS & RHODANI
FLUMEN. II. UTR. IN. CIVITATE
SEQUANORUM.

Natura loci in expugnabilis pene eſt, alias amœniſſimo terræ tractu poſita. In ipſo mœnium circuitu, montes ſunt & planities; & terra & unda; & ædificia & loca vacua, eaq; hortis, vineis, ſegeti & pratis relicta. Vix credo reperiri urbem tam varia amœnitate gratam, ſive ex imo in ſuperiora & æqualia reſpicias; ſive ex ſummo inferiora ſub & circumjecta contempleris, oculos animumq; explere nequibis. Interfluit fluvius Arar, ſuper quem pons ex novem fornicibus ſtructus, magno urbis commodo, & haud longe ab urbe in Rhodanum influit. Suntque quadrigemina quibus gloriari poſſit: Duplicem eſſe urbẽ, duos ambitu ſuo complecti montes; ripis duorum fluviorum navigabilium impoſitam; duabus in ea aut ad eam pontibus ſaxeis elegantiſſimis & fortiſſimis duos illes fluvios tranſiri. Sita autem eſt hæc urbs in media fere Europa, unde etiam Galliæ cor putatur, ubi rerum omnium uberrimus proventus, ut non ſolum innumera

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [253] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [254] - -

mera civium ac reliquorum hominum multitudo victum facillime acquirere possit, sed etiam fertilitas nativa aliorum locorum sterilitatem soletur. Huc accedit quod quater quotannis gentium undiq; mercatores huc conueent, qui commerciorum causa variis privilegiis donantur. Opibus sic floret ut nulli alii Galliæ urbi cedere videatur, quarũ opum causam fluviorũ commodis navigationibus præcipue attribunt: cum enim plurimas illi urbes adeant & obeant, seque in Ligusticum maris sinum exonerent, facultatem hæc urbs commoditatemq; habet, qualibet quaquaversum exportandi & importandi. Templa habet magnifica. Splendidissimum est S. Joanni Baptistæ & S. Joanni Euangelistæ dicatum. Hinc S. Niceti templum vulgò *S. Nisier* & templum Jacobinorum vulgò *nostre Dame de Confort*. Templum S. Irenæi unum est ex vetustissimis; nec desunt profana ædificia magnifica & splendida: Citadelle fortalitium anno 1564 in monte S. Sebastiani structum idemque anno 1585 destructum. *La Berrecise*, arx in dextra Araris ripa rupi præruptæ imposita, nobilis captivitate Ludovici & Ascanii Sfortiarum & Ducis Namurci. Fortalitium S. Joannis *le boulevard de S. Iean*, denique fortalitium S. Clari, quod Rhodano alluitur. Sunt præterea hic visu digna Basilica urbis, olim Archiepiscopi sedes: Palatium Curiæ vulgò *Rhodana* dictum, ad Ararim situm est. Armamentarium ad Ararim à sinista, machinis probe instructum vulgò la *Rigaudere* dictum: domus antiquaria vulgò *l'Antiquaille* aliaq; plurima. Pons quo Rhodanus transitur longus est ad 800 passus. Arcus habet 19. Turris in medio est excelsa in qua excubitor collocatus. Ex illo despectus est in sub jacentem Insulam amœnissimam *les Arches* & *Breuteau* dictam, arboribus obsitam. Portæ urbis sunt sex *La Porte du Rhosne*: de S Sebastian: *de Veze*: *de S. Iust*: *de S George*: item *d'Aisnay*. Suburbia habet quatuor, quorum quod ultra Rhodanum est, longissimum *la Guillotiere* vocatur.

Lugdunenses moribus sunt gratiosis, & licet simpliciores videantur, satis cauti. Nullibi plures peregrini præsertim Itali, Gallis permixti degunt, quam in urbe Lugdunensi, unde indiginæ plurimum mores quoque peregrinos imitantur, præsertum Splendorem Italorum.

Comitatus. Beaujolois.

In hoc districtu inter alia duo Comitatus visuntur qui vulgò *Beaujoloys* & *Forest* dicuntur. Prior Bello-jolesius complectitur quicquid est inter Ligerim & Ararim, situs Orientem versus inter Forenses & Burgundos, antiquum Borboniorum Patrimonium. Urbs ejus primaria vernacule dicitur *Beau-jeu*; Alter Comitatus nomen habet, non, ut quidem vocabulum præ se ferre videtur à silvis saltibusque sed à *Fori* nomine. Forenses populi versus Septentrionem Borbonio tractui adjacent; ad Occidentem Arverniæ; ad Meridiem Lugdunensium finibus; ad Orientem Bello-jolesiis. Amplissimus est Comitatus, quique circiter quadraginta oppida muris cincta & triginta septem municipia complectitur. Præfuerunt quondam Comites, ex quorum stirpe prognati Bello-jolesii proceres. Celebratur Gallorum historiis Comes quidam Lugdunensis, Foresti & Bello-jolesii, cui tres fuerunt filii; Arthualdus Comes Lugdunensis, Stephanus Foresti, Emfridus Bello-jolesii. Cumque ita distracti essent longo tempore Comitatus Forestii & Bellojolesii, coaluerunt rursus morte Guicardi, Comitis Bello-Jolesii, qui, regnante Philippo II Francorum Rege, cum honore, Comitum Stabuli egerat: ipsius enim soror Isabella, Bello-jolesii Comes, matrimonio locata est Reginaldo, Foresti Comiti, qui natus erat stirpe Arthualdi, ut ipsa Isabella ex Stephani prosapia, qui Arthualdi erat frater: eo autem conjugii geniti Guido; cui hæreditate obvenit Comitatus Forestii; & Ludovicus, cui Dominium obtigit Bello-jolesii. Post horũ tempora nihil ex annalibus certi haberi potuit. Rex Galliarum Henricus III, antequam regnum capesseret, una cum Ducatu Andegavensi Apanagii jure possedit Ducatum Borbonii & Arverni Comitatumque Forestii.

Primarium Forensium oppidum *Roana* ad Ligerim, qui ponte ibi stratus, Regiæ, qua ad Lugdunenses itur, viæ imminet, arce munitum. Est & aliud non ignobile *Forum Segusianorum* olim dictum, nunc vulgo *Feurs*. Extat hic vetus inscriptio, veteris appellationis mentionem faciens:

NUMINI. AUG. DEO SILVANO.
FABRI. TIGNUAR. QUI. FORO SEGUS. CONSISTUNT D.S.P.P.

Ab hoc foro pagus Forensis, vulgo *Pays de Forest*, corrupte dicitur, cum, potius dicendum esset *de Fores*. Hoc oppidum sedes est commerciorum totius Provinciæ. Reliqua sunt *Mobrisonium*, quam urbem Vesesia amnis alluit: pars oppidi in planitie, pars in edito monte posita est, quæ inde per omnes Galliæ ditiones exportantur; juxta oppidum enim assurgunt tres montes, in quibus perpetuo æstuantes flammæ conspiciuntur; unus eorum *Mina*, alter *Viala*, tertius *Buta* appellatur. In iis naturalis & lapidei carbonis fodinæ sunt tam commodæ, ut eo pro lignis aut carbonibus ex eo factis singuli oppidani in focis suis atque tabernis quotidie utantur. Ignis ille vehementior ardentiorque eo, qui è ligno fit, deprehenditur. Ex quo Carbone artifices calcem optimam præparant. Habent iidem oppidani lapicidinas, unde lapis exscinditur colore cinericio, quo tota regio, importato velut ornamento & decore ædificiorum utitur. Quin anno cIↃ IↃ cv. excisus est lapis altitudinis stupendæ prorsusque inusitatæ, unde solertia artificum egregia crux in Insula, cui Pratum Fori & nundinarum nomen est, extra murum posita erectaque adspicitur, è regione præcipuæ portæ oppidi illius, tota Europa celebris ob artificum industriam copiamque, qui ferream supellectilem & arma & bellica instrumenta fabricant in tabernis & officinis suis. *Fanum S. Galmari*, *S. Galmier*, in cujus suburbanis fons est aluminosus, qui vulgo *Fontforte*: Fanum S. Germani, *S. Germain Laval*, generosissimi vini ferax. Fanum D. Boveti *S. Bovet le Chastel*, in quo fabricantur optimæ notæ forcipes. Fanum D. Remberti *S. Rembert*, primo Ligeris ponte celebratum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [255] - -
PUBLIC DOMAIN

BORBONIVS DUCATUS,

vulgo

BORBONNOIS.

Regio.

Situs.



Orbonius ducatus, le Pais & Duché Bourbonnois, nomen ſumpſit à loco, quo primum potiti ſunt proceres, qui toti provincię præfuerunt. Hic quà Corus eſt Occidenſq; Bituriges & Lemovices habet conterminos; quà Septentrio Nivernenſes; ad Orientem Burgundi fere jacent; ad

Soli fertilitas.

Meridiem ſunt Lugdunenſes. Ager fere omnis ſabuloſus, ac frumentum non niſi paucis in locis metitur. Paſſim vina optima reperiuntur, & ſecalis magna copia. Putantur hic olim ſuæ fuiſſe ſedes populis, quos *Boios*, *Æduis* attributos, nominat Cæſar lib. 1. de bello Gallico; quorumque oppidum *Gergoviam* dicit lib. VII; ubi etiam *Boiæ*, Bojorum proculdubio oppidi, fit mentio. Horum tantæ fuere vires, ut Cenomannis & Inſubribus juncti, Tuſcorum ſuperbiam & arrogantiam domuerint, ipſorum dominium occuparint ſedeſque æternas fixerint in ea Italiæ parte, quæ *Romania* hodie dicitur. Eam Romani *Galliam Togatam* dicebant, eo quod Galli qui Romani juris facti erant, ibi domicilio haberent. *Seguſiani* quoque totum pagum Forenſem, qui hodie *le pays de Fores*, habitarunt. Totum hoc territorium, ut multa alia Conregionalia, Aquitanię quondam regibus paruiſſe ſcribitur. Poſtea ſuos habuit proceres, qui ab non poſtremæ dignationis oppido *Borbonii* audiebant. Eorum poſtremus legitur *Archibaldus*, cui unica fuit filia & hæres Agnes. Hæc nupta Ioanni Burgundiæ duci, *Beatrici* filiæ, quam ex eo ſuſceperat, quum eam Roberto, Ludovici IX filio, elocaret, Borbonium dominium in dotem dedit, cavens ut nomen uxoris, id eſt Borboniæ Gentis (ſic enim illud ad poſteros ſtudebat tranſmittere) gereret; quod & factum. *Robertus* igitur Ludovici IX, qui in Sanctorum relatus numerum, filius, Borboniorum porro fuit progenitor. Filii enim illi fuerunt *Ludovicus Magnus* cognomine, qui patri ſucceſſit, Ioannes Claromontanus oppidi Fani Iuſtini in Campania dominus: Petrus Archidiaconus Lutetiæ Pariſiorum & filiæ duæ. Hunc Ludovicum Philippus VI Valeſius primum Borbonii ducem fecit anno CIↃ CCC XX XIX, aut circiter. Huic ex Maria Joannis Hannonjæ comitis filia nati ſunt *Petrus* I qui ſucceſſit, Iacobus progenitor comitum Marchiæ & Vendomæ, Philippus Bellojocenſis dominus, Maria & Beatrix. Hic *Petrus* dux Borbonii ſecundus & Molinii dominus fuit. Occubuit in prælio Pictavienſi cum Anglis commiſſo. Hic ex Iſabella Caroli Valeſii comitis filia ſuſcepit *Ludovicum* II qui patri ſucceſſit: Iacobum Marchiæ dominum & ſeptē filias. *Ludovicus* cognomento *Bonus*, uxorem duxit Beraldi Delphini Arverniæ, qui *Simus dux* dicebatur, & Ioanne Foreſtanæ filiam, Annam, quæ ei peperit *Ioannem* patris ſucceſſorem, Ludovicum & Iacobum Prauſii dominum. *Ioannes* hujus nominis I ducta uxore Maria Ioannis Biturigum ducis filia, Borboniæ & Arverniæ dux fuit, comes Claromontis, Mompenſerii, Foreſtii, Bellojoci & Caſtri Chinonis dominus. Ex eo prognati ſunt *Carolus*, qui patri ſucceſſit, Ludovicus comes Mompenſerius (qui duces Mompenſerios produxit) & Iacobus. *Carolus*, regis Caroli VII partes contra Anglos & Philippū Bonum Burgundiæ ducem eſt ſequutus, cum quo tandem mediante & adnitente conjuge Agnete Burgunda, hujus ſorore, pacem ſanxit. Agnes ei peperit *Ioannem*, qui ſucceſſit; Ludovicum, Petrum, qui poſtea dux fuit, Carolum Cardinalem, Archiepiſcopum Lugdunenſem; Ludovicum Epiſcopum Leodienſem, Iacobum & quinque filias. *Ioannes* II Borboniæ & Arverniæ dux, comes Claromontis, Foreſtii, Inſulæ & Marchiæ, dominus Bellojoci & Caſtri Chinonis, regni Franciæ Par & Comeſtabilis fuit. Hic licet trigamus tamen nullis relictis liberis obiit. *Petrus* II Ioanni fratri ſucceſſit, qui Francici regni Par & Cubicularius Magnus fuit & ex Anna regis Ludovici XI filia genuit filiam unicam *Suſannam*, quæ patri ſucceſſit. Hæc nubens *Carolo Borbonio*, Mompenſerio Comiti (*Gilberti* Borbonii filio, *Ludovici* Nepoti, Ioannis I, de quo diximus, Ducis Borbonii; comitis etiam Mompenſerii & Arvernię Delphini, pronepoti maritum ſuis nuptiis *Borbonii* fecit *ducem*. Hic ille *Carolus*, qui Franciæ Comeſtabilis, facta ab ſuo principe Franciſco Galliarum rege defectione, ad Caroli V Imperatoris partes tranſgreſſus, Romam ejus auſpiciis oppugnans, plumbea-que glande anno CIↃ IↃ XXVII pridie Nonas Maij trajectus, occubuit. victoriæ ſuæ carens fructu, nullis relictis liberis. Poſt *Suſannæ* conjugis obitum, rege *Borbonium* ſibi vindicante, Vendomæ duces arma ſibi nudumque titulum cognationis jure retinuerunt. Flandriæ comites à ſanguine Borbonio primæ lineæ fluxerunt, & complures magni reges ac principes affinitatem hujuſce regiæ & illuſtris domus expetiverunt. *Borbonius* porro tractus hodie Geographis Franciæ duplex deſcribitur, *Inferior* & *Superior*: *Inferior* comprehendit urbes ipſas, duoſque comitatus. Quod ad urbes, Metropolis totius ducatus cenſetur *Molinum* (*Molins*) oppidum ad flumen, quod Cæſari *Elaver*, hodie *Allier*: antiqua Ducum ſedes: poſt autem domus deliciarum, amœniſſimusque Regum Franciæ receſſus. Sunt qui putant *Gergobinam* Cæſaris eſſe, inter Celtas Bojorum oppidum, quos Helvetico prælio Cæſar ibi collocaverat. Habet ſedem præſidialem Seneſchalliæ Borbonii, erectum à rege Franciſco ejus nominis primo. Arce ſuperbit *Molinum* perquam elegante; cui hortus adjacet nitidiſſimus, aureorum etiam citreorumque pomorum ferax. In quodam arcis Xyſto videre eſt ducum Borboniorum ad vivum effigies, eorumq; Genealogiam. Laudatiſſimus quoque hic fons eſt. Reliquæ urbes oppidaque ſunt *Borbonium*, *Bourbon*, antiquitate clarum; dignumque quondam habitum, quod nomen daret provinciæ: *Boia*, fuit, quorundam judicio, Cæſaris. Urbs hæc ſita eſt inter flumina Elaverem & Carim, vulgo *Cher*, nota & celebris temporibus Caroli Magni. Arcem habet validiſſimam & thermas: *L'Archimont*; *Montmeraut*: *Coſne*, cognominatum *en Bourbonnois* ad Ligerim *Loire*, arce prædita, territorio ſuo, quod pecori paſcendo idoneum, reliqua ſuperans; *Montlaſſon*, *S. Porcin*, cujus ager præſtantia producit vina (de hujus tamen jure diſceptatur; quidam enim Arverniæ adſcribunt) *Cuſſet*; *Chancelle*; *Charroux*; *Vernueil*, vinis ſuis celebre; *Varennes* ad Elaverem oppidum clarum; *Gannat* Arverniæ conterminum; *Le mont aux Moines*; *Souvigny le comte*, ou aux

Imperium Majorum.

Majorum virtus.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [257] r

Moines; *La Paliſſe*, inſigni ſuperbiens arce: *Eriſſon*; *Sancongs*; *Petri Fanum*, vulgo *S. Pierre le Moſtier*, locus recens, nec antiquitatis nomine celebris. Sedem præſtat præſidi, cui ſubditi ſunt Baillivatus dicti oppidi & ſedes quæ vulgo dicuntur *Douzois*, *Xaincois*, *Cuſſet* & aliæ, quarum una pars in Arvernia, alia in Nivernenſi ſita eſt: *Ainay le Chaſteau*, ſic cognominatum ab arce, *S. Geran*, *S. Amand*, & alia. Hæc de urbibus oppidiſque: Comitatus ſunt duo, qui vulgo *Beaujolois* & *Foreſt*. Prior *Bello-Ioleſius* complectitur quidquid eſt inter Ligerim & Ararim, ſitus Orientem verſus inter Forenſes & Burgundos: Antiquorum *Borboniorum* patrimonium. Urbs primaria vernacule dicitur *Beau-jeu*. Alter nomẽ habet non ab ſylvis ſaltibuſque, ut quidem vox videtur ſonare: ſed ab *Fori* nomine. Forenſes, ſic enim populos nominem, verſus Septemtrionem Borbonenſibus germanis ſuis objacent; ad Occidentem Arvernis; qua Meridiem ſpectant, Lugdunenſes habent confinales: qua Orientem Bello-Ioleſios. Præfuerunt quondam *Comites*, exquorum etiam ſtirpe prognati *Bello-Ioleſii proceres*. Celebratur Francorum Hiſtoriographis *comes* quidam *Lugdunenſis*, Foreſtii, ut cum vulgò loquar, & *Bello-Ioleſii*, cui tres fuerunt filii, *Arthauldus* comes *Lugdunenſis*, *Stephanus Foreſtii*, *Emfridus Bello-Ioleſii*. Quum ita *Comitatus Foreſtii* & *Bello-Ioleſii* longo tempore fuiſſent diſtracti, coaluerunt rurſum morte *Guicardi*, *comitis Bello-Ioleſii*; qui tempore Philippi II Francorum regis cum honore comitem Stabuli egerat: Ipſius enim *ſoror Iſabella Bello-Ioleſii Comes* matrimonio collocata eſt *Reginaldo*, *Foreſtii comiti*, qui procreatus erat ſtirpe *Arthaldi* de quo dictum; ut ipſa ex proſapia *Stephani*, qui *Arthauldo*, ut paullo ante ſcriptũ, erat frater. Eo autem conjugio editi leguntur *Guido*, cui hæreditate obvenit *Comitatus Foreſtii*, & *Ludovicus*, cui dominium obtigit *Bello-Ioleſii*. Poſt eos nihil traditur certi. Rex Galliarum Henricus III, anteaquam ad Monarchiam veniret Franciæ, unà cum ducatu Andegavenſi Apannagii jure poſſedit *Ducatus Borbonii*, & *Arverniæ*, comitatumque *Foreſtii*. Complectitur hic xl oppida mœnibus clauſſa & totidem circiter amplos pagos. Primarium *Forenſium* oppidum *Roana*, *Roanne* ad Ligerim, qui ponte ibi ſtratus, regiæ verſus Lugdunenſes viæ imminet, arcem habens. Secundum facile tuetur locum *Forum Seguſianorum*: Sic olim nuncupabatur, quod nunc vulgo *Feurs*: Φόρον Σεγουσιανῶν Ptolemæo: *Forum Seguſiavarum*, corrupte Tabulæ Itinerariæ. Extat in hoc oppido vetus inſcriptio, mentionem faciens antiquæ appellationis

NVMINI. AUG.
DEO. SILVANO
FABRI. TIGNUAR
QVI. FORO. SEGUS
CONSISTUNT
D. S. P. P.

Ab hoc igitur *Foro pagus Forenſis*, vulgò *Le Pais de Foreſt*, corruptè, quum dicendum potius eſſet, *de Fores*. Hoc oppidum hodieque locus eſt commercii totius provinciæ. Reliqua ſunt *Mombriſonium*, *Montbriſon*, ſedem Baillivo præſtans qui ſubeſt Lugdunenſibus: *Fanum S. Stephani*, *S. Eſtienne de Furan*, officina armorum & cannarum ferrearum, quæ inde per omnes Galliæ ditiones exportantur: Artem ſuggeſſerunt incolis cum aquæ commoditas, quę ferrum egregiè temperat, tum carbones qui ibi eruuntur: *Fanum S. Galmari*, *S. Galmier*, vel *Guermier*, in cujus ſuburbio fons eſt aluminoſus, qui vulgò *Font-foule*: *Fanum S. Germani*, *S. Germain Laval*, generoſiſſimi vini ferax: *Fanum D. Boveti*, *S. Bovet de Chaſtel*, in quo fabricantur optimę notæ forcipes: *Fanum D. Remberti*, *S. Rembert*, primo Ligeris ponte famoſum. Alia minorum gentium oppida ſilentio prætereo. Inter familias nobilitatis Foreſtii præcipuę ſunt, quæ vulgò dicuntur *d'Vrſè* (ubi arx antiquiſſima loco excelſo ſita, ex qua proſpectus in vicinam regionem omnem deinde illa qui vernacule *Coſam* ad antiquiſſimam domum *Levi* pertinens. Ac ſic ſe habet *Inferior* Borbonii tractus: *Superior* proprio vocabulo dicitur *Le Pais de Combraille*: Inferiore montoſior: ubi *Mons acutus*, vulgò *Mont-aigu* ad Iovum fluvium, qui prope *Flumina.* *Marignanum* miſcetur Elavere, oppidũ ſatis munitum. Borbonii tractus duobus magnis irrigatur fluminibus, videlicet *Ligeri* & *Elavere*, fluvio Arverniæ naturali. *Ligeris*, vulgò *Loire* in Arvernia naſcitur, loco qui vernaculè *La font de Loire*: factoque inter varios populos procurſu & manans per oppida quæ vulgò *Roane*, *Marcigni*, *Deſiſe*, *Nevers*, *Seville*, *Gyen*, *Gergeau*, *Orleans*, *Blois*, *Amboiſe*, *Tours* & *Saumur*, *Le Pont de Cé*, exonerat ſe in oceanum Occidentalem inter Nannetes & Pictones. *Elaver*, *Allier* vulgò, oritur ſupra oppidũ Clarummontem quatuor milliaribus infra Briondam prope Gergoviam & non procul loco qui vernaculè *Viſon* præterfluit, ubi inſignis auri & lapidis Lazuli fodina reperitur. Non multum magnitudine cedit Ligeri, eoque magis eſt piſculentus. Hic molinetum prætelapſus Ligeri convolvitur, loco qui vulgò audit *le Bec d'Allier*. Ager Borbonii & Foreſtii aſper eſt multis in locis, ſylvis refertus, ſed Foreſtium Borbonio aſperius eſt, ac Bor- *Mare* bonium ſuperius, ut ſupra quoque diximus, inferiore montoſius. Quod ad mores Borboniorum, qui Arvernis contermini pene ejuſdem ſunt genii, nimirum acuti & aſtuti, admodum laborioſi, attenti ad rem ac lucro inhiantes, ſunt magna ex parte vafri, litigioſi & violenti homines; quibuſcum non facile agitur. Remotiores verò ſunt comes fere & blandi, ingenio ſubtili & exercitato, frugi & attenti œconomi patreſque familias, lucri avidi, interim erga peregrinos benigni & officioſi. Forenſes etiã ſubtiles, acuti, bonoque ingenio pręditi, prudenter rebus ſuis conſulere norunt, lucrum amant, in eumque finem mercaturæ & negotiationis ſtudio quantumvis longinquas, longeque ſemotas ac diſſitas regiones peragrant. Sunt miſericordes ac blandi erga populares ad aliquam neceſſitatem redactos extra patriam. Magna adhibenda cautio atque pru- *Mercimonia* dentia, quoties negotium aliquod cum Forenſi tranſigendum eſt. Foreſtium opera ſua ex ferro & chalybe pene per univerſum orbem mittit, potiſſimum *Fanum S. Stephani*, ubi artifices quam plurimi qui tam egregie operantur, quam ulli in Gallia. Suntque hujus regionis mercatores multi admodum divites, ac re bene conſtituta extra Galliam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [258] - -
PUBLIC DOMAIN

LEMOVICIVM.

Regio. Nomina, & unde deducta.

APpellationem nomen quetraxit LEMOVICIVM, ab urbe primaria *Lemovico*. Hujus autem nomen unde ductum sit, ignoratur. *Lemovicio* vulgo *Pais ou comté de Limosin*, ad Septemtrionem & Aquilonem adjacent Bituricenses; ad Ortum Borbonii; ad Meridiem & Vulturnum Arverni; ad Africum & Occidentem Petrocorii; ad Caurum denique Pictones. Vlmus visitur, grandioris ætatis, inter vicum, cui ab *Nova domo* nomen, *La Maison Neufve*, & Argentonium, Bituricense oppidum. Septemtrionem versus, quæ quatuor ditionum regit fines, Bituricensium, Borboniorum, Arvernorum & Lemovicum, adeo ut aliquando quatuor horum populorum Principes dicantur hic sermones inter se conseruisse, quisque in suo Territorio. Terra non ejusdem ubique indolis: universim sterilior, producens tamen omnis generis fruges, cum primis siliginem, hordeum, panicum, castaneas item, rapas, vinum, sed ignobilius, quod tamen in Inferiore Lemovicio generosius. *Lemovices* (sic enim veteres incolas nominat Plinius, qui λεμοβίκες Straboni; Ptolomæo λιμόϋικοι forte, λιμοϋικοι hodie *Limosins*, Notitiæ Provinciarum Galliæ, *Civitas Lemovicum*) quidam indigenas esse volunt & aborigines, eorumque conditorem faciunt *Lemovicem*, ab Gomoritis oriundum, ut sentiunt nonnulli. Alii sanguine magni illius Herculis Lybici cretum autumant, qui cum in Hispanias penetrasset, montesque Pyrenæos transcendisset aliquantulum in Gallias egit. Hoc huic Provinciæ præ aliis Galliæ peculiare est; quod cum Scriptores, alias Galliæ Provincias tantum nominent, civitatum autem unde populi dicti sunt nullam faciant mentionem: hic contrarium accidat. Nam Cæsar *Lemovicum* & eorum civitatis mentionem facit, eosque scribit inter primos fuisse, qui se ei tradiderunt: pacis namque amantes & discordiæ inimici erant. Subjugarunt *Lemovices* aliquando Gothi cum tota Aquitania. Postquam autem cum Cæsare fœdus iniissent Lemovices Principi paruerunt qui fœdere conjunctus erat Romanis, quibus subditi fuere, donec Gothi illos expulissent, totamque occupassent Aquitaniam. Scribuntur inde Franci, Gothis exturbatis, Lemovicibus dedisse Gubernatores. Leguntur & constituti ipsis Comites & Duces, hi quidem gerendo bello, illi vero justitiæ administrandæ. *Lemovicium* plerique duplex statuunt, *Superius* & *Inferius*. *Le haut & bas Limosin*. *Superius* (proprie *Limosin*) Inferiore planius Metropolin habet *Lemovicum*. Sic A. Hirtio vocari censent multi, lib. VIII de Bello Gallico, quæ hodie *Limoge*: *Limonum* legit Fulvius Ursinus fretus veterum codicum auctoritate: Ptolemæo dicitur in Gallia Aquitanica, ut ad Merulam scribens arbitratur Iosephus Scaliger; consentiente ipsi Villanovano: *Ratiastum* tamen *Raiz* esse putat Bertrandus, ob similitudinem nominis. Quidquid sit, urbs est ad Vigennam partim in valle, partim in monticuli sita fastigio, arce murisque bene munita: aquis abundat, quas limpidus fons, qui in superiori urbis parte est, suppeditat. Vrbs hæc ipsissima diligentiæ officina, desidiæ ergastulum. Castitas hic feminis in pretio, & misericordia. Episcopatus gaudet dignitate. Alia hic Oppida, quæ vernacule *La Soubsterraine*, *Le Boisson*, *Barat*, *Dorat*, *Confoulat*, & cetera, brevitati studens prætereo. Inter ea *Chassusio* famam conciliant annuæ pecudum equorumque nundinæ, D. Georgii Festo. Sunt & hic Abbatiæ, inter quas *Grandimons*, caput ordinis Grandimontensis; item *Fanum D. Leonardi*, *S. Lenard*, magni nominis, inter Lemovicum & Felletinum. *Inferius* Superiore montosius, dicitur proprie *La Marce de Limosin*, limitaneum Arvernis & Petrocoriis. Primaria ibi Vrbs *Tutela*, *Tulla*, vulgo *Tulle*, in aspero montosoque collocata territorio; sedes non Ballivatus solum, sed & Episcopatus novi, ex Monasterio deminuti. *Tutelensem* Latini nominant. Est ibidem *Vsarcha*, *Vsarche*, Oppidum non inamœnum, grati aëris, ad flumen Vezeram, quod expugnari non posse fama jactitat. Proverbium sane fertur, *Cui Vsarchæ est domus, arcem eum possidere in Lemovicum ditione*. Non silent Virtutem civium Historiæ, quibus narrantur Anglis, per totam Aquitaniam triumphos agentibus, restitisse, suoque Principi Francorum Regi fideles summa constantia perstitisse. *Briva*, oppidum in læta fertilique planicie situm, silvis obsitum, vinetis non destitutum; Sedes est Seneschalli: Quondam ditionis fuisse perhibetur Petrocoriorum, sed volente Carolo VI Francorum Rege, Lemovicibus accessisse. Sunt & alia *Treignacum*, *Donzenacum*, *Alassacum*, *Bellus-locus*, *Meissacum*, *Vsletum*, *Bello-montium*. Familiæ hic illustres sunt, in Superiore quidem, quæ vulgo *Pierre-Buffiere*, *Chasteau neuf*, *Carsie*, qua Vicecomitatus honore fulget, *Roche-Chouart* cui inter antiquissimas Aquitaniæ locus, *Maygnac*, & aliæ. In inferiore *Pampadoura*, *Aumontia*, *Roffignaca*, *San-Iala*, *Gemma*, & aliæ infinitæ. Incolæ Lemovicii cibi potusque sunt parcissimi, parvo contenti, lautitiarumq; osores, panis tamen helluones, ut Proverbio locum dederint, *Lemovix Panis helluo*. Vini usum pagi fere ignorant. Industrii sunt, ingenioši, cautique, non præcipites: egregie sibi suisque rebus consulentes. Vulgus tenax, domique sordidus; nobilitas magnifica, altioris animi, liberalis. Ad provectissimam plerique perveniunt ætatem. Sunt qui in Familia sua vident abnepotes. Dicuntur Cognati inter se, ne soluti quidem per Pontificem à Iure communi, Matrimonia contrahere, bonaque non partiri. Scribit Belleforestius vidisse se familias, quibus centum cognatione per nuptias juncti simul vivebant, ut collegia quædam agnoscere quis posset.

Soli qualitas

Imperium Majorum.

Familiæ Nobiles.

Incolarum mores.

Metropolis Lemovicum

Alia oppida.

De *Lemovicibus* ita scribit in fabulis suis Geographicis Petrus Bertius: *Lemovices*, regionem habent, fruge bus, vino, melle, pecore, jumentis, croco, nucibus, oleribus, pascuis, nemoribus, fontibus, fluminibus, balneis, bitumine, lacubus, argenti fodinis, locis munitis mercimoniisq; refertâ, longitudine viginti leucarum; latitudine decem. Continet in se partem Arverniæ, patriam C. Sollii Apollinaris, uberem, divitem, amœnam, non ipsius solum præconio, sed etiam Theodorici Gothi, quem Gregorius Turonensis sic ait milites allocutum: *Ad Arvernos me sequimini, & ego vos inducam in patriam, ubi aurum & argentum accipiatis, quantum vestra potest desiderare cupiditas, de qua pecora, de qua mancipia, de qua vestimenta in abundantia accipiatis.* Quod etsi de universa regione intelligi possit, tamen de civitate eorum præcipuè capiendum est, cujus Turonensis meminit lib. 2. cap. 20. Iornantes exsertè: *Erricus Vicerex VVisigotorum Arvernam Galliæ civitatem occupavit.* Etin Notitia Imperii clarè distincteque commemoratur *civitas Arvernorum*. In hac civitate etiam studia aliquando viguisse insinuat Sidonius lib. 15. Epist. 3. *Mitto istic ob gratiam pueritiæ tuæ undique gentium confluxisse studia literarum, tuæque personæ quoddam debitum, quod Sermonis Celtici squamam deposituræ Nobilitas, nunc Oratoris stylo, nunc etiam Camœnalibus modis imbuebatur. Illud in te affectum principaliter universitatis accendit, quod quos olim Latinos fieri exegeras, deinceps esse Barbaros vetuisti.*

Bertii de Lemovicibus, præsertim Arverniæ, elogium.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [259] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [260] - -

LEMOVICIVM.

Addam hic coronidis loco quod de origine Lemovicum Ioannes Puncteius canit.

ECce Lemoviculæ ſedes gratiſſima genti,
Quæ gradibus nouies quinis ſemiſſeque lata
Proſpectum tollens gelidas aſſurgit ad Arctos,
Longa ſub Occiduum naſcenti ab Sydere tendit,
Et ferit Arvernas Eoo ab lumine cautes,
Stagnoſis quoque Biturigum contermina campis.
Sed qua Phœbus Equos mergente ſub æquore tingit
Angolmum & partem proſpectat Pictonis Arui,
Ceu dat Bituriges ſpectare & Pictonas Vrſa,
Petragoris media quam Sol conjungit ab Arce.
Cum quibus eſt illi morum percrebrior uſus,
Vicinis quam cum reliquis. Aquitanica tellus
Hanc habet, hanc nulli morum bonitate ſecundam,
Irrorat ſuperas ſinuoſis flexibus oras,
Montibus emanans Mile Vaccis alma Vienna,
(Vignanam Indigenæ patrio ſermone profantur)
Inde Lemovicium præceps defertur in urbem,
Partem urbis vallis, ceu partem clivus adornat
Qua patet inſignis, divorum Gloria, templi
Cultus honos, Stephanoque pio concredita ſedes.

Samothea fama eſt Gallos de ſtirpe Gomeri
Hoc tenuiſſe Solum, Nohemi quo tempore proles
In varias hominum diſperſerit agmina plagas,
Hinc Aboriginibus Populum conſtare catervis,
Nulla Lemovicium quem ſors mutare coegit
Nomen adhuc, Phrygios niſi vis migraſſe colonos
Sedibus Alverno & Rectore Limovice terras
Incoluiſſe novas, patriæ queis damna levarent.
Frugibus at mirum ſterilis, ſive ubere gleba
Et tumido nullo fluvii penetrabilis alveo,
Affluxu quam viſa hominum florere frequenti
Quam ſit & omne genus promendis mercibus apta.
Terra potens armis, Anglis impervia quondam,
Francorum expertis celeres ſuper ardua vires:
Vrbs tamen hæc bello Viſigotûm obſeſſa ſiniſtro
Quos Scythica quondam Gallos deduxerat ora,
Pondera ſuſtollens cladis, tendebat ad altum.
Nec preſſa oppreſſa eſt, Anglûm furialibus auſis.

Tranſactis decies ſex commemoratur ab annis,
Inventas muro ſublapſo ædiſque ruina,
Reliquias ævi dantes miracula priſci.
Illa Senatorum effigies ſtatuaſque ferebant,
Mercuriumque Scopæ fuſum ſive arte Perilli,
Argentum ambæſos ſtatuæ decorabat ocellos,
Hinc, propter muros memoranda figura Leænæ
Viſitur, unde Auſtri terris ſpiramina torquent,
Quæ pedibus geminos uncis implexa catellos,
Hac tria metra tenet baſi ſubſcripta rotunda.

ALMA LEÆNA DVCES SÆVOS PARIT ATQVE CORONAT.
OPPRIMIT HANC NATVS VAIFER MALESANVS ALVMNAM.
SED PRESSVS GRAVITATE LVIT SVB PONDERE POENAS.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [261] - -
PUBLIC DOMAIN

PICTAVIENSIS
COMITATVS

Termini. PICTONIUM vel *Pictavia*, vulgo *Poictou* ſpectat verſus Meridiem Ecoliſmenſes & Sanctones; ad Occidentem habet Oceanum, qua Septemtrio eſt, Britannos reſpicit & Andegavenſes; reliqua Turones, Bituricenſes & Lemovicenſes claudunt. Complectitur CIↃ CC parochias ſub tribus Epiſcopatibus, Pictavienſi, Malleacenſi & Lucionenſi. *Regionis indoles.* Regio eſt frugum, pecoriſque, lanæ, liniq; feraciſſima; vino frumentoq; dives; avium ferarumq; magnam habens copiam: quo fit ut venationes aucupiaque hic ſint frequentia. Viperæ confectioni Theriacæ utiles in hac regione & imprimis in rupibus & dumetis circa metropolim inveniuntur, quarum numerum ingentem Pharmacopolæ Venetias ſæpe ablegare ſolent. *Pictou quondam regnum.* Regni titulo decorata legitur hæc provincia a Gothis quos hinc, ut tota Aquitania, exegit Francorũ Rex Clodovæus. Imperator Ludovicus Pius Aquitaniæ Regnum filio Pipino dedit, cujus filios Fipinum & Carolum, quũ Carolus Calvus, ipſorum patruus, Aquitania dejectos monaſteriis incluſiſſet, ipſe Principatum invaſit donoque conſanguineo ſuo Arnulpho dedit; ſed abrogato Regni titulo, Ducatus honore inſignitum. Arnulpho ſucceſſerunt ordine Gulielmus Bonus, Eblo I & II, Gulielmus II & III, Guido, Gulielmus IV & V; hujus unica filia & hæres Eleonora elocata fuit Ludovico VII Francorum Regi: a quo propter adulterii & proditionis ſuſpicionem, repudiatam duxit Henricus Normanniæ Dux, qui defuncto Stephano Angliæ Regi ſucceſſit. Henricum tam in Angliæ Regno, quam in dotalibus paterniſq; in Francia ditionibus ſequuti ſunt ipſius filii Richardus & Joannes. Quum autem Arthurus filius Godefridi (qui Regis Ioannis major natu fuerat) præferendum ſe Ioanni diceret, perſuaſus a Francorum Rege Philippo Auguſto, ut Pictones patruo Joanni eriperet: rem viribus adgreſſus, a Joanne qui ex improviſo ſupervenerat, fuſis copiis, captus eſt Rotomagumq; raptus temeritatis ſuæ pœnas dedit. Eam ob cauſam Joannes Rex a Conſtantia Arthuri matre apud Philippũ Regem parricidii accuſatus, damnatus fuit; ejuſque bona Philippo tanquam feudorum Domino ſunt adjudicata; cum alia, tum *Pictavia*: quam mox ſucceſſor ipſius Ludovicus VIII Alphonſo filio ſuo conceſſit: quo improli defuncto, in poteſtate Regis Philippi III venit, peneſq; ipſius poſteros manſit; donec, regnante Philippo Valeſio, ab Eduardo III Anglorum Rege fuerit recuperata, retentaq; plenius cum tota Aquitania per ſanctam inter eumdem & Joannem Francorũ Regem pacem. Factum mox ex Aquitaniæ Ducatu Principatum Rex Eduardus filio conceſſit, qui quum Aquitanis graviſſimũ imperaſſet Tributum, magnam partem amiſit, defectione ab iis facta ad Corolum V Francorum Regem: cujus filius Carolus VI Anglos tota Aquitania anno CIↃ CCCC LIII exturbavit, filioq; Regi Ludovicó XI reliquit. Hic eam fratri largitus eſt Carolo, quo mortuo, rurſus Rex Ludovicus receptam ad Regem Carolum VIII filium tranſmiſit: a quo tempore Aquitania, cujus non ignobilis portio *Pictavum*, deinceps in poteſtate permanſit Regum Franciæ. *Priſca Pictonum incolæ.* Veteres incolæ fuerunt *Pictones*, Cæſari, Straboni & Plinio; Πικτόνες Ptolomæo; *Pictavi* Ammiano Marcellino. *Pictonicam Regionem* appellat Auſonius; *Civitatem Pictavorum* vel *Pictavonum* Notitia Provinciarum in Aquitania II, vel VII Viennenſi: hodie *Le Pais de Poictou*. Sunt qui *Pictones a Pictis* Britanniæ populis ortos dictoſq; fabulantur. *Pictonibus* populos *Ageſinates* jungam cum Plinio, quorum veriſimile eſt memoriam adhuc ſupereſſe in *Pago Aigounois*, haud procul fano S. Maxentii, quod opidum ad Severum fluvium. Toto errant cœlo, qui *Aginnates* cum *Ageſinatibus* confundunt, quũ inter utroſque minimum iter quinq; dierum ſit interjectum. De varii generis Principatibus, qui Pictonio accenſeri ſoliti, quæ habeo adſcribam, ſi prius de Metropoli & regia ejus civitate nonnihil dixero; ea eſt *Pictavia*. Sic Latini nunc vocant, quæ Αὐγουστόριτον Ptolomæo; *Auguſtoritum* Antonino; *Pictaviam Urbem* appellat Gregorius Turonenſis; urbs amœniſſimo ſita eſt loco, clivoſo tamen montis dorſo inſidet & præruptis collibus undequaq; cingitur, intermedia anguſta valle, ex quibus intus in urbem deſpectus eſt ita, ut ſclopetarii ad angulum urbis imo loco citra periculum in urbanum militem jaculari poſſint. Una parte, quam *Tranchaam* patrio vocabulo dicunt, in planiciem abit. Latiſſimi, ſi quæ in Gallis alia, ambitus, ſed cujus ingens portio ab habitatoribus vacua; pratis, vineis, aliiſque agreſtibus operibus occupata: reliqua excellentibus ædificiorum ſtructuris veneranda. Inter Ortum & Meridiem Clanius *Clanius le Clain* e Lemovicibus deſcendens pedem clivi alluit, & *fluvius.* porta valli ad lævam relicta per canales diviſus, inſulas quaſdam non minus amœnas, quam oppidanorum uſibus utiles efficit & intra vallũ ad Cypriani fanum rurſus funditur, parte alvei ſecundum muros urbis, parte longius fluente, quę tandem ad Roberti pontem jungitur & pratum Abbatiſſæ vulgo dictum prætervectus inter Rupirolium & arcem triquetra forma olim a Ioanne Biturigum Duce, Caroli V fratre conſtructũ exit. Dein haud longe a Caſtro-Eraldi Vingennæ miſcetur. Ultra arcem ſuburbium S. Lazari porrigitur in imo urbis loco; inde ad Hilarii Fanum Septemtrioni & Occaſui objectũ pars ſuperiore non minor extenditur, cujus muris ſtagnum vulgo *S. Hilarium* dictum ſubjacet, ponte, cui Achardo nomen, diviſum; ex quo ſurſum enitendo ad valli portam aſcenditur. Viſuntur ibi præter arcem validam, pa- *Opera publica.* latium Galieni, vaſta Amphitheatri rudera, vulgo *Les Arenes*, nota voce; aquæductuũ fornices, quos *Arceaux de Parigne* vulgus dicit: Romanorum hoc loco Imperii veſtigia. Primarium templum D. Petro eſt conſecratum: a D. Martiale primum, ſed non auguſto opere excitatum. Aliud eſt B. Virgini dicatum in foro magno, quod vocant *Noſtre Dame la grande*, uti & illud in ſuperiore urbis parte D. Hilario ſacrum. Academiam habet *Schola illuſtris.* florentiſſimam, ſtudio juris civilis celebrem, cui altera poſt Pariſienſem locus ſolet tribui, inſtitutam a Carolo VII Francorum Rege, anno CIↃ CCCC XXI. De qua Scaliger in urbibus:

Si ſtudium eſt animæ: veniunt a corpore vires;
Galliaq; a meritis poſcit utrumq; ſibi.
Hæc ſtudiis, aliæ belli exercentur amore;
Pictavium eſt animus, cætera corpus erunt.

Rebuffus (in authen. Habita. C. Ne filius pro patre) vehementer improbat, quod ibi ſtudioſis homines viliſſimi turpiſſimiq; graves ſæpe injurias inferre permittantur, contra ſaluberrimam piiſſimi Imperatoris conſtitutionem. Docuit aliquando Auguſtoriti Grammaticam *Ammonius Anaſtaſius Burdigalenſis*, ut notat Auſonius carm. de Profeſſoribus XI. Sunt qui Agathirſis atq; Gelonis, filiorum Herculis ſucceſſoribus (qui Picti a Poëtis vocantur) hujus urbis fundationem attribuunt. Hi etenim ob concitatas ſeditiones domeſticas patria pulſi, in Angliã devenerunt, inde numero & multitudine auctꝰ novis quærendis ſedibus, in Galliam trajecere, ubi a ſuo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [262] - -
PUBLIC DOMAIN





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [263] - -

nomine Pictones populos, hanc quoque civitatem condidiſſe ferunt. Alii aliter ſcribunt, cum ex Pomponio Mela & Plinio conſtet, ante etiam multo tempore, quam hi ex Anglia venerint, Pictonum exſtitiſſe memoriam. Claram reddit hanc urbem Epiſcopalis Sedes, cujus Beleforeſtius Præſules commemorat XCIII: eorum poſtremum nominans *Carolum Deſcurſium*. Præfuit inter alios maxima laude *D. Hilarius*, doctrina ac pietate ſingularis Antiſtes, qui Arrianæ factioni ſe Antagoniſtam oppoſuit, ac præclaros illos & nunquam intermorituros de S. Trinitate libros XII magno tum ingenio, tum eloquentia conſcripſit. Hinc illud Vandelberti in Martyrologio inter opera venerabilis Bedæ:

Pictavis Hilario multum radiata magiſtro.

Magnas ſuſtinuerunt aliquoties incolæ calamitates ab Anglorum aliorumque incurſionibus.

Regimen. Curia Pictavienſis regitur manu Præſidis & duorum Vicariorum, quorum unus civiles, alter criminales cognoſcit cauſas. Ad hanc multorum hujus Provinciæ oppidorum tribunalia pertinent: ut præter Pictaviã ipſam, de qua dixi, ſunt *Niort* cum arce munitum oppidum, & nundinis toto Regno maxime famoſum, ad Surã amnem ſitum, qui inde navigabilis per Almetenſem agrum decurrens ſupra Maranum in mare exoneratur; alius ab eo qui ex Gaſtinenſis regionis ſtagnis ortus, ſylvam vicinam permeat & Pomeræi ponte junctus per Mortanium & Cliſſonem labens ad Condivicinum Nannetum Ligeri mergitur. *Fontenay le Comte*, arce item præditum; mœnia hujus oppidi præterfluit rivulus Vendæus (*Vendee*) qui ſubinde adeo excreſcit, ut totum Fontenæi Territorium vicinaq; loca inundet: *Luſignan*, ubi caſtrum antiquum, quod vulgo *Maluſine* (ſunt & alia loca ab hac denominata *Vouvant* & *Mairevant*, quæ fit *Meluſine*) *Montmorillon*, *La baſſe Marche*, *Dorat*, *S. Maxent*, & alia fortean: quibus additum *Si vray* erectum in Seneſcallatus dignitatem, arce potens. Eſt autem, ut eam nunc partem adgrediar, ſub Pictonio Principatus titulo ornata (præter *Talmontem*, *Talmont*; ſic dictum quaſi *Talon du Monde*, *Calcaneus Mundi*, ut quidam volunt) *Rupes ſuper Ionnam*, *Roche ſur Ion*, familiæ regalis Borboniæ. Noverunt Avi noſtri *Ludovicum Borbonium*, Joannis Vendomæ Comitis filiũ, *Rupis ad Ionnam* Principem, Comitem Mompenſerium, ejuſq; filiũ *Carolum*. Ducatus dignitate claret *Caſtellum Heraldi*, *Caſtelherault*, ad Vingennam. Vicecomitatus ſunt *Touars* ad Toviũ fluvium, *Broſſe*, *Bridieres*, *Roche*, *Chovart*. Baronatus Dominiiq; honore inſignita ſunt opida non pauca, quæ turbato, ut in oculos veniunt & mentem, ordine ponam: *Mainlers*, ubi piſcatio ſalmonum, aloſarum, quæ clupeæ aliis, balænarum & Aſellorum præcipue, qui arefacti ventoq; & frigore indurati in varias regiones ſolẽt exportari: *Parthenay*, *S. Maxent*, *Mello*, *Chizai*, *Chauvigny*, *Luſſac*, *Breſſuyre*, *Charrou*, *Chaſtaneraye*, *S. Gillis*, *Chaſteaumur*, *les Sables d'Aulonne*, *S. Hermine*, *Montaigu*, oppidum cum arce, ſalinis nobile; *Mirebeau*, *la Motte*, *S. Beraye*, *Vouvant*, *S. Hilaire*, *Mortemer*, *Luzay*, *S. Savin*, *l'Iſle Iourdain*, *S. Benoiſt du Sault*, *Bourg-neuff*, *Meroil*, *Mervant*, *Brige*, *Vouvert*, *Ville-faignaix*, & alia. Fuiſſe & in Pictonibus *Limonum* colligitur ex Antonini itinere quod Burdigala ducitur Auguſtodunum; Λίμωνον Ptolomæo; in Tabula itineraria ſcribitur *Lomounum*. Illud magni viri putant idem eſſe tranſnominatione quadam, cum *Auguſtorito*, *Poictiers*. Nihil audemus hic affirmare. *Limoni* mentio in commentario A. Hirtii, ter; ubi tamen quidam libri *Lemovicum* contra fidem & auctoritatem manuſcriptorum codicum præferunt.

Fluviis quibus hæc regio irrigatur ſunt *Clanus*, *Vigenna* nunc *Vienne*, *Vendæus* & alii, qui piſcium magna ſubminiſtrant copiam. Silentio non eſt hic prætereundum Amphitheatrum apud Pictones *Pago Duvæo* qui vulgo *Dove* adjacens, ſeminativum; manu quidem & arte humana factum, ſed ita, ut videri poſſit a natura: totum enim exciſum & excavatum eſt in monte, ſine externa ulla materia calcis, lapidis, ligni: montis ipſius & Amphitheatri pleniſſima eſt delineatio ex fide Levini Kerſmakeri, Conſulis quondam Zirickzæi, Zelandiæq; primis hujus belli motibus Gubernatoris, apud Juſtum Lipſium libello de Amphitheatris quæ extra Romam cap VI: qui (*Pagum Dovæum*) addit aliquid amplius olim fuiſſe, cum ex eo non pagani operis argumento, tum ex viæ antiquæ publicæq; reliquiis, quæ ex pago eodẽ pertinuit ad *Pontem Cæſarianum*, vulgo *Pont du Sey*, cujus viæ pars adhuc variis locis conſpicitur: pars autem maxima corrupta eſt, lapidibus in ædificia varie abſumtis aut avectis. Sed & incolas ſcribit antiquitatem aliquam jactare, Druidesque apud ſe ſedes habuiſſe. Pagum autem hinc Ptolomæi *Daveonam* fuiſſe ſuſpicatur ex claro nominis quod nunc præfert argumento: exq; ſitu, qui ab ipſa Ptolomæi collocatione non abſcedit. Medio circiter Pictavia milliari, itinere, quod Avaricum Biturigum ducit, in via regia ingens ſpectatur Saxum, forma quadratum, quinq; lapidibus fulcitum, unde vulgo *la Pierre Levée*. De eo diſtichon hoc exſtat.

Fluviorum.

Hic lapis ingentem ſuperat gravitate Coloſſum
Ponderis, & grandi ſidera mole petit.

Viatores plerumq; ſua inſculpunt nomina. Inſcripti leguntur cum aliis Obertus Giſanius Buranus, Gerardus Mercator, Abrahamus Ortelius, Philippus Gallæus, Georgius Braun Colonienſis, Gerardus Hovenaglius.

Incolarũ mores. Ad mores venio. Agricolæ nonnulli habent peculiaris linguæ, quibus qui parum fidit, ſapere perhibent. Hominum genus, quod, Feras prohibitum, Lites venatur; contentioſum, & in ſimpulo fluctus excitare gnarum. Urbani diſſimilis plane genii & ingenii, faciles, benefici, liberales, candidi, fucos & impoſturas deteſtantes, eruditionis & eruditorum, qui hic non pauci, amantes. Nobilitas provida, ſtrenua, audentior.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [264] - -
PUBLIC DOMAIN

TERRITORIVM
LOVDONENSE.

LOVDONVM & urbis & totius tractus ſeu territorii nomen, quod alii Pictaviæ aſcribunt, cujus Diœceſes, aut potius Parœciæ, ſub tribus Epiſcopatibus, Pictavienſi nempe, Luconii & Maillezais, ut vulgò ſonant, cõprehenduntur. Loca celebriora præter *Loudun* hæc ſunt (incolarũ nominibus ea profero) *Roche ſur Yon, Talmont, Meroil, Vouvant, Mervant, Breſſuire Loudun, Fontenay le Comte.* Atque hæc in ſuperiore quam diximus. parte Inferior habet *Nyort, Partenay, Thouars, Moncontour, Hernauld,* MIREBAV, *Chaſtellerault, &c.* Primatũ autem inter hęc Pictavia ſive *Poitiers* obtinet, omnium Galliæ urbium poſt Lutetiam ampliſſima, maxima parte Clanio flumine vivo circumdata. Diſtrictus Loudonenſis non uſque adeo magnus eſt, Ligerim inter, Divam, Vigennam & Veudam interceptus. In meditullio eſt *Loudun*, urbs non adeo magna, ſed ſitu loci amœniſſima ac jucundiſſima, vicinam habens ſylvam *Bois rogne*. Privatis quondam paruit, nunc ſedes Tribunalis regii eſt. Sunt qui Iuliodunum vocant, quod à C. Iulio Cæſare conditum ſit, at neſcio quo antiquo ſcriptore. Laudatur hic panis croco coloratus, quem qui ex vicinis oppidis negotiorum gratia hinc abeunt, domum redeuntes liberis aut amicis ſecum adferre ſolent. Eſt & aliud huic territorio laudabile, quod prægrandium gallinarum copia abundet, vulgo *les poulles de Loudun*. Vrbes, quod ſciam, alias territorium hoc non habet, ſed pagos vicoſque plurimos; ſylvas ordine quaſi poſitas tres, quarum media Louduno vicina eſt. Ligerim hic videre eſt, à Cæſare aliiſque nobilitatum, hodie *Loire* & *Leire* vulgo audit. Caput ejus in pago Velauno, locus vernacule *la ſont de Leire*. Amplior eſt reliquis, ut merito vocetur *Pater Galliæ fluviorum*, aquæ limpidiſſimæ. Facto inter varios populos procurſu, exonerat ſe in Oceanum Occidentalem, inter Nametes & Pictones, oſtio quatuor fere leucas amplo, pulvillis aliquot infeſto. Ingentes & navium patientes excipit fluvios non paucos, *Elaver*, *Carim*, *Vigennam* & *Meduanam*. *Caris* hodie *Cher*, in tabula ſupra Vigennam conſpicitur. *Vigenna* cujus mentio apud Fortunatum, Gregorium Turonenſem & Hugonem Floriacenſem hodie *Vienne* incolis appellatur, agros Loudunenſes proxime præterlabitur à Septentrione in Auſtrum ita, ut eos proxime radat. Ab Occidente eam ambit & parte tenus ſecat Diva fluvius *le Dive*. In ejus finibus verſus Boream ſpectatur in ipſo Ligeri Salmurium *Salmur*, urbs elegans ſatis muriſque & mœnibus non inconcinna, ædificiiſque non vulgaribus pulcra. Arcem habet in edito monte poſitam, quæ, foris ſi ſpectes, antiquiſſima & veluti collapſa eſſet, apparet. Verum intus atriis cubiculiſq; pluribus nitet & fulget; uti & hortis circum amœniſſimis. Proximis annis eam Gubernatoris titulo tenuit Philippus Morneus Pleſſiaci Dominus, vir non natalium ſolummodo ſplendore, quam editis ſcriptis compluribus celebris, affabilitate & comitate in exteros ſtupenda, quibus copiam ſe adeundi & compellandi fecit, qui & Academiam inibi auſpiciis Henrici IV fundavit. Ab urbe trans Ligerim pons ſtratus eſt, ex quo jucundiſſimus quaquaverſum ambulantibus proſpectus. Verſus Auſtrum in finibus Loudunenſis tractus videre eſt urbem *Moncontour*, ad Divam fluvium. Ad Orientem occurrit oppidum *Champigny*; altius Inſula *l'Iſle Bouchart*; Viennæ aquis circumdata.

Loca celebriora.

Ligeris fluvius.

Caris.

Vigenna.

Diva.

oooo



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 6111 2, [266] - -

TRACTVS MIREBLAIS.

Flumina. COntermina ſuperiori Loudunenſi agro eſt regiuncula MIREBLAIS ab oppido *Mirebeau* nomen ſortita, Loudonenſi minor. Clanio flumine ab Oriente; Veuda à Septentrione cincta, qui per mediam regionem abit eamque irrigat. In ea *Metropolis.* præter Mirebeau urbem præcipuam, arce ac ſalinis nobilem, etiam occurrunt oppida *Faye la Vineuſe, Aurigne, Douſſay, Moncontour, Vouzaille &* *Oppida.* *Ceaux*. In finibus ſpectatur ad Auſtrum Pictonum urbs *Poictiers* amœniſsimo ſita loco, clivoſo tamen, niſi quod una parte, quam Franchæam patrio vocabulo dicunt, in planitiem abeat, latiſsimi, ſi quæ in Galliis alia, ambitus, ſed cujus ingens portio ab habitantibus vacua, pratis, vineis, aliiſque agreſtibus occupata operibus; reliqua excellentibus ædificiorum ſtructuris veneranda. Adluit latus illud Clanius fluvius aqua ſatis copioſa fluens, inſulaſq; deducto alveo, efficiens, qui inde aliquot verſus Septentrionem miliaribus Vigennæ miſcetur. Regio eſt frugum, pecoriſque lanæ, liniq; *Regionis indoles.* feraciſsima; vino, frumentoque dives; piſcium abundans; avium ferarumque magnam habens copiam, ejuſdem prorſus cum Pictavienſi agro indolis ac genii.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [267] - -
PUBLIC DOMAIN

SANTONIA

Vulgo

XAINTONGE.

Regio unde dicta,

Situs.



Vienna Aquitaniæ pars quatuor ſub ſe habet Seneſchallias; *Burdigalenſem, Vaſatenſem* & *Xantoniã*. Cis Garumnam vero ſunt Santones quorum meminit Cæſar, Strabo, Ptolemæus, Plinius, etiam Galenus, qui inde *Santonicam herbam* nomen ſortiri vult. Iuvenalis Satyra tertia *Santonium cucullum* nominat. SANTONIA vulgo *Xaintonge*, Guiennæ Seneſchallia, à veteribus Incolis *Santonibus* dicta, habet ad Septemtrionem Pictones; ad Orientem Eculiſmenſes & Petrocorios, ad Meridiem Garumnam, ad Occidentem Oceanum, ubi ſunt Inſulæ Oleronis, vulgo *les Iſles d'Oleron*, in quibus cuniculorum ac leporum magna multitudo. Olim latiores Santonibus fuiſſe terminos, non obſcurè colligitur ex Auctore Ephemeridum de bello Gallico; qui ſcribit eos non longè ab Toloſatium finibus abeſſe; illiſque in magno illo contra Cæſarem bello, Concilium Principum Gallorum XII. millia hominum imperaſſe, quum octo tantum millia

Soli fertilitas.

Pictonibus, Lemovicibus decem fuerint imperata. *Santonum* verò regio tritico & vino abundat, eſtque melioribus Galliæ regionibus accenſenda, adeo ut merces ſuas Hiſpanis, Anglis, aliarumque Provinciarum incolis ſubminiſtret. Sedes hic quondam habuerunt *Santones*.

Vrbes.

Vrbs hujus Regionis primaria eſt ea quæ vernaculè dicitur *Saintes*, terminatione plurali; ut reliqua fere, quæ Gallis in *s*. deſinunt; cujus claſſis ſũt *Paris, Reims*, & ſimilia. Hęc à veteribus Gallis condita eſt, nec dubium, quin

Saintes ſeu Mediolanum Santonum.

Mediolanium ſit *Xantonum* vel *Santonũ*: *Mediolanum Santonum*, Antonino, itinere à Burdigala Auguſtodunum: *Mediolanum Saneon*, corruptè in itineraria Tabula. Μεδιολάνιον Straboni & Ptolemæo: Μηδιόλανον Stephano. Antiquitatem ejus teſtantur varia. Primo multę priſcorum mœnium adhuc manentes hic ibi particulæ: deinde nobiles extra mœnia verſus Occidentem amphitheatri, Petrocorienſi quam Burdigalenſi ſimilioris, reliquiæ; tertiò in Ponte Carantoni, urbem præterfluentis, antiquæ ſtructuræ cum inſcriptione duplici arcus; in cujus uno latere ſcripta leguntur hæc verba: CÆSARI NEP. DIVI IVLII PONTIFICI AVGVRI. In altero ſunt etiamnum aliquot literæ, pene deletæ, ex quibus nihil poteſt colligi. Poſtremo non exigua, qua Mediolanio iter Angeriacum ducit, aquæductus rudera. Vrbs etiam *Santonus* appellatur Auſonio Epiſt. XXIII, & Lucano, ni fallor, lib. I. *Santones* item eidem Auſonio Epiſtola XIV. & XVIII. ut & forte Tacito lib. V. Hiſtor. Auguſt. Sidonioque Apollinari lib. VIII. Epiſt. VI. Ab hoc *Mediolano* nomen ei fuiſſe impoſitum, quod Galli, ut teſtatur T. Livius, in agro Inſubrum condiderunt, per eſt veroſimile, ne dicam, ut Caſaubono adſentiar, certum. Hujus Vrbis agrum ſi diligentius inſpexiſſet Strabo, pro arenoſo & ſterili, præpinguem frugumque omnium feraciſſimum dixiſſet. Vrbs ſita eſt ad fertilem fluvium Carantonum (*Charente* vulgo) qui in loco vulgo dicto *Charemac*, inter Oppida Lemovicum, *Limoges*, & Inculiſmam *Angouleſme*, oritur. Epiſcopalis eſt Civitas, cujus Præſules Belleforeſtius numerat LXIII. S. Eutropius primus fuit à S. Clemente eo miſſus. Hic poſtquam hunc populum ad Fidem Euangelicam convertiſſet, ſub Imperatore Domitiano martyrium paſſus: & poſtremus nominatus à Belleforeſtio *Triſtamus Biſetus, Triſtand de Biſet*. Eſt in hac Vrbe monaſterium Monialium D. Virginis fundatum à Godefrido Santoniæ Comite, ejuſque conjuge Agnete anno CIↃ XLVII. Trigeſimus Santoniæ Epiſcopus dictus *Petrus Confolanti*, domum Epiſcopi ædificandum curavit, anno CIↃ CII, atque muros Eccleſiæ Cathedralis reparari juſſit. Mediolanium, vel ut quidam Latine ſcribentes vocant, Santoniam ſequitur *Rupella*, vernacule *La Rochelle*. Hæc videtur ex Ptolemæi deſcriptione eſſe Σαντονῶν ἄκρον *Promontorium Santonum*, quod tamen *Blaye* Villanovano, qui *Santonum Portum* interpretatur. Sita eſt hæc Vrbs in agro totius Galliæ fertiliſſimo ad ſinum Maris, bis quotidie acceſſum & receſſum maris accipiens. Vrbs non antiqua, ab Franciæ Regibus exſtructa ob portus commoditatem, utque piratarum inſultus retunderent qui oram Armoricam univerſam veſtabant. Portus commoditas tanta eſt, ut cives cum omnibus Europæ nationibus commercium habere poſſint, terra marique bellum gerere adverſus hoſtes. Nam multarum navium capax eſt, & illas educendi atque introducendi maximam habet opportunitatem. Eſtque ibi fidiſſima navium ſtatio. Viribus humanis inexpugnabilis creditur. Meridionale fere latus inſignis Oceani ſinus: adverſum paludes locaque uliginoſa (quæ conficiendo Sali non inidonea, *Salantes* vulgo dicuntur) muniunt: reliqua muri, foveæ, turres, validaque propugnacula, quibus omnibus ſua ſunt cognomina, mirandum in modum firmant: ut tormentis bellicis nullis fere ſit ad eam aditus. Libera civitas, quamque multis & magnis immunitatibus atq; privilegiis ornarunt retro Principes cum aliis, quæ rei maritimæ faciunt promovendæ, tum quod cives ex ſuo corpore Majorem Scabinoſque legant, qui urbis politiæ præſunt; quod nullam peregrinorum gubernationem admittere cogantur, quod nullis militum præſidiis divexentur: quod denique arcis ab ſuis pomeriis arcendæ jus habeant: quorum pleraque conſequenti anno CIↃ CCCLXII, quum exturbato Anglorum præſidio, ſe Francorum Regi Carolo V. ſubmitterent. Suſti-

Rupella.

Obſidiones Rupellæ.

nuit Rupella gravem obſidionem anno CIↃ IↃ LXXIII ab Henrico Valeſio Andegavenſium Duce, qui Rex poſtea Poloniæ Franciæque, de qua nulli non Hiſtoriographi. In hac obſidione, obſidentes fulminibus & fragoribus tormentorum terra marique uſi ſunt, oppugnationibus furioſis, bombardarum procellis, ſcalarum applicationibus, propugnaculorum ruina, cuniculis; omnibus denique machinationibus quæ in valida ac pertinaciſſima obſidione inſtrui poſſunt. Atque ex parte obſeſſorum, videre erat viros, mulieres, pueros magna animorum confidentia ſuſtinere furioſos oppugnantium inſultus, reparare magna conſtantia & alacritate mœnium ruinas, deturbare primos aſcendentes, hoſtem intra ſuas munitiones repellere, eum perſequi, dimicare denique eventu vario, ſed ut plurimum proſpero, quotidianis eruptionibus fatigare obſidentes; denique ſubſiſtere poſt novem oppugnationes, in quibus quamvis oppugnantes acerrime depugnarent, ſemper pedem magna cum ſua jactura referre coacti ſunt. Tandem Legati Poloniæ XV Iunii venientes ut Henricum Ducem Andegavenſem ſecum ducerent, quem Regni Ordines in Regem elegerant; Deus hoc medio uſus eſt ut in libertatem Rupellam aſſereret jam exhauſtam annona, munitionibus bellicis, & aliquot millibus hominum; ac Rex per articulos pacis ſolenni Edicto Regio confirmatos concedebat ut Rupella, Montalbanum, Nemauſum, aliæque civitates quæ ſeſe defenderant, liberum &





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [269] - -

integrum suæ Religionis haberent exercitium. Talem exitum habuit ista gravis obsidio, quæ per menses fere septem duravit, in qua amplius viginti millia hominum periêre in conflictibus, velitationibus, eruptionibus, oppugnationibus, ex vulneribus, fame, morbis. Denuo gravissimam sustinuit obsidionem sub moderno Franciæ Rege Ludovico XIII, qui eam expugnavit auxilio Hollandiæ Ordinum. Rupellæ Sedes Præsidialis constans Senatoribus aliisque Ius dicentibus. Reliquæ Santonum Vrbes & Oppida vulgo nominantur *S. Iean d'Angely, Ponts* ou *Pont l'Oubleze, Blaye, Taillebourg, Barbesieux, Brouage, Iosac. S. Iean d'Angely, Angeliacum*, aliis *S. Ioannes de Angeria*, urbs satis recens, tametsi sit ex præcipuis, maximisque totius Santoniæ. Vrbi nomen dedit Abbatia in honorem S. Ioannis eo loci fundata: cujus fundatio in regnum Regis Pipini incidit, qui domicilium suum habebat in Palatio Angeriensi (in qua voce unius duntaxat literæ mutationem ex Angeri in Angeli videmus) juxta fluvium vulgo *Boutonne*, & in agro Alnisiensi. Accesserant huc Monachi nonnulli è Terra Sancta, qui attulerunt in eum locum, sic perhibent, caput Ioannis Baptistæ, quorum adventu Rex insignem victoriam ab hostibus reportaverat, quæ causa fuit, ut in memoriam hujus auxilii condiderit eo loco ubi Palatium erat Angerianum, Abbatiam in honorem S. Ioannis: ibidemque religiosos collocaverit amplis reditibus donatos, ut ibi Deo servirent. Hac ratione populo huc confluente, & circum Abbatiam ædificante, paullatim in urbem qualis hodie cernitur, excrevit, quæ *S. Ioannis* nomen habet, atque etiamnum veterem appellationem retinet. Hæc omnia acciderunt circa annum salutis 768, Pipino contra Gaiferum Aquitaniæ Regem bellum gerente, quem devicit, ut in historia fundationis hujus Abbatiæ legitur. Hanc urbem obsedit Dux Andegavensium anno CIↃ IↃ LXIX, quæ illi dedita post quinquaginta dierum obsidionem his conditionibus à Rege subsignatis: ut *obsessi cum armis, equis, & complicatis vexillis urbe excederent* &c. Sed hæc obsidio non minus est memorabilis eo nomine quod obsessi eam non minus fortiter sustinuerint quam obsidentes sint persequuti, quam quod pacta ab obsidentibus contra regia promissa servata non fuerint. Notat historia supra duo millia ad Angeliacum periisse, ac quinque millia Tormentariarum pilarum vibrata. *Pons* vulgo *Pons l'Oubleze* oppidum est IV milliaribus distans Mediolano. In superiorem & inferiorem civitatem dividitur, illaque pars quæ dicitur *S. Vivian* hodie pene deserta: quia Iudæos olim hic habitantes qui Crucigerum ex Hospitalio suspenderant, loci Dominus ad unum delebat absque ulla misericordia. Altera pars urbis ad Septentrionem *les Haires & S. Martin* dicitur, estque exornata compluribus templis & cœnobiis, qualia sunt domus Dominicanorum & Franciscanorum (quorum Monasterium extructum à Regnaldo quodã loci Domino Caroli V tempore) Monachorum S. Benedicti, & S. Ioannis Hierosolymitani à Guidone Eculismensi condita: tres Parochiæ & tria Xenodochia, quorũ duo peregrinis, unum incolis patet, cujus reditibus Scholæ sustineri solitæ. *Pontis* Iurisdictio in LII Parochias, & CCL feuda Nobilium, & Nobiles Vasallos extenditur. Numismata hic reperta in columnæ cujusdam basi, hunc locum admodum antiquum esse demonstrant, quibus inscriptum legitur, DIVUS CAIVS IVL. CÆS. IMPERATOR, atque aliis, ÆLIVS PONTIVS NEPOS POMP. MAG. TVMVL. Quod etiam fidem facit Castellum hoc & Oppidum servare nomen illius *Ælii Pontii*, unde verisimile videri possit *Antonium* cognomento *du Pont* hujus loci Dominum, à Romanis ortum esse, hoc etiam confirmantibus quibusdam monumentis antiquis, quæ hic asservantur, in quibus reperitur, *Armadus Vlnerius Pontius & Anabalda uxor, Diis Volent. & Albinus Cossejus Pontius, Filius Anab. Vlneri. D. A. Pont. & Helheida uxor hic jacent*. Atque etiamnum, *Ecmoratus, Comai. D. A. Pont. Egilda Filia Brenni uxor*. Quicquid sit, veteres Romani huic oppido hoc nomen dedisse propter pontium multitudinem putantur, in cujus rei testimonium in turribus ejus visuntur insignia Dominorum Pontis quæ sunt tres Pontes aurei in campo rubro super scutum argenteum.

S. Iean d'Angely.

Pons l'Oubleze.

Blaye, Blavia, munitissimum oppidum, ad dexteram, quæque Santonos spectat, Garumnæ ripam, XII leucis ab ejus ostio, VII à Burdigala, ab Santonis XV. Meminerunt ejus, præter Gregorium Turonensem & Aimoinum, etiam Ausonius Epistola XII ad Paullum, *Militarem* appellans. In posteriore Tabulæ Peutingerianæ editione *Blavia* quoque nuncupatur. *Blavium* est Turpino in Vita Caroli: *Blavia* Notitiæ Imperii Romani, adsignato illi Præfecto Militum Carronensium. Hodie pergit esse, quod olim fuit *Blavia*, vix XL jugera obtinens soli, custodes vigilesque habet perpetuos. Hoc oppidum civilia bella solo non ita pridem æquarunt. Incolę volunt *Rolandum Palatinum*, Præfectum sub Carolo Magno littoris Britannici, apud se natum, suum fuisse Comitem, apud se denique tumulatum in Ecclesia D. Romani, ense apposito, quem *Durandal* vocitant, cornuque ipsius ad pedes tumuli, quod tamen postea in Ecclesiam D. Severini Burdigalam perhibetur translatum. *Taillébourg*, vel *Bourg* oppidum pulchrum, situ commodo & forti. *Barbesieux, Barbesiacum*, novem milliarium intervallo dissidet à Mediolano & quinque ab Inculisma, Coignaco & Ponte. Fuitque olim oppidum pulchrum, probeque munitum, ut ruinæ, & murorum reliquiæ ostendunt, situm in agro fertili quamvis à fluviis remoto. In hoc oppido duæ sunt paroeciæ, una nomine S. Matthæi, olim D. Virgini sacra: altera S. Eumachiæ. Arx hic admodum pulcra instaurata ab Avia unius ex Comitibus Rupafocaldis, vulgo *de Rochefocault* non ita pridem: quoniam ab illo fonte stirps Dominorum Barbesiensium fluxit. *Brouage, Broagium* oppidulum quadratum, in palude conditum, æque mari aggestum. Locus est, Belgis aliisque Salipetis notissimus. *Broagium* obsessum à Duce Maynio XXII Iunii anno CIↃ IↃ LXXVII pactione deditum fuit, qua excesserunt XXVIII Augusti, vita & rebus salvis, idque victoribus reliquêre. Est & amplus pagus *Maransium, Marans*, octo passuum millibus à Rupella, quà in Pictones iter est. Non Mænibus cingitur, neque aggeribus aliisve munitionibus firmatur, præterquam castello natura quidem, & situ munito, præsertim hyëme, quod mari & paludibus, unde & pagus nomen accepit, cingatur undique. In his paludibus sal conficitur magna copia. Fluvius quo in vulgo *Sevre* transiens per eum locum, quo omnis generis merces Rupellam advehuntur, adde etiam quod maris æstus usque ad Castelli pedem pervenit. *Santonia* magnam pecuniæ vim ex suis frumentis conficit, quod Hispani fere annis singulis inde avehunt, aut mercatores qui ipsis vendunt. Estque Rupella dives admodum, propter mare cui vicina est, & commercia præcipue Anglorum & Belgarum, quorum navigia eo crebrius appellunt. Denique de Sanctonum Provincia usurpant Galli hunc rythmum:

Si la France estoit un œuf,
Saintonge en seroit le moyeuf.

Id est, si Galliam ovum statuas, Santones ovi vitellum sunto; nam præterquam quod cœli clementia, soli ubertate, & aquarum bonitate præstant, non datur in Gallia regio quæ vicinarum dotes minus desideret, sive generosas vites, sive frumentorum leguminumque copiam, sive salem, qui illis magis est peculiaris, sive portus tutissimos & commercia spectes.

Blavia.

Bourg.

Bardesiacum

Broagium.

Mercimonia

Encomium Santoniæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [270] - -
PUBLIC DOMAIN

INSVLÆ S. MARTINI & VLIARVS, Vulgo L'ISLE DE RE & OLERON.

Insula Reta alias S. Martini.

S Antoniæ, (regio Aquitaniæ eſt) objacent ad Occidentem Inſulæ majores duæ, *Iſle de Ré & Oleron*. Prior *Reta* dicta à continente unius; à Rupella duarum leucarum ſpatio diſſita, per quinque leucas in longum exporrigitur: Leucam & ſeſqui, qua latior; aliis locis multo minor: ſatis & vini abundans & aliarum rerum ad vitam neceſſariarum. Portum & ſtationes habet tutas, qua parte Septentrionem ſpectat; ad Meridiem, qua mari inhoſpitali alluitur, penitus inacceſſa; populo ob commercium & vicis frequens ſub præfectura Rupellæ comprehenſa. Inſula ad S. Michaëlis cœnobium pertinet, unde cœnobium ipſum Retenſe etiam cognominatur. Martini Fanum primarium & maximè populoſum tota inſula municipium, nomen quoque inſulæ dedit. Pagos præterea habet *S. Mariæ, Heers, Abbatiam, La Flotte, La Couvarde.*

Navigantibus cautio.

Qui continentem inter Pictaviam & Inſulam S. Martini navis curſum tuto dirigere volet, propior continenti naviget, oportet; longiuſque ab inſula dicta recedat: littora enim ejus vadoſa ſunt & prærupta. Nec tamen nimis radendum littus continentis, cum & illic brevia ſint & ſyrtes. Interiora ſubeuntibus ita porro navigandum, donec templum S. Martini ſitum ſit ad Occaſum Hibernum, quo cum perveneris, ſuperaſſe te credas pulvillum maris, qui ad Boreale eſt inſulæ latus. Hic refluo mari profundus eſt orguiam unam, pleno mari, quatuor. Circa S. Martini fanum mare altum eſt 4, 5, 6 orguias. Quoties anchoram hic figere voles, hoc obſerva, uti recta ſpectanti pateat & objiciatur portus. Hunc locum prætervectus ſi navi onuſta pulvillum tranſire voles, qui ex adverſo Abbatiæ extenditur, expecta uſque dum pluſculum intumuerit mare, nam remiſſo mari, deficientibus aquis, facile erit in ſcopulum incurrere. Si anchoram jacere voles inſulam Martini & ad inſulam illam triangularem, quam *Brandeylant* vocant, contendere, oculis locum illum ſigna, in quo linea recta conſtitutas videbis turres *Luſſon*, & inſulæ minoris *Vrch*. Hoc enim ſitu nihil periculi erit à vadis *Laverdin* dictis. Iacent hæc quartâ circiter miliaris parte ab inſula Martini, inter quam & vada iſta, tuta datur navigatio. Portus oſtium eſt patens ſatis inſulam inter & Vliarum, quod qui ſubire volet, ſtudioſe ſibi cavere debet à promontorio boreali inſulæ Oleron.

Nupera ipſius cum Anglorum expeditio.

Inſulam hanc nuperrimè celebrem fecit Anglorum potentiſsima in eum expeditio; obſeſſa enim à Ludovico XIII Francorum Rege Rupella, Anglorum Rex tutelam ipſius urbis ob communem religionis cauſam ſibi deberi ratus, eo cum numeroſa claſſe miſit Ducem Buckingamum, comite Soubiſio, qui cùm ad inſulam appuliſſet, felici ſatis Marte Gallos reppulit, & in pagum, cui *la Flotte* nomen, ſe recipere coëgit. Ipſe ſucceſſus ſuos urgens, municipium S. Martini nullis mœnibus cinctum occupavit, ex quo paulò ante diſceſſerat Gallorum Dux fortiſsimus Dominus *Thoraxius*, qui in caſtrum & propugnaculum ſuum ſe recepit, unà cum præſidiariis 2500. Buckingamus municipium vallo cingi juſsit, ita ut nulli ipſius injuſſu exire permiſſum fuerit. Etiam propugnaculum corona cinxit & aggere, ex priſco & uſitato hodiernæ militiæ more. Cumque conſultum videretur Buckingamo non vi, ſed fame expugnare propugnaculum, octoaginta Gallorum feminas unà cum liberis coegit adire propugnaculum, ut, ſi reciperentur, oneri eſſent obſeſsis, ſin minus invidiam Gallorum in Gallos concitaret. Durante obſidione cauſas ejus edidit prolixiore ſcripto idem Dux, variis variè ejus hoc factum interpretantibus. Cum autem non niſi recentibus veſcerentur cibis carnibuſque & à ſalitis eſſent alieniores Angli, morbis affligi & debilitari cœperunt, plurimis extinctis ſiti, dyſenteria, uvarum immodico eſu. Tormento majore ictus cecidit Præfectus *Burcht*, cujus mortem ut ulciſceretur Buckingamus,



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [272] -

mus, pluribus explosis in arcem tormentis hoc effecit, ut frater Domini *Thorax* vulneratus obierit, & cum eo è gregariis viginti quinque. Invalescente intra arcem fame ob cibi inopiam, rerum quæ ad victum spectabant precia in immensum excrevêre. Et grassans diarrhæa dimidiam fere exercitus Anglicani partem consumpsit. Interea favente vento quindecim myoparones arcem subiere & à commeatu obsessis prospexere, damnantibus negligentiam Batavis, qui istic erant. Angli ne idem post accideret, molem ligneam ex arboribus catenatim cohærentibus portui objecêre, sed hanc aquarum & ventorum vis dejecit. Tandem confugêre ad eas artes, quibus aliquando usus fuit in obsidione Gertrudisbergæ Illustris Princeps Mauritius: nempe navigia minora lunata forma disposita, aditum Gallis præclusere. Cum autem recepto intra arcem commeatu animi crescerent obsessis, de discessu cogitare cœperunt Britanni. Quumque in insulam appulissent quatuor aut quinque Gallorum millia, decretum inter Anglos ex insula re infecta discedere. In postremos impetum fecere Galli, quingentis aut sexcentis cęsis. Angli adversis etiam tempestatibus jactati in Angliam reversi sunt, desideratis è suorum numero tribus millibus. Hac victoria erectiores Galli non leviter Anglis insultarunt, ignaviam, rei militaris imperitiam, aliaque fortissimo aliàs & pugnaci satis populo exprobrantes.

Insula Oleron. Vliarus insula, vulgo *Oleron*, insula omnium rerum feracissima & fertilissima est parens, Ambitus ejus septem miliaribus circumscribitur. Sub ditione est Pontianorum. Cumque Broagium sibi alendo minime sufficiat, ex hac annona & quæ ad victum necessaria sunt, eo comportantur. Plinius Vliarum vocat. Abest à Broagio secundo vento duabus horis aut circiter, castro natura loci egregiè munito, Canonicorum Collegio & Franciscanorum conspicua: parochiis sex, & opimo Benedictinorum cœnobio distincta est. Frumenti, vini, salisque in hac insula tanta copia est, ut nihil ad vitæ hujus usum desiderari possit, aditumque satis facilem habet. Hinc in Belgium & vicinas regiones magna salis vis navibus transportatur. Pagos habet S. Andreæ & S. Vrgentii, S. Petri, S. Georgii, S. Dionysii. *Vbertas.*



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [273] - -
PUBLIC DOMAIN

TERRITORIVM BURDEGALENSE, ET MEDOCUM.

VASCONES in Hiſpania Tarraconenſi locat Ptolomæus, in Gallia nullos agnoſcit, ſed eorum loco ſtatuit *Bituriges Vibiſcos*. At nunc Vaſcones in Gallia ſunt, retinentq; vetus nomen, qui *Baſques* dicuntur, vicini Cantabris. Hodie igitur Vaſconia omnis ad oceanum ſita eſt inter Bajonam & Burdigalam, ſuntque in ea Auſci, Taruſates, Lactorates, Bigorrones, Nitiobriges, quorum civitas Aginnum, Convenæ, Garotes & Eluſates. Ager magna ex parte fertilis, vini imprimis, ubi gleba cœlo clementiori reſpondet.

Agri bonitas.

Burdegalæ deſcriptio.

Urbs in ea præcipua *Burdegala*, hodie *Bordeaux*. Eam inter metropoles Romani Imperii numerat Teſtamentũ Caroli Magni. Sita eſt in Garumnæ ripa ad Pyrenæos pertinente, vel Occaſum ſpectante, adverſa ripa collibus ſurgit amœniſſimis, vario arborum genere conſitis, imprimis vite. In iis clivus eſt urbi ac Meridiei obverſus, pervetuſto cupreſſino luco, qui nunc vix ſeptem eſt jugerum, inſignis: olim major fuit. Cupreſſus arbor in Gallia ſatis rara, ideoque hoc ſuo cupreſſo gloriari ſolent Burdegalenſes. Quin jam inde antiquitus duravit hic mos ad noſtra uſque tempora, ut quicumque vinum Burdegala tranſportaturi ſunt, ſolvere ante non liceat, quam cupreſſinum ramum a Magiſtratu acceperint, pro quo pendit quælibet navis drachmam unam & drachmæ duas ſeptimas partes. Non longe a Garumnæ oſtiis abeſt, inquit Strabo, in quæ ipſe Auſonius Burdegalenſis, patriam ſuam docto carmine celebrans non obſcure indicat. De ejus climate & ſoli qualitate ita idem Poëta canit:

Burdigale eſt natale ſolum, clementia cæli
Mitis ubi, & riguæ larga indulgentia terræ,
Ver longum, brumæq; breves, juga frondea ſubſunt.

Idem quadratam primum fuiſſe ait:

Quadrua murorum ſpecies, ſic turribus altis
Ardua, ut aërias intrent faſtigia nubes.
Diſtinctas interne vias mirere, domorum
Diſpoſitum, & latas nomen ſervare plateas,
Tum reſpondentes directa in compita portas.

Pomœria urbis aliquoties producta ſunt, præcipue vero circa annum CIↃ CCC II. Eſt Burdigalæ inter alios vicus, non ignobilis, cui cognomen a *Lupis*, quorum in urbem incurſus incidit in annum IↃXXCII. Sunt hodie ibi duæ inſignes Eccleſiæ collegiatæ, quarũ una eſt metropolitana; duodecim parœciæ; octo cœnobia monachorum, unum ſacrarum virginum; & collegium Societatis Jeſu, quod inſtitutum anno CIↃ IↃLXXIII, cura & liberalitate Fr. Baulonii, Senatoris Burdigalenſis. Palatium Galieni quod vocant, a Galieno Auguſto nomen videtur habere. Triſtes ſunt & tenues nobilis quondam Amphitheatri reliquiæ: id circundabant, ut notat teſtis oculatus Vinetus, parietes ſex, eratque extimi, qui reliquos altitudine ſuperabat, & intimi omnium humillimi intervallum octoginta ſex pedum; quantum quidem ex ſemidirutis monumentis metiri conceſſum. Mediæ areæ longitudo, quam excipiebant utrimque portæ ſingulæ CCXXIV, latitudo CXL pedes patebat. Extra urbem ſemper fuit, diſtabatque a proximo mœniorum Burdegalæ Auſonianæ angulo paſſus minimum CCCC. Palatium quod Tutelæ appellabatur, & ipſum extra quadratam erat urbem, ſed propius Garumnam & juxta foſſam, qua latus urbis Septemtrionem ſpectans, muniebatur; tandem pomœrio ea parte prolato, in ipſa incluſum eſt urbe. Templum fuiſſe patens quidam ſuſpicantur, & ex ipſo nominis veſtigio Dei Tutelaris fanum. *Podium Paulini* vel *Puy Paulin* nomen habet a Pontio Paulino, Auſonii diſcipulo, ex illuſtri Paulinorum & Leontiorum familia, ad quem Sidonius carmen de Burgo ſcripſit. Navale in media quondam urbe fuiſſe canit Auſonius:

Templa.

Palatium Galieni.

Navale hic olim.

Per mediumq; urbis Fontoni fluminis alveum,
Quem pater Oceanus reſtuo cum impleverit æſtu:
Adlabi totum ſpectabis claſſibus æquor.

Sed ejus navalis nullum nunc exſtat veſtigium, niſi in oſtio Beugæ fluvioli, ad cujus utrumque latus duæ ſtant turres præaltæ, per quas olim catena, quæ adhuc viſitur, traducebatur, juxta portam urbis, quæ vocatur *du Caillau*. Hodie nullus portus Burdigalam ingreditur, cujus vice fungitur totus Garumna. De *Divona* autem fonte, qui exhauſtus hodie evanuit, idem canit:

Salve fons, ignote ortu, ſacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, ſonore, inlimis, opace:
Salve urbis genius, medico potabilis hauſtu
Divona, Celtarum lingua fons addite Divis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Namauſus
Purior, æquoreo non plenior amne Timavus.

Nulla in Gallia regio vinis magis abundat, eoque generoſis, vulgo *Vin de Grave* dicitur. *Grave*, *arenam* ſignificat & terram arenoſam. Solum autem ſuburbanum, in quo præſtantiſſimum illud vinũ naſcitur, dicitur *Grave*, quia totum arenoſum eſt. Sunt & alia vina, *le Lermont*, & *de la Baſtide*. Adluit Burdigalam *Garumna*, maris æſtum ſentiens plus L paſſuum millibus ſupra urbem. Minorum gentium fluvios *Peugam* & *Diviſam* prætereo. Rempublicã adminiſtrant cum Senatus ſui principe, qui *Major* dicitur, Magiſtratus qui *Jurati* vulgo vocantur: olim triceni numero & viceni quaterni, inde pro numero regionum urbis duodeni. Sedes eſt Parlamenti Regii, quod ibi anno M CCC LI haberi cœpit, Novembris XII, quo die juratum in leges more Senatus Pariſienſis, ſtatutumq; ut ab eo Parlamento provinciæ Burdigalenſis, Vaſatenſis, Agenuenſis, Condomienſis, Londarum, Armoniacenſis, Cadurcenſis, Lemovicenſis, Petrocorienſis, Angoliſmenſis, Santonenſis & Ruppellenſis jura peterent. Poſtea tamen provinciæ Armeniacenſis, Angoliſmenſis, Ruppellenſis, & maxima pars Cadurcenſis diſtractæ ſunt. Sedes olim quidem Epiſcopalis, hodie Archiepiſcopalis & metropolitana fulgens dignitate. Academia Burdegalenſis ad inſtar Toloſanæ erecta eſt, reſcripto Eugenii ſummi Pontificis, comprobata vero privilegiiſq; ornata variis a Ludovico Francorũ Rege anno M CCCC LXXII; Gymnaſium Aquitanicum κατ' ἐξοχὴν voca-

Fluvii.

Sedes Parlamenti.

Epiſcopalis olim, jam Archiepiſcopalis.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [275] -

Territorium Burdegalense, &c.

vocatur. Impetrarunt Burdegalenſes a Carolo IX jus nundinarum, quæ ad inſtar Lugdunenſium libere, menſibus Martio & Octobri per XV dies haberi ſolitæ. Res a Burdigalenſibus geſtas commemorare non Coſmographi eſt, ſed Hiſtoriographi. Hoc ſolum dicam: *Tetricum*, unum ex XXX tyrannis, ſub Galieno ex præſide provinciæ factum hic eſſe Imperatorem, purpuramq;, quod crimen erat læſæ Majeſtatis, ſumpſiſſe. Ferro ac igne a Vandalis, Gothis, Saracenis & Normannis ſæpe vaſtata, decorem illum & elegantiam, qualem illi attribuit Auſonius, amiſit. Anno M CCCC LXXXX ſocietas inita fuit inter *Burdigalam* & *Burgum*: ut *Burdigala* quaſi princeps præeſſet *Burgo*, cæteriſque provinciæ oppidis. Inde autem ſervatum fuiſſe, uſque ad extremum Anglici Imperii diem; ut, urgente bello, Major & Jurati Burdigalenſes ex civium numero aliquos ſeligerent, futuros urbibus caſtriſque provinciæ Burdigalenſis præfectos. Atq; hæc cauſa fuit, quod oppida *Blavia*, *Burgus*, *Liburnia*, *Fanum S. Æmiliani*, *Caſtellum*, *Cadillacum*, *Fanumque S. Macarii*, filiolæ dictæ fuerint civitatis Burdigalenſis.

Urbes ad provinciã Burdigalenſem pertinentes.

Blavia vulgo *Blave*, munitiſſimum eſt oppidum ad dextram Garumnæ ripam, XII leucis ab ejus oſtio, VII à Burdigala. Cuſtodes vigileſque habet perpetuos, qui nocte dieq; non modo locum illum cuſtodiant diligenter, verũ etiam, ex ea ſpecula, quid longe lateq; fiat Garumna, ſurſum deorſumque ſtudioſe obſervent, & ſi qua forte hoſtilis claſſis præterire conetur, prohibeant inde tormentis, quantum per fluminis liceat latitudinem, quæ illic duum millium & ducentorum eſt paſſuum.

Burgus olim Ebromagum videtur appellatum; quum enim in modum caſtrorum, horreis publicis & turribus poſtea eſſet amplificatum a Pontio Leontio Paulino, *Burgus* vocatum fuit. Ita enim eo tempore oportuna bello, & munita annonæ copia, caſtra vocabant.

Liburnia, *Libourne* vulgo, ad confluentes Duranii & Liliæ, frequenter Parlamenti Burdigalenſis ſedes fuiſſe legitur, graſſante in metropolitanos peſte: oppidum novum eſt, nam qui mentionem facit, non eſt antiquior Froſſardo. Sunt autem & in Seneſcallia Burdigalenſi territoria, quæ vulgo *Terra inter duo maria*, *Medocum*, *Buſium* & *Fronſaca*. Terra inter duo maria, vulgo *le Païs entre deux Mers*, pinguiſſimus eſt tractus inter Garumnã & Duranium, ingentes fluvios, qui propter magnitudinem vocantur *Maria* ab incolis. Huic adſcribi ſolent oppida, cum aliis Parlamento Burdigalenſi ſubjectis, *Fanum S. Macarii* & *Liburnia*.

Territoria Burdigalenſis Seneſcallie.

Medocum, Medulorũ domicilium, vulgo *le Païs de Medoc*, comprehendit quicquid agri inter Burdigalam eſt, Oceanum & Garumnam in eum influentem. Ager medulicus nihil fere eſt, quam arena, circa paludes valde depreſſus, aquarum inundationibus ſupra modum obnoxius, ut mirum non ſit littus medulicum indies atteri, & ab Oceano Medulos ſenſim ſepeliri & obrui. Medoco finitimũ eſt Buſchium, vernacule *le Païs de Buchs*, Principatus titulo clarum. *Fronſaca*, *le Païs de Fronſac*, Marchionatus dignitate celebris eſt. Nomen illi ab oppido caſtroq; Fronſiaco, quod Carolus Magnus exſtruxit, cũ Hunoldum Aquitaniæ Ducem bello petitũ profligaret.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [276] - -
PUBLIC DOMAIN

BENEARNIA.

PRINCIPATUS Galliæ, at Francorum poteſtate exempti, ſunt *Benearnenſis & Arauſionenſis. Benearnenſis*, vulgo *Bearn*, ſemper ſeparatus fuit a Francorum ditione, eodemque quo Regnum ipſum, habitus jure, id eſt, optimo, maximo, ſed accrevit quaſi Regno Franciæ, cum Chriſtianiſſimus Henricus Navarræ Rex regni Francię caperet ſceptrum, jure ſucceſſorio. De ejus etymo valde inepta adferuntur, quibus recenſendis ſuperſedeo. *Sita.* Sita eſt *Benearnia* ad radices Pyrenæorum montium, inter Bigerronum, Bajonenſiũ, aliorumque finitimorum populorum territoria & agros. *Partes.* In duas diviſa eſt partes, quarum una montibus obſita *Oloronum* habet oppidum; altera a vallibus locisque planioribus occupata, Laſcarienſem civitatem. *Qualitas regionis.* Regionis indoles mira eſt, cum in montibus, tum in planicie. Vix oppidum ibi, vix pagus, cui non aliquid ſingulare. Potior pars milio, lino, canabi (quibus rebus maximam incolæ exercent mercaturam) abundat. Frumento etiam hic ibi beata; paſcuis valde dives pecoreque, unde incredibilis butyri, caſeique copia. Capris ſupra modum ſcatet, quæ hic nullo labore nutriuntur in rupibus & ericetis, citra fructuum teneriorumque arborum perniciem & detrimentum. Nec vina deſunt: generoſum illud producit, quod vulgo *Iurançon*. Balnea habet paſſim, thermaſque omnium, quæ in Europa, præſtantiſſimas.

Incolæ elatos habent animos, ſtrenui ac fortes, armorum periti, candidi, procul ab omni fuco, affabiles & ad omnem humanitatem facti; cauti interim ſubtileſque lingua ſua diſerti, libertatis amantiſſimi magnis gaudent immunitatibus & privilegiis. *Populi mores.* Omnes nobilitatem affectant, qui reapſe nobiles, hoc potius agunt, ut bene fortiterque agant, quam ut ſplendide molliterque veſtiantur. Inter ipſos primum obtinent locum illuſtres familiæ, quas ex Cantabris ajunt ortas, *Grammontia & Luſſea*. *Baronatus.* Baronatus clarent dignitate *Mirens, Iadre, Monnens, S. Colombe, Eſgnalabagne, Coderch, Vavailes, Caſtelnau, Maſeres, Luz, Suz* & aliæ.

Principum Benearnienſium hæc ſeries traditur.

1 GASTO, Guiljelmi Moncadæ Hiſpani filius, Benearnienſium Princeps primus, uxore ducta Martha, filia & hærede unica Eſquibati Bigerronum Comitis; Bigerronum Comitatum ditionibus ſuis acquiſivit.

2 *Margareta*, Gaſtonis filia, nupta Rogerio Bernardo, Comiti Foxio, hæres patri ſucceſſit Princeps II, dominiaq; & domos Benearniæ, Bigorræ & Foxii conjunxit.

3 *Gaſto* II, Princeps Benearniæ III, Comes Foxii & Bigorræ, uxor Joanna Ludovici Franci, Eburovicenſis Comitis filia.

4 *Gaſto* III, Princeps Benearniæ IV, uxorem habuit Eleonoram Comingenam, Comitis Convenarum filiam.

5 *Gaſto* IV, Princeps Benearniæ V, laudatus plurimum a Froiſſardo; uxor illi Agnes, Caroli Navarræ Regis ſoror.

6 *Matthæus*, Vice-Comes Caſtelloboni, Gaſtonis quarti ſucceſſor, Princeps Benearniæ VI; uxor Joanna Aragonia *domus*.

7 *Iſabella*, deficientibus maſculis, fratri Matthæo ſucceſit, Princeps Benearniæ VII.

8 *Ioannes* Princeps Benearniæ VIII, Comes Foxii & Bigorræ, Moncadæ Dominus, duas habuit uxores, Mariam Navarreã improlem, alii Agnetem nominant; & Joannam Albretanam.

9 *Gaſto* VI, Princeps Benearniæ IX, Comes Foxii, &c. Uxor Eleonora, Joannis Navarræ Regis filia, quæ vidua poſt patris exceſſum rerum eſt potita.

10 *Gaſto* VI, Princeps Benearniæ X, obiit ante parentes; ideoque Regnum Navarræ non accepit. Uxor illi Magdalena, Caroli VII Galliarum Regis filia.

11 *Franciſcus Phœbus*, Rex Navarræ XXIV, aviæ Eleonoræ ſucceſſor, Princeps Benearniæ XI; obiit anno CIↃ CCCC XXCI improlis. Sepultus in Laſcarienſi oppido.

12 *Catharina*, Regina Navarræ XXV, Princeps Benearniæ XII, Comes Foxii, &c. nupſit Joanni Alani Magni filio, Dynaſtæ Albretano, eique regnum in dotem attulit. Is ſumptis contra Julium II, Pontificem Maximum armis, pro Ludovico XII Francorum Rege, ab eo proſcriptus univerſam pene Navarream ditionem amiſit, occupatam a Ferdinando Catholico Hiſpaniarum Rege.

13 *Henricus Albretanus*, Rex Navarræ XXVI, Princeps Benearniæ XIII, Comes Foxii, &c. Obiit anno CIↃ IↃ LV. Uxor Margareta Valeſia, Caroli Enclufiſmenſium Comitis filia, Franciſci I Regis Franciæ ſoror, Caroli Alençonii vidua.

14 *Ioanna Albretana*, Regina Navarræ XXVII, Princeps



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [276] -

BENEARNIA.

ceps Beneariæ XIV, Comes Foxii, &c. Desponsata Guiljelmo Cliviæ Duci, nupsit ex Pontificis Maximi dispensatione Antonio Borbonio, Vendomiæ Duci, qui socero successit in Regno. Obiit illa Parisiis anno CIↃ IↃ LXXII, sexto Id. Junii, ætatis XLII, diebus aliquot ante filii nuptias.

15 *Henricus Borbonius*, Galliarum Monarcha (successor Henrici III) Navarræ Rex XXVIII, Princeps Beneariæ XV, Comes Foxii, &c.

16 *Ludovicus* XIII Galliarum Rex, Navarræ XXIX, Beneariæ Princeps XVI, hodie regnat.

Metropolis. Metropolis porro Beneariæ est *Castrum palum*, quod vulgo *Pau*. Sedes hic Principum, fastuosumque ædificium ab Henrico Albretano Navarræ Rege, Christianissimi Regis Henrici IV avo materno, exstructum. Tribunal ibidem Benearniense ab eodem Henrico institutum, & Curia totius Principatus suprema, ubi controversiæ omnes secundum leges ac consuetudines Regionis dijudicantur. *Curia.*

Episcopatus. Sub eo Tribunali Episcopatus sunt duo; Auscorum metropoli suffraganei, *Lascarienſis* & *Oloronenſis*. *Lascarienſis* dictus ab oppido, quod indigenis *Lescar*, domicilium quondam Principum, qui postea *Castrum-Palum* ei prætulerunt. In Lascarienſi civitate sepultus est Franciscus Phœbus, Princeps Benearniæ XI, qui Eleonoræ aviæ in Regno Navarræ fuit successor. *Oloronenſis* appellatus ab eo quod vernacule *Oleron*, in fastigio montis positum. *Lescar.* *Oleron.*

Sunt & alia minorum gentium oppida; *Orthes*, ad flu- *Orthes o-*
vium *Gaven*, antiqua Comitum Foxii, Benearniæque *lim Be-*
Principum sedes. *Benearnum* olim dictum (unde Prin- *nearnum.*
cipatui nomen) notat ad Ausonium Josephus Scaliger lib. 2 cap. 7. Benearni mentio apud Gregorium Turonensem lib. 9: *De civitatibus*, inquit, *Burdegala, Lemovicia, Cadurco, Benearno & Bigarra, quas Gailesuindam, germanam Dominæ Brunihildis, tam in dote, quam in Morgonegiba, hoc est, matutinali dono, in Franciam venientem, certum est acquisivisse*, &c. Est & ibi *Morlaix*, Morlesium, in quo officina monetaria: & *Navarrins*, unde Navarræ nomen videtur natum, oppidū ad Pyrenæorum pedem, probe munitum, jussu mandatoque cum aliorum, tum Henrici I Navarræ Regis. *Serrance* in monte situm est, Galliæ vero versus Hispanias postremum. *Morlaix.* *Navarrins.* *Serrance.*

Contermina Beneariæ est *Bigornia*, sedes Bigerronum, quos Ausonius Bigeritanos vocat, sita est inter Benearnos & Convenas; regio aspera, ventosa, frigida. Primaria hic urbs est *Tarba*, sedes Episcopalis, ad flumen *Adurram*, magna satis, & extensis aliquoties limitibus amplificata: quatuor enim constat distinctis oppidulis. Cæterū urbes Bigerronum hodie sunt, *Trie*, *Ravastains*, quod nomen Germanicam originem sonat, *Maubouget* & *Baigneres*, ubi thermæ sulphureæ salutares, quarum fontes ad vicinos colles siti sunt.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [279] - -
PUBLIC DOMAIN

CADURCIUM,

Vulgo Le Pays de

QUERCI.

Parlamenta duo.

APUD ſiniſtram Ligeris ripam duo Parlamenta occurrunt videlicet *Burdigalenſe* & *Toloſanum*. Obediunt *Burdigalenſi* Lemovicum, Petrocorium, Guienna; *Toloſano* autem CADURCIUM, Rutenium & Languedokium. Cardurcium, vulgo *Le Pays de Querci*, vel ut aliis pronunciatur, *Crecy* cingunt Petrocorii, Nitiobriges, Ruteni, Arverni & Lemovices. Regio Aquitaniæ, licet innexa montibus, pulcritudine tamen, opulentia & fertilitate præſtat, nec ullius quod ad vitæ alimentum requiritur, indiget. Habitarunt hanc olim *Cadurci*: quos, præter Plinium lib. 14 cap. XIX (an & lib. XVIII cap. 12 nondum liquet) cum infinitis aliis Galliæ Populis celebrat Cæſar lib. VII de Bello Gallico, ubi etiam refert qua celeritate ac diligentia Vercingetorix *Senones*, *Pariſios*, *Pictones*, *Cadurcos*, *Turones*, *Aulercos*, *Lemovices*, *Andes*, reliquoſque omnes qui Oceanum attingunt, ſibi adſociaverit, omnium conſenſu ad eum delata imperii poteſtate. Facit ibidem mentionem Lucterii Cadurci, hominis ſummæ audaciæ, quem cum parte copiarum in Rhutenos miſit iſte Vercingetorix: cui & *Eleutheri*, ἐλεύθεροι, id eſt, *Liberi*, cognominantur. Sic enim vox illa accipienda: nec adſentiendum novos inde fabricantibus populos. Ita alii multi apud Plinium Populi vocantur *Liberi*. Duas habet Cadurcium Diœceſes, *Doveonam Cadurcorum*, & *Montelbanum*. Δοβώνα Ptolemæo nota; pro qua *Ducona* vitioſe Interpretibus, *Cahors* vulgo, ad Lothum fluvium, *Divona* dicitur quibuſdam doctis Viris. Certe, quocumque modo ſcribenda, *Cadurcorum* eſſe Metropolim cenſet Joſephus Scaliger ſuis ad Merulam literis, Vinetus ad Auſonium, & alii. Juſtus Lipſius in aureo de Amphitheatris libello, *Doveonam* arbitratur eſſe *Pagum*, qui vulgo *Dove*, plus minus diei mediæ itinere diſtantem ab Ligeri, parte ea, qua ab Andegavis in Pictones fit iter. Adſonat quidem Pagi nomen: ſed ſic *Doveona* non poſſet eſſe ex mente Ptolemæi *Cadurcorum* Metropolis, quæ ab eo loco 60 Leucis dirimitur. Aliud addo, cum *Doveona* Ptolemæi, ſiquidem vulgo *Cahors*, non poteſt idem eſſe, quod putant magni viri, *Annedonacum* Antonini, vel *Avedonacum* Tabulæ Peutingerianæ, in Itinere, quod Burdigala ducit Auguſtodunum. Inter enim *Aunedonacum* ibi & *Mediolanium Santonum* millia paſſuum ſcribuntur XVI: inter *Doveonam* autem & *Mediolanium*, id eſt, inter opida, quę vernacule *Cahors* & *Saintes*, 40 circiter ſunt Leucæ, quæ conſtituunt centum & quæ excurrunt, paſſuum millia. Accedit & illud, quod *Cadurcorum* Metropolis tanto intervallo vergat Ortum verſus, ut in iter illud Burdigala Auguſtodunum incidere non poſſit. Nos igitur cenſemus cum Merula, *Aunedonacum* eſſe opidum illud, quod vulgo *Aulnay*, Mediolanio Santonum diſtans verſus Septemtrionem paullo amplius ſex Leucis. *Cadurcorum* autem Metropolim deſignat Auſonius libro Profeſſorum, Carmine XVIII, de Exſuperio Toloſæ Rhetore:

Decedens placidos mores, tranquillaque Vitæ
Tempora prædives finiſti ſede Cadurca.

Sedes Seneſchallatus & Univerſitatis.

Eſt in hac Urbe ſedes Univerſitatis & Seneſchalliæ Templum Cathedrale S. Stephano ſacrum. Hujus loci Epiſcopi Comites ſunt adeo, ut illius Epiſcopus ſit Dominus ſpiritualis & ſecularis, habeat gladiam, chirothecas, aliaque id genus ornamenta ſuper altare, atq; ocreas in tibiis more Pontificali, ſpeciali privilegio. Papa Ioannes vigeſimus ſecundus hujus nominis hanc natalem terram habuit, qui per annos XIX & Menſes IV, Romæ ſedem tenuit. Clemens Marotus primis Gallicis Poëtis noviſſimi ſeculi accenſendus erat etiam Doveonenſis. Altera Diœceſis *Montalbanum* eſt, hodie *Montaulban*, *Mont S. Theodard de Montaulban*. Urbs ſita in edito colle exſtructaque loco declivi; arcem habens, ad Tarnim fluvium vulgo *Tarn*, ſtratum, hic Ponte cujus pars media Languedokiæ eſt ditionis. Prope pontem hujus urbis fornices ſunt ſubterranei. Templa ejus per bella vaſtata fuere. *Montalbanum* ut profugis reformatæ Religionis commune receptaculum fuit, ita præ cæteris Aquitaniæ opidis gravia mala primo civili bello ſenſit: ſiquidem ter XI Menſium ſpatio obſeſſum fuit, & quod atrociſſimum erat, non ſolum contra exterum hoſtem certavit, ſed intra mœnia ſeditione gravi laboravit. Tanto quoq; odio & pertinacia ab hoſtibus oppugnabatur, ut poſt pacem a Rege datam, ultra menſem arctiſſime obſederetur. Licet autem ab omnibus vicinis ſumma vi & contentione fuerit tentata; tamen omnem illorum impetum egregie ſuſtinuit, & inſidias & dolos feliciter evitavit, mirantibus cunctis, quod urbs non munita, & viris militaribus non admodum inſtructa, tantos acerrimorum hoſtium conatus eluſerit. Prima obſidio a Monluccio inſtituta fuit 23 Maji anno CIↃ IↃ IXIII, qui cum mille equitibus & peditum quinque millibus ad oppugnandam urbem acceſſit: ſed levibus quibuſdã certaminibus conſertis, frumentiſque vaſtatis, re infecta diſceſſit. Tantus enim pavor ex nulla apparente cauſa obſidentes invaſit, ut magna cum celeritate & perturbatione, ſoluta obſidione abierint. Talem exitum habuit prima illa obſidio, in qua ex obſidentibus ad ſexaginta deſiderati ſunt. Tribus exactis menſibus Monluccius rediit & adjuncto ſibi Buria ſecundam obſidionem inſtituit. Erant illis novem cataphractorum turmæ & voluntariorum nobilium magnus numerus, ſclopetariorum equitum & peditum novem vexilla. Hiſpanorum peditum cohortes tres, in quibus mille & ducenti milites erant: quinque muralia tormenta, tres majores colubrinas, & mediocres quinque trahebant. Primo appulſu conſertum leve prælium, in quo Monlucciani multos amiſerunt, ex opidanis ad XII deſiderati ſunt, quamplurimi utrimque vulnerati. Sequentibus duobus diebus levia certamina itidem facta ſunt, ex quibus omnibus obſidentes victi diſceſſere. Duraſſius interea cũ validis copiis Aurelias proficiſcens, illac iter habebat, qui caſtrorũ Magiſtrum ad Monluccium miſit & univerſi certaminis diem & locũ poſtulavit. Sed aliena tunc a dimicando mens Monluccio fuit, ut qui meliorem conferendæ pugnæ occaſionem expectabat, quam poſtea cum magna Duraſſianorum clade nactus eſt. Cum ibi fruſtra hæreret, urbe a tot copiis defenſa, obſidionem ſolvit, in qua ad ſexcentos milites amiſit, Opidani triginta. Tum Duraſſius inſtitutum iter perſequutus eſt, ſed ejus diſceſſu præſidium urbis valde imminutum cujus adventu urbs plus detrimenti, quam commodi recepit: nam duæ exteræ cohortes Duraſſium ſequebantur, ideoque cives omni prorſus auxilio deſtituebantur, nihilominus favore & auxilio hominum decreſcente, accrevit civibus animus; juramentum enim inter ſe præbuere, extrema quæque pro defenſione patriæ potius toleraturos, quam infenſiſſimis hoſtibus portas urbis

Montalbanum Albanum, nunc Montauban.

Prima obſidio.

Secunda obſidio.

Civium conſtantia.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [281] -

aperturos. Monluccius de munitionum defectu, deque propugnatorum paucitate per unum copiarum Ducem, cui *Fontgravie* nomen erat, certior factus propere accurrit, hostesque tertia noctis vigilia tribus in locis mœnia adgressi sunt, adpositis scalis & multo sclopetorum crepitu tumultum cientes. Interea dum ad eas partes muri cives eliciunt, valida militum manus egregie armata sine ullo strepitu ad munitionem *Iacobitarum* dictam accessit, stationem quæ ibi erat incautam se opprimere posse existimans, quod alibi cives in pugna occupati essent. Sed ab iis qui in specula erant, priusquam ad mœnia perveniret animadversa, qui statim ad arma clamarunt. Etsi se detectam videt, admovet tamen mœnibus scalas, & impulso a duodecim viris ariete egregie ferro armato hiatum in muro edidit, duoque vexilla in antemurali defixit, multo tympanorum & tubarum sonitu jubilans, & urbem captam sociis, qui sequebantur adclamans, sed ab opidanis tam egregie excepta fuit, ut amissis ducentis e suis receptui canere coacta sit, relictis cum ariete scalis, uno tantum e propugnatoribus occiso.

Tertia obsidionis expeditio.

Cum insidiis & dolis nihil proficerent, tertio urbem obsidere decrevere. Territa primus advenit viginti & una cohortibus secum adductis, duobus muralibus tormentis & septem colubrinis advectis: quibus prolatis, variis in locis mœnia diverberata sunt, sed irrito conatu, omnis sexus & ætatis hominibus alacriter ad reparandum quod collapsum erat, procurrentibus & materiam, fascem, simum & terram comportantibus. Quibus res tam prospere cessit, ut, cum supra quinq; ferrearum pilarum millia emissa ab hostibus, viri tantum quinque ab illis occisi fuerint. Obsidentes cum tormentis se nihil proficere vident & civium sedulitatem omnes ipsorum conatus eludere, oppugnationem in obsidionem vertunt turresque & propugnacula circum urbem erigunt, collocato in iis præsidio, ne quis ex urbe exire aut in eam intrare ad accersendum, aut intromittendum auxilium posset & tandem vel fame domiti vel diuturnę obsidionis tædio pressi, deditionem facere cogerentur. Interea per idoneos homines dedere operam, ut Præfectus urbis in suas partes traduceretur: qui se illis urbem traditurum promiserat, multis cum eo militibus & civibus consentientibus. His autem cum a majori parte civium contradiceretur, periculosa seditione in urbe laboratum est. Cum vero Præfectus sua consilia a plurimis improbari videret, urbe excedens palam ad hostes defecit: quos non multis interjectis diebus ad munitionem *Iacobitarum* nocte intempesta adduxit: eam facile oppugnari posse putans, quia eam paullo antequam urbem desereret, demolitus de industria fuerat. Sed tanta fuit Opidanorum in ea defendenda constantia, ut per duas integras horas hostium impetum sustinentes, eos cum multa cæde suorum repulerint. Circiter enim ducenti partim trucidati, partim vulnerati fuerunt, nullo ex civibus desiderato. Alia levia certamina quamplurima postea conserta sunt, e quibus obsessi semper superiores discessere. Huic obsidioni pacificatorium Edictum finem attulit, quod tamen civibus oblatum non fuit ante xv Aprilis, cum Aureliis & Parisiis xxvi Martii fuisset publicatum. Periere in omnibus hisce obsidionibus ex oppugnantibus ad duo millia, ex propugnatoribus lx tantum milites

Opida & Vrbes.

Reliqua Cadurcii Opida sunt *Castel-Sarrazin*, ad Tarnim flumen, cujus aqua rubei coloris, quia per terram argillosam meat: est & *Monbec* Patria M. Arnaldi Sorbini viri magni & concionatoris Regii: *Moissac* situm loco pulcro, amœno & delectabili prope montes, vinearum fertili. In hoc oppido multa commercia frumenti, vini, olei, croci, lanæ, salis, piscium aliarumque rerum pertractantur. Rex Clodoveus fundavit hic Templum SS. Petri & Pauli. Est & Monasterium S. Benedicti, in quo corpus S. Cypriani Episcopi Carthaginensis sepultum. Non procul Moissaco est *Lausette* in rupe situm, ubi pulcherrimæ atq; optimæ cellæ totius Guiennæ. Sunt & opida, quæ vulgo *Burelle, Nazareth, Sovillac, Gourdon, Martel.* Prope hoc opidum Martellum in finibus Cadurcorum fuit, *Vxellodunum* vulgo *Vſſoldun*, & *le Puech d'Vſoldun*, id est *Podium Vxelloduni*, de quo lib. 8. de bello Gallico sic inter alia notat Autor. *At Drapes unaque Lucterius, cum Legiones, Caninumque adesse cognoscerent, nec se sine certa pernicie, persequente exercitu, putarent provinciæ fines intrare posse; nec jam liberam vagandi, latrocinandique facultatem haberent, consistunt in agris Cadurcorum. Ibi cum Lucterius apud suos cives quondam, integris rebus, multum potuisset, semperque autor novorum consiliorum magnam apud Barbaros autoritatem haberet, oppidum Vxellodunum quod in Clientela fuerat ejus, natura loci egregie munitum occupat, suis & Drapetis copiis, oppidanosque sibi conjungit.* Dicit natura loci fuisse munitum & in editissimo & valde prærupto loco situm, ex quo horrendum est adspectu præcipitium. Urbem hanc Caninius & Fabius Cæsaris Legati cum obsedissent, neque ea potiri propter loci difficultatem possent, Cæsar ipse eo accedere fuit coactus: eamque cepit cuniculis actis ad caput fontis, quibus ad postremum venæ dicti fontis intercisæ sunt, atque aversæ: quo facto repente fons perennis exhaustus est atque exaruit. Itaque necessitate coacti se tradiderunt. Multæ sunt hoc loco reliquiæ Vetustatis venerandæ. Vix reperias Rusticum, qui de loco interrogatus non statim respondeat Castrum *Vxellodunum* illud ab Cæsare magnis operibus fuisse oppugnatum. Auctor, quem dixi, sic inter alia eodem libro: *Flumen infimam vallem dividebat, quæ pene totum montem cingebat, in quo positum erat præruptum undique Vxellodunum. Hoc avertere loci natura prohibebat. Sic enim imis radicibus Montis ferebatur, ut nullam in partem, depressis fossis, derivari posset. Flumen*, cujus nomen tacet Auctor, est quod vulgo *Dordonia*. Idem paullo post: *Sub ipsum Opidi murum magnus Fons prorumpebat, ab ea parte, quæ fere pedem trecentorum intervallo Fluminis circuitu vacabat. Hoc Fonte prohiberi posse Opidanos quum optarent reliqui, Cæsar unus videret; non sine magno periculo, e regione ejus, Vineas agere adversus Montem & Aggeres struere cœpit, magno cum labore, & continua dimicatione.* Fontem hunc, cujus usum Obsessis intercluisse scribuntur hic Romani, hodieque ostendunt Adcolæ. Si uspiam Scriptores hujus ævi in notandis veterum locorum appellationibus hariolati sunt, hic vero unus est locus; de quo melius fuisset illos tacuisse, quam multa conjectasse. Cadurcio versus Ortum adjacet *Rutenium, Rouargois*, vel *la Seneschaussée de Rouargue*, sedes olim Rutenorum; duas complectitur Dioceses, *Vabras* & Segodunum vulgo *Rodais*. Rutena apud Turonensem vocatur urbs, multa a Gothis, Francis & Saracenis passa.

Diœceſes Vabra & Segodunū.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [282] - -
PUBLIC DOMAIN

SARLATENSIS
DIOECESIS.

Le Dioceſe de SARLAT,
Contenu dans la Provence de PERIGORD.



Petrocorium.

Fines.

IN Univerſo Aquitaniæ Ducatu ſunt varii Ducatus & Dominia & Comitatus. Inter Comitatus eſt *Petrocorium* Perigort, cui corregionales ſunt qua Septentrio eſt Lemovicenſes, qua Occidens Sanctones, qua Meridies Vaſcones; qua Oriens Cadurces & Arverni. Regio petroſa eſt, montoſa, ſilvoſa, caſtanearum valde ferax, vinis beatiſsima, iiſque varii generis pro locorum genio & indole. Aër illi eſt ſaluberrimus & rarioribus morbis homines affligens. Herbarum mirabili luxuriat varietate, ut Botanicæ ſtudioſis ſit aptiſsima. Argenti fodinas habere dicitur. Fontibus gaudet limpidiſsimis, quorum non pauci medicam vim habent, propter venas ſulphureas, quas permeant; Cæſar incolas *Petrocorios* nominat, Plinius *Petrogores*, & Sidonius Lib. 7. Epiſt. 6. Petrogorios & in ſuo lib. 8. Epiſt. Veſunnaques à ſua Metropoli Veſunna, ſuntque alacres, ſani, longævi, ſobrii, affabiles, ad omnes honeſtas actiones, literas, arma, ſcientias mechanicas perquam idonei. Nobilitas antiquitate ſua ſuperbit, progenitores adſerens ſibi Francos, qui primi Gallias invaſerunt, Mulieres forma ſunt elegãti, non luxui deditę, modeſtę probæq; matres familias, deſidiæ ac otii hoſtes. Illuſtrant Regionem hanc inter alia Epiſcopatus duo, quorum unus ſedem habet in metropoli Petrocoriorum vulgo *Perigeux*, Ptolomæo lib. 2, cap. 7. Πετροκορίων Petrocoriorum; Antonino *Veſuna*; Tabulæ Itinerariæ *Veſonna*; Aimonio Petrogoricum. Autores & Latini ſcriptores hodie appellant *Perigordium* & *Periguria*. Inſcriptio quædam vetus adhuc extans inter alia ſic de Veſuna habet:

Nobilitatis antiquitas.

TUTELÆ AUG.
VESUNÆ
SECUNDUS
SOTTID. S. D.

Civitatis ſitus.

Civitas ſita eſt in planitie haud aſperis leviterque adſurgentibus circundata montibus, vini generoſi feraciſsimis.

Alter eſt, quem præſens tabula explicatius exhibet *Sarlatenſis*, cujus ſedes eſt *Sarlatum*. Pertinet autem Epiſcopatus hic ad Metropolim Burdigalenſem *Bordeaux*, uti & Xantonenſis *Saintonge* Petrocorienſis *Perigeux*, & Aginnenſis Agen. Fuit aliquando ſub Petrocorienſi cui detractus eſt hic Præſulatus. Ad ortum reſpicit Cadurcos & Diæceſin de Caors; ad Meridiem Diæceſin Aginnenſem; ad Occidentem Burdigalenſem tractum; ad Septentrionem Petrocorios. Perluit Diæceſin Dordonia ſive Duranius. Dordoniam vocat Gregorius Turonenſis; Duranium Auſonius & Sidonius Apolinaris in Brugo Leontii. Hodie la *Dordogne* & alibi *Dordonne*. Eſt ex præcipuis non ſolum Aquitaniæ, ſed etiam totius Galliæ fluminibus, Garumnæ nec æſtus, nec alvei magnitudine cedens. De Dordonia ſic Aimonius libro 1. cap. 5. Hiſtor. ſub finem: *Dordonia qui ex monte qui Dor dicitur, & eſt in finibus Arvernorum, duobus ſcaturiens fontibus, quorum uni nomen eſt Dor alteri Donia, qui haud procul monte ipſo conjunguntur, in Garumnam influit*: ad oppidum Burgum (hodie *Bourg*) quod Sidonius decantat, cui Duranius ibidem

— *Muſcoſus curvata ſabarra.*

Cum autem Garumnas ſcribatur Straboni tribus fluviis augeri, intelligendi ſunt *Tarnis*, *Oldus* & *Duranius*. Ingreditur Duranius Diœceſin Sarlatenſem ad pagos *le Felix* & *S. Nazari*, cis ultraque poſitos, quo fluviolum alium excipit, qui ab Occidente Diœceſin terminat. Pergit mox & prætergreſſus urbẽ *Bergeracum* excipit fluvium *la Couſe*, ubi à dextris oppidum *Couſe*, à ſiniſtris la Lindam aſpectat, magnòque ambitu inflexus in Septentrionem Limeulium adit, ac Veſerem fluvium accipit, ipſe ad Meridiem deflectens *S. Cyprien* à ſiniſtris relinquit; ab altero latere in Mediterraneis habens Belverum; inde auctus fluvio *Seu Dominam* prætерlabitur & Epiſcopatum terminat. Verum ſub finem, fluvium imbibit, qui à latere ejus ſiniſtro recta *Sarlatum* metropolim adit & ſecat, totique urbi aquas è Dordonia impertit. Situm eſt Sarlatum loco montoſo & collibus edito, cinctum pagis *Campignaco*, *Tempniaco*, Puymartino. S. Andreę, la *Caneda* & S. Vincentii. Situs ejus amœniſsimus, tum ob vicinos fluvios, tum ob montes ac aëris ſalubritatem.

Veſeris fluvius ditionem hanc ſubit, propè urbem *Terraſſon* à qua Montignacum petit, vinis celebre, donec propè Tayacum fluviolum exci-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 6111:2, [284] - -

piat *la Beune ruiſſeau* Gallis nuncupatum. A Meridie Dioeceſin ſubit Droca fluvius ad oppidum *la Salvetat*, poſt quod ſequitur *Aymetum*, *Caſtillones*, *Villa regalis*, *Montpazierium* ubi ejus fons eſt & principia. Droca fluvius.

Continet inſuper Epiſcopatus hic Villam Francam, vulgo *Ville Franche*, à qua non longè fons eſt, dictus incolis *la fontaine de trois Eveſques*. Ad fluvium Couſam eſt Bellemontium *Beaumont* nomine & re amœnitatem & pulchritudinem miram præ ſe ferens.

Cætera tota ditio, pagis, vicis, collibus jucundiſsimis nitet & Spectatores & hoſpites detinet.

De *Sarlato* hæc ſcribit Claudius Robertus Lingonenſis Presbyter in Gallia ſua Chriſtiana edita anno 1626. Sarlatum eſt ſub Archiopiſcopatu & Parlamento Burdegalenſi. Donata fuit urbs ſede Epiſcopali à Ioanne XXII. Anno 1317. avulſa à Petrocorienſi & ſeparata fluvio *Verela*. Ejus Eccleſia Cathedralis ex Abbatia Ordinis Benedictini S. Sacerdoti S. *Sadroc* Lemovicenſi Epiſcopo trigeſimo dicata eſt. Suntq; in ejus Diœceſi Abbatiæ Terraſſonenſis *Taraſſon* Abbatiæ. S. Amandi S. *Amand*, Caduvii *Cadovin*.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [285] - -
PUBLIC DOMAIN

DESCRIPTIO
LANGVEDOCIAE
Septentrionalis & Meridionalis,
VULGO
LANGVEDOC.

Origo vocis.

AD Narbonenſem Galliam, quæ & Braccata dicta fuit, teſte Plinio, pertinent *Languedocia*, *Provincia*, *Delphinatus* & *Sabaudia*. Languedocia, nomen quibusdam habere creditur, à Gothorum terra; hoc enim eſt *Lang-Goth*. Verum rectius illi ſtatuunt, qui à linguæ proprietate *Languedoc* dictam volunt: Cum enim Gallorum alii dicant, *Ouy*, hi *Oc* dicunt. Scaliger Galliæ idiotiſmum divisit in Francicum & Tectoſagicum, ſive Provincialem. Francici duas facit ſpecies, quæ vulgo *Langue d'Ouy & Langue d'Oc*: & ante ducentos annos regnum Franciæ in duo ſumma regimina dividebatur, in linguam *Ouy*, cujus caput Lutetia; & Linguam *Oc*, cujus caput alternis erat Toloſa & Mons Peſſulanus. Franci hoc regimen etiam vocabant *Cubernamentum linguæ tortæ*, ita nominantes linguam *Oc*, quam illi putabant eſſe diſtortam; ſuam verò rectam.

Limites.

Termini & fines univerſim tam Septentrionalis quàm Meridionalis Languedociæ ad Occidentem ſunt Vaſcones, interfluente Garumna; ad Caurum Cadurci; ad Septentrionem Arverni & Forenſes; ad Orientem Delphinates & Provinciales, ſic ut totus Rhodanus ſit Languedociæ ditionis, & ſub parlamento Toloſano. Meridionale denique latus partim pulſat mare Mediterraneum, quod Gallicum ibi audit, partim montes claudunt Pirenæi.

Regionis bonitas.

Regio eſt nobiliſſima, ſcriptoribusque Romanis cum primis celebrata; quæ cauſa, quod veteres ejus incolæ multo nominentur numeroſiores, quam reliquarum Galliæ partium.

Populi veteres.

Et antequam ad hujus Provinciæ perveniamus conſtitutionẽ, qua hodie circumſcribitur, præſtat prius ejus incolas examinare, olim eam incolentes. Fuere autem (uti plurimi arbitrantur) populi illi *Volcæ* & *Arecomici* & *Tectoſages*, *Septumani*, *Decumani*, *Atacini*, *Toloſates*, *Gabali*, *Albigenſes*, *Velauni*, *Conſaranni*, *Helvii*, *Nemauſenſes*, *Aletenſes*, *Beterienſes*, *Agathenſes*, *Lutevani*, *Magalonenſes*, *Sonſiates*.

Quod ad nomen Volcæ attinet, reperio illud variè conſcriptum, nam illos populos quos Cæſar, Livius, Plinius, Mela & alii *Volſſes*, Ptolemæus vero Οὐέλκας nominat; in quibuſdam Commentariis Cęſaris *Volgues* nominantur. Dionyſius Halycarnaſſæus eos Οὐλουκοὺς & Auſonius *Belſſes* in civitatis Toloſanæ deſcriptione vocat. Et quantum hoc concernit, conſtat inter elementa Græcorum γ & κ magnam pronunciationis interdum ſimilitudinem oriri. Auſonii de *Belſſes* opinio ſemper ab reliquis aliena fuit. Noviſſimæ editionis verſus ſic conſonant:

Uſque ad Tectoſagos primævo nomine Belcas.

Doctiſſimus Vir Elias Vinetus teſtatur ſe in exemplaribus quibuſdam ſic inveniſſe,

—— *Panaque nomine Belgas:*

Et iterum in nonnullis aliis tali modo,

—— *Paganaque nomine Belgas.*

Beatus Rhenanus lib. I. de rebus Allemannorum caſtigat hoc in hunc modum,

—— *Germanaque nomine Belgas.*

Siquidem libro 2. Ephemer. de bello Gallico legerat, multos Belgas à Germanis originem traxiſſe, quondam Rhenum transgreſſis, eaque loca ob bonitatem & amœnitatem occupaſſe, pulſis, qui antea hunc tractum alias incoluiſſent, Gallis. Præclarum in hoc Beati Rhenani judicium. Verum ad quid conjectura illa opus eſt de Tectoſagis finibuſque Galliæ Narbonenſis quam Auſonius addit? Joſephus Scaliger lib. 1. lect. Auſon. cap. 23. legit.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [267] - -

——— *Paganaque nomina Belcas.*

Vbi luculenter declarat & distinguit tam Pagana quam *Pages*. Sit ut sit, lectio extremæ editionis reliquis præponderat. Et fieri potest cum Antoninus natione Gallus scribat, illas gentes omnes communi nomine Velguorum, quorum hodie nullum restat amplius indicium, comprehendi; nisi sub isto vocabulo *Belcarie* (quos Ausonius *Belcas*, uti antea dictum est vocat) intelligantur isti, à ceteris *Volgues* dicti. Est autem hodie pars illa Galliæ Narbonensis sive Languedociæ (uti Vinetus indicat) cujus caput est civitas *Nismes*. Attamen non adeo absonum est Ausonium Teutosagos nominare eos, quos alii Tectosages. Quippe dicit in suo carmine,

——— *Primævo nomine Belcas:*

Putans eos Belcas sive Volgos quorum supra meminimus. nam duplices erant *Volci* scilicet Arecomici & Tectosagi, Cæsari & Plinio Arecomici; quorum nomen apud Ptolemæum est ἀρεκόμοι & Strabonem libro 4 ἀρεκομικοὶ & sæpius ἀρεκομισκοὶ quos scribit magnam regionem possidere. Hi olim erant, teste Scaligero in epistola quadam, horum locorum incolæ, ubi jam *Nismes* conspicitur; item *Useti*, *Magalauni*, *Bezerri* & Nemausorum oppida; Et ubi Episcopatus *Nismes*, *Mompelier*, *Bezier* & *Usets* locantur. Quos Plinius Tectosages lib. 4 nominat & Pomponius Mela libro 2. uti & Strabo Τεκτόσαγες: similiter à prædicto Plinio lib. 3. Livio lib. 38. Trogo Pompejo & Iustino lib. 32. sic dicuntur. Majores Trogi Pompeji nati erant ex hac regione quod ipse lib. 43 testatur incolisque *Volcæ* Tectoses nomen dat in tabula sua itineraria, ubi pro *Volcæ* Tectoses, *Volcæ* Tectosages legendum est. De his Tectosagibus jam pridem Ausoniũ audivimus. Τεκτόσαγαι apud Stephanum: & Ἀλράπαι, Ἀσφαπαι cui adjungit: Τεκτόσαγες ἐθνος Γαλατικόν. ἔρεται τεκτοσάγης ἐνθάδε καὶ τεκτοσάγας.

Archiepiscopales urbes. Vrbes habet præclarissimas, quarum quædam Archiepiscopales, quædam Episcopales, quædam minorum gentium. Archiepiscopales sunt Tolosa & Narbona. *Tolosa* non solum Archiepiscopatui, verum etiam amplissimo totius Languedocii parlamento, supremæque Curiæ domicilium præbet, ac inter tres ingentes Seneschallias Languedocii principem locum tenet, vulgo *Tolouse*. De hac ita Ausonius:

Tolosa.

Non unquam altricem nostri reticebo Tolosam,
Cottilibus muris quam circuit ambitus ingens,
Perque latus pulcro prælabitur amne Carumna;
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ningida Pyrenes & pinea Cæbennorum
Inter Aquitanas gentes, & nomen Iberum.
Quæ modo, quadruplices ex se quum effuderit urbes
Non ulla exhaustæ sensit stipendia plebis,
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

Atque hic Poetæ ingens ambitus, nunc quoque magnus est; paucas namque habet Gallia urbes Tolosa majores, quæ forte non nisi uni Lutetiæ cedat. Fuit aliquando multo quam nunc est amplior, opulentiorque, uti patet, cum ex his Ausonii versibus, tum ex epistola ad Paullinum quæ ordine XXIII, ubi eam *quintuplicem* appellat, quasi ex quinque urbibus conflatam. Multa gravia ac acerba tulit ea tempestate, qua Albigensium glisscere cœperunt dogmata. Templum, quod D. Virgini, cognomine *dela d'Aurade*, aliudque quod D. Quintino sacrum, habet: illud Iovi, hoc Apollini sacrum fuisse memorant cives. Est & *Platea Portaria* dicta, eo quod Iuppiter ibi cultus *arietinus*, vel quod figura ibi esset signi Zodiaci *Arietis*, quasi *porta arietis*. De nonnullis ibi veteris Amphitheatri vestigiis magis constat: Capitolii itidem, apud locum, qui inquisitio nuncupatur; arx enim ibi rotundioris structuræ. Sedes olim fuit regum Gothorum, ex fœdere, quod inter Constantium Patritium & Walliam Gothorum regem pactum. Celebrem habet Academiam, olim omnium artium & disciplinarum, hodie autem cumprimis Iurisprudentiæ studio florentem. De *Auro Tolosano* natoque inde proverbio, in eum cui fata res secundas esse nolunt, cuique malum malo congeritur & exaggeratur, legendi A. Gellius lib. 1 Noct. Attic. Strabo lib. 4 & alii. Tolosæ proxima dignitate est *Narbona*, à qua tota provincia Narbonensis nomen accepit, prima omnium Europæ Colonia Romana, quam Cicero speculam ac propugnaculum Italiæ vocat, Plinius Coloniam Decumanorum. Dicta eadem *Narbo Martius*, unde, incertum. Quidam à Marcio consule volunt ita appellatam, cujus consulatu colonia facta est. Alii à veteranis *Martiæ* Legionis militibus. Vocata quoque fuit *Iulia Paterna*: *Iulia* quidem à C. Cæsaris Dictatoris nomine; *Paterna* vero, quod Iulii patris, id est, Dictatoris, non Iulii filii, id est Octaviani Augusti, auspiciis est deducta. Celebrat quoque eam Ausonius in urbium suarum capitibus, ubi inſit:

Amphitheatrum Capitolium.

Academia.

Narbona.

Quis memoret portusque tuos, montesque lacusque?
Quis populos vario discrimine vestis & oris:
Quodque tibi quondam Pario de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar.
Te maris Eoi merces & Hiberica ditant

Æquora,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [288] - -
PUBLIC DOMAIN

Æquora, te classes Lybici Siculique profundi:
Et quicquid vario per flumina, per freta, cursu
Advehitur: toto tibi navigat orbe καλὰπλους.

Elegans quoque de ea carmen posteris reliquit Sidonius Apollinaris, quod publico loco scribi curavit S.P.Q. Narbonensis, ut qualis quantaque quondam urbs fuerit Narbo, quilibet cognosceret. Illud tale est:

Salve Narbo potens salubritate
Urbe & rure simul bonus videri,
Muris, civibus, ambitu, Tabernis,
Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, Capitoliis, monetis,
Thermis, arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto,
Unus qui venerare jure Divos
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam;
Spicis, palmite, pascuis, tapetis,
Solis fise viris. nec expetito
Naturæ auxilio, procul relictis
Promens montibus altius cacumen.
Non te fossa patens, nec Hispadarum
Objectu sudium coronat agger.
Qui quod Cæsaribus ferax creandis,
Felix prole virum simul dedisti,
Natos cum genitore principantes.

Lacus appellatione Ausonius intelligit Rubresium, hodie *l'Estang de la Rubine*. Per flumen intelligit Sidonius Atacem, ad cujus ostia jacet. *Atax è Pyrenæo* (inquit Vibius) *circa Narbonam decurrit in Tyrrhenum.*

Episcopales urbes. Inter Episcopales urbes, quædam metropoles sunt, & quasi capita nobilissimorum quorundam hujus provinciæ pagorum. Sic appello suburbicarios agros, fusioresque quorundam oppidorum jurisdictiones; quales sunt *Caballi, Albigenses, Velauni, Consaranni* & *Albenses*. Gabalorum metropolis *Mimates* vicus, vulgo *Mende de Civauldan*. Albigensium, Albinga, *Alby* vernacule. Velaunorum *Velai* caput. Consarannorum Coserans, civitas *S. Legier de Coserans*, oppidum antiquitate non incelebre. Albensium *Vivarais*, olim Alba Helviorum. Reliquæ urbes, quæ metropoles non vocantur, sunt hæ: *Nismes* Nemausus, miram undique præ se ferens, tum muris, tum in aliis, antiquitatem. Amphitheatrũ Campus Martius fuisse perhibetur, qui, ut Romanus, ædificiis jam oppletus & in alios tractus est usus. Ædificium quod vulgo *le capdueil*, capitolium vel basilica fuisse fertur, ab Imperatore Adriano exstructum, in gratiam & honorem conjugis Plotinæ. Forma est ἑτερομήκης quadrata quidem, sed quæ in longitudinem nonnihil vergit. Latera x columnis fulciuntur, frons sex, pars fronti adversa totidem. Tectum est ex magnis compositum lapidibus, deambulationibus accommodatum, templum fronti propinquum, integrum adhuc est, forma quadrata. Duos habent latera Columnarũ ordines, artis absolutę. Visuntur adhuc ibi aquilę, Romani quondam Imperii notæ & insignia, sed quæ capitibus truncatæ. id factum volunt à Gothis, ut Romanum imperium corpus esse capite minutum ostenderent. Ad mœnia veteris oppidi antiqua est structura in colle, qui fonti vicinus, vulgo *Touremagne* vocatur, id est, ut quidam putant *turris Romana* vel *turris Magna*, lapidibus constat exiguis, iisque quadratis. Videre ibidem est & perantiquas aliquot statuas & nonnulla melioris notæ variorum epitaphia: columnam item ad portam, cui à Corona nomen. Imperatorum Domitiani & Antonini Pii Philosophi aliorumque claret natalibus. Qui vulgo *Fons* incolis appellatur, de eo dubitatur: an fons sit Ausonio celebratus, an alius, qui ex proximis collibus in urbem ducebatur, jam vero perierit? Tribus Nemauso miliaribus pons est, qui vulgo *du Card*. Triplici serie fornicatus stupenda sane industria, quarum prima hominibus jumentisque præbet transitum; altera aquæductum sustinet. Inter Fanum S. Privati & Rimolinum vestigia monstrantur aquæductus quo Romani aquam in Nemausum deducebant.

Est & post Nemausum, Vcetensium civitas sive, *Utica Ucetz: Lodeut Leva: S. Pont de Tomieres, Alet* & *Montpelier*, *Monspessulanus*, urbs sita in colliculo, decem à mari Mediterraneo leucis, aëre fruens placidissimo & saluberrimo. Vrbe hac nihil amœnius, civibus nihil humanius, territorio nihil fertilius, simpliciumque feracius, quæres Medicos præcipue invitavit, ut sedem ibi figerent, atque Medicinam cum laude docerent. Academiam enim urbs habet, quæ instituta memoratur circa annum CIↃ CXCVI, vel saltem quo tempore, Saracenis Hispania pulsis, medicina cum discipulis Arabum, Avicennæ, Averrois & aliorum huc migravit. Rectoris ibi tanta est authoritas, ut studiosi, quacunque etiam de causa egredientem comitari honoris gratia cogantur; quod se, non sine maximo studiorum suorum, multarumque horarum jactura, nimis frequenter fecisse conqueritur *Rebuffus*. Collegia hic sunt varia, inter quæ amplissimum est Papæ, ab Vrbano Pontifice fundatum. Est & hic *Besiers*, Biteræ Septimanorum, *Adge* quondam *Agata, Castres, Pamies, Mirepois* & alia.

Mons pessulanus.

Reliquæ urbes.

Minorum gentium oppida sunt: *Beaucaire*, *Aigues-mortes*, Aquæ mortuæ, *Piseaux*, *S. Gillis*, *Chasteau-garry*, *Lusignen*, *Montaignas*, *Millant* & alia. Languedociæ ante non multos annos accessit Duca-

Oppida minora.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [289] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [290] - -

Ducatus Foxensis.

tus Foxensis, *le duché de Foix*, quum antea Guiennæ concenseretur. Ad Orientem illi Languedocium; ad Occidentem Convenarum ager; qua Septentrio est Territorium spectat Ripense, vulgo *de la Riviere*; Meridionale latus montes claudunt Pyrenæi, qui Ducatum hunc reddunt quidem horridiorem, ferri tamen carbonumque feraciorem. Nomen illi ab oppido *Fuxio*, quod Antiquitatis laude clarum. Continet unum Episcopatum *Apamiensem*, oppidum vulgo *Pamies*, Latine scribentibus *Apamia* & *Panna*, ad confluentes amnium qui vulgo *Lers* & *Lagiere*. Ab hoc oppido dici videtur *Epaunense Concilium*, habitum sub Gelasio I Papa, & Sigismundo Rege. Episcopi enim qui illic interfuerunt, omnes hujus sunt tractus. *Empanensis* etiam Synodus XV citatur in Decretorum 1 distinct 16, *Eupanense* Decret. 11. Caussa 2, fortean ab hoc eodem oppido. Sunt & alia oppida *Saverdunum* & *Naseræ*, Comitum domicilia. *Concilia.*

DELPHINATVS.

Termini. DELPHINATVS ad Meridiem conterminus est Provinciæ; ad Septentrionem Bressiæ, interfluente Rhodano; ad Occasum est Venissę Comitatus; ad Ortum Pedemontium cum Sabaudia. Paret Parlamento Gratianopolitano.

Qualitas regionis. Nomen illi volunt a Castello Delphini, quod vernacule *Chasteau-Dolphin*. Regio est non ejusdem ubique indolis ac genii, ferax plerisque locis variarum rerum, nonnullis etiam sterilior, præcipue qua vestita montibus, qui crebri hic suis distincti cognominibus. Incolæ magni sunt suæ libertatis assertores & æstimatores. Eam Deo suoque sanguini acceptam ferunt: militia contra hostem feroces: domi peragundis inter se negotiis satis industrii, a vicinis astu facile superantur. Agricolæ bardi sunt, stupidi, crassæque naris. Nobiles, quique urbes habitant, humani admodum, a fastu omni alieni & arrogantia, moribus, mixta tamen gravitate, amænis, alacris ingenii, scientiarum omnium, maxime vero Matheseos, mirum quam capaces, studiosissimi naturalium rerum indagatores. Floruerunt hic olim præter *Allobroges, Viennenses, Caturiges, Ebrodunenses, Segalauni, Valentini, Vocontii Deenses, Gratianopolitani, Tricastini, Wapincenses, Brannovii*. Viennensium civitas nominatur in Notitia Provinciarum Galliæ, hodie *l'Archevesche de Vienne*. Caturiges Plinio Cæsarique dicuntur. Eorum nomen manere putatur hodie in oppido, quod ad Druentiam *Charges* audit haud procul Ebroduno, quod Caturigum metropolis viris doctis censetur. Segalauni Ptolomæo, hodie *Pays de Valentinois*. Valentia enim apud Ptolomæum Segalaunorum est metropolis. Valentinorum Civitas est *l'Evesche de Valence*. Vocontii, hodie *le pays de Die jusques a Vason*. Civitas Deensium in Notitia Provinciarum *l'Evesche de Die*. Civitas Gratianopolitanorum ibidem, *l'Evesche de Grainople*. Tricastinorum civitas *l'Evesche de S. Antoni de Tricastin*. Habet & eadem Notitia in Viennensi III Civitatem Wapincensium, *l'Evesche de Gap, le pays de Gapençois*. Nescio an huc etiam referendi Brannovii: adsonat urbs, quæ vulgo *Brianson*.

Veteres populi.

Urbes. Urbes præcipuæ in ea septem sunt, quarum duæ Archiepiscopales, *Vienna* & *Ebrodunum*: quinque Episcopales, reliquæ minorum gentium. *Vienna* Allobrogum metropolis Straboni ad decimum sextum lapidem Lugduno abesse dicitur, in ludo mortis Claudii Imperatoris, cujus autor Seneca. Sita est ad Rhodanum.

Vienna.

— o *Alpinam* (dixit Ausonius) *quaque potentes*
Æduos Alpino, quaque Vienna jugo.

& apud eundem

— o *Alpinis opulenta Vienna Colonis.*

Non Archiepiscopatus solum honorata titulo; verum etiam in Ducatus hodie dignitatem evecta, *Duché de Viennois*. Episcopus primus perhibetur fuisse *Crescens* D. Pauli discipulus. Ejusdem urbis Antistes fuisse scribitur *Mamercus*, qui cladem urbi imminentem deprecatus legitur, indictis, quas & ad posteros transmisit, supplicationibus. Viros tulit claros, inter quos Ado viennensis, historiæ & martyrologii auctor. Exornavit quoque eam Claudius Mamercus, cujus de statu animæ extant libri eruditi. Ferturque etiam hic epulasse Pilatus. Certe turris ostenditur & ab ejus nomine & obscura species. De vetere inter Lugdunenses, Viennensesque ob Principatum discordia mutuoque odio legendus Cornelius Tacitus lib. 1. historiarum. Memorat Suetonius, Vitellio Imperatori, Viennæ pro tribunali jura reddenti, gallinaceum supra humerum, ac deinde in capite adstitisse nec fefellisse conjecturam eorum, qui augurio non aliud portendi prædixerant, quam venturum in Gallicani hominis potestatem; siquidem ab Antonio primo, adversarum partium Duce oppressus cui Tolosæ nato cognomen in pueritia *Beco* fuerat, id valet *Gallinacei rostrum*. Vienna calamitatem magnam passa est a Rhodani exundantis impetu anno 1543. In gratiam porro *Turonii vini* generosissimi non absre videtur addendum, quod Plinius de eo jam olim prodidit. *Iam inventa*, inquit, *vitis, per se in vino picem respiens, Viennensem agrum nobilitans, Arverno, Sequanorumq; & Helvetico generibus non pridem illustrata.*

Ebrodunum vernacule *Ambrun* montibus cingitur, qui vini fructuum simpliciumque innumerorum feraces. Antistes hic olim Guilielmus Ebrodunensis Archiepiscopus, qui sextum Decretalium jussu Bonifacii octavi collegit. Suis parere præsulibus eosque Principes se dicere legitur. Multis magnisque donata est a Regibus Franciæ privilegiis, inter quæ absoluta justitiæ administratio, jus cudendæ monetæ, aliaque id genus regalia. Metropolis est pagi, qui vulgo *Ambrunois*. *Ebrodunum*

Episcopales urbes sunt quinque, *Valentia, Dia, Gratianopolis, Augusta, Vapingum*. *Valentia* vulgo *Valence* nomen habet non a Valente aut Valentiniano Imperatore, sed a virtute militum. Sede Episcopali & Curia & Academia celebris, utpote in quo docuit Superioris seculi decus Iacobus Cuiacius. Ducatus titulo gaudet. Metropolis territorii, quod indigenis *Valentinois*, *Duché de Valentinois*. Audiens semper Romanorum imperio, circa annum 415 occupata legitur a Gothis, inde a Burgundionibus, passa etiam obsidionem anno 576 a Langbardis, frustra. Visuntur ibi singularia quædam. In monasterio Iacobitarum effigies Gigantis Buardi 15 cubitos proceri ejusq; ossa. Extra urbem in ædis D. Petri ruderibus, antrum subRhodani fluenta productum. Alia prætereo. De invento extra portam Divi Felicis in vineis corpore Iustinæ, cum quibusdam ornamentis, alii legendi. *Dia* Vicontiorum *Die vulgo*, metropolis agri, qui vernacule *Pays de Diois*. *Gratianopolis* olim *Cularo* vocabatur. A Curalone porro Cularonenses muri in antiquis inscriptionibus, quarum una quidem in urbis porta visitur, quæ ad Meridiem pertinet, *Romana* dicta; altera vero in porta, qua Viennam itur, quæque ad Septentriones vergit. Post ampliata, fortean ab Imperatore Gratiano, Gratianopolis fuit appellata. Eo nomine nota Augustino lib. 21. de Civ. Dei cap. 7. Sidonio Apollinari lib. 3. epist. 16. Gregorio Turonensi lib. 4. cap. 44. vulgo *Grainoble*. Sedes amplissimi Senatus Delphinatensis, Isaræ adsita ad pedem montis qui vulgo *Chalemont*. Qua fuerit olim forma, monstrant antiqui muri & portæ. Mœnia a Francisco 1 Galliarum Rege cœpta, quum absoluta fuissent, urbem fere fecissent quadrangularem. Ad Septentrionem inter ipsam urbem est elegans suburbium, cui a D. Laurentio cognomen, fluit Isara ponte stratus omnium pulcherrimo. Ad Meridiem prælabitur *Dratus* torrens valde vehemens, agros non raro limosis deformans inundationibus, nulloque volens valensque aggere coërceri. Territorium vel potius ager suburbicarius vocatur *Graisivouldan* a vulgo Delphinatium, & a quibusdam contracte *Givauldan*. Haud procul urbe, qua Septentrio est, fodinæ sunt, ex quibus lapides in civitatis usum eruuntur. Primo ab urbe lapide vicus est qui vulgo *Pariset*, ubi turris visitur, quæ incolis *la Tour S. Venin*. Appellationis causa hæc est, quod quale quale animal in eam illatum e vestigio enecetur. Ab nemine interim mortalium habitatur. *Dia.* *Gratianopolis.*

Augusta Tricastinorum, hodie uti censet Vir Nobilissimus Iosephus Scaliger, *S. Antoine de Tricastin*. Vapingum, *Gap* hodie, caput est agri, qui vernacule *Gapençois* montibus obsiti. Ipsum oppidum, ut hodie, sic & olim celebre ad pedem est situm montis excelsi, qui accolis *le Col S. Digo*, sedes Baillivatus. Præter pagos illos suburbicarios, quos jam nominavi, *Viennois, Ambrunois, Valentinois, Diois, Graisivuldan & Gapençois* sunt & alii quidam, qui vernacule, *les pays du Trevez, des Baronnies &* *Augusta.* *Vapingū.*



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [293] - -

DELPHINATVS.

Braiçonnois. Haud procul Brigantio rupes eſt in formam portæ pertuſa, cui inſculpta leguntur. *D. Cæſari Auguſto dedicata, ſalutate eam*, que certe antiquitatem non ſapiunt. Factam perhibent a C. Iulio Cæſare, ut ea in Gallias penetraret. Comitatus titulo nobilia ſunt *Chamſunt* & *Roſſillon.*

Minorũ gentium oppida.

Alia multa habet Delphinatus minorum gentium oppida, quæ cum Superioribus, Francorũ Geographi trium faciunt generum. Fluviis adſident quædam. Rhodano *Montimarium* & *Thinium*, quorum hoc proceribus paret Turnonenſibus. Iſaræ vero adjacent Monmelianum & Romanum arcipotentia. Hoc etiam dives admodum inſignem habens pontem Romanos, uti multi cenſent, ſua nomenclatura conditores deſignans, vel eos ſaltem, qui Romani nominis ſtudioſi ſic dixiſſe volunt. In montanis ſunt, *Talart* olim *Alamontis*; *Charges* Caturigum ſedes; *Chaſteau-roux*, ubi laminarum fons, quæ ſcandulæ ſolent dici, *S. Criſpin*, Roma forte. Montana item ſunt *Vayne, Serre, le Bayx, S. Euphemie, Vauxerre, Corp, la Meutre, Men, Viſible*: magna hic marmoris & alabaſtritæ copia. *Ours, Eſſilles*, Delphinatus clavis, quibuſdam *Ocelum* Cæſaris. *Chaſteau Dolfin*, unde nomen putant impoſitum regioni: *S. Clement*, pagus interiori montis receſſui, quod mirandum, inædificatus. In Planioribus porro locis ſunt, *Quirien, Cremieu, la Vorpiliere, Bourgoing la Tour du Pin, le Pont Beauvoiſin*, cujus pars media Sabaudiæ eſt; *la Coſte S. André, S. Donat, Matellan, Ville-neuve, S. Marcellin, Tulins, Lamben, Modian, Moretel, S. Vallier, Beau-repaire, Beeu-pays, Muraz, Neiron, Len, Ten, Chaſteau d'Imble, Aleſan, Montelier, Beaumont, Lauriol, Cret, Salliens*, locus monaulis lituiſque nobilitatus, *Verane, S. Paul, Avallon.*

Inter poſtremos Delphinatium Princĩpes legitur *Guido*, qui bellum cum Sabaudo gerens acie periit. Meminerunt plene Francici poſterioris ævi ſcriptores, inter quos nonnulli incredibile quid de Guidone narrant. Imperoli ſucceſſit frater Humbertus, qui circa annum 1340 dolore ardens amiſſi filii, quem unicum habebat, nolenſque ut nobiliſſima provincia poſt obitum ipſius hereditaria diviſione in partes diſcerperetur, Cœnobio Dominicanorum ſe ſacraturus, Principatum Ioanni Francorum Regi addixit, ea lege, ut ſemper primogenitus Franciæ Delphinus vocaretur. Quod factum: & ſic primus Delphinus fuit Carolus ejuſdem Ioannis filius. Humbertus ſane Monachum egit Pariſiis in Iacobitarum Cœnobio, ubi ejus ſepulchrum viſitur cum hoc elegio: *Cy giſt le Pere & tres-illuſtre Seigneur Humbert jadis Dauphin de Viennois: puis laiſſant ſa Principauté fut faict frere de noſtre Ordre & Prieur de ce Convent de Paris, & en fin Patriarche d'Alexandrie perpetuel adminiſtrateur de l'Archeveſché de Rheims, & principal bien facteur de ce noſtre Convent. Il mourut l'an de grace, mil trois cent cinquante cinq.*

Cur primogenitus regni Frãcici Delphinus vocetur.



PRINCIPATVS ARAUSIONENSIS, vulgo ORANGE.

REGIONES ac Provinciæ, quæ hoc noſtro ævo in Galliarum delineatione a Coſmographis explicari ſolent, aliæ Francorum ſunt Regis vel Regi ſubjectæ, quæ ſecundum octo Parlamenta dividi ſolent: aliæ a Francorum ditione & juriſdictione ſeparatæ & aliis Dominis parentes. Atq; hi quidem vel Eccleſiaſtici ſunt vel Politici. Eccleſiaſtico Domino, hoc eſt, Pontifici Romano, paret *Comitatus Avenionenſis*. Politicis Dominis, titulo Ducatus *Sabaudia* & *Lotharingia:* titulo Principatus *Beneharnia* & *Arauſio:* titulo Comitatus *Burgundia* & *Caroleſium.*

Situs. Situs eſt Principatus Arauſionenſis in Narbonenſi Provincia, ſive Gallia Narbonenſi; parte illa Galliæ, quæ interno mari alluitur, Braccata olim dicta, amne Varo Alpiumq; jugis ab Italia diſcreta. Nomen habet *Nomen.* a Metropoli *Arauſione*, vulgo *la Principauté d' Orange.* Innexus cinctuſq; undiq; jacet Avenionenſi Comitatu, uti ex tabula patet, fluente ad ejus Occidentaliora Rhodano latera: forma fere ſemilunari, exſurgentibus hinc *Terra bonitas.* inde verſus Septemtrionem cornibus. Terra variarum rerum ferax, fluminibus irrigatur *Meine, Lopeſe, Egues,* quæ ſe in Rhodanum exonerant.

Ambitus regionis univerſæ non ita magnus, nec ultra mill. Gall. xxv. Habitarunt hic olim *Cavares* populi & *Arauſici*, quorum civitas, id eſt, ager vel pagus, nominatur in Notitia Provinciarum ſub Viennenſi prima *l'Eveſche d'Aurange.* Urbs Straboni, Ptolomæo & Sidonio celebrata fuit, nec non etiam memorata Plinio & Pomponio Melæ. Francis dicitur *Aurange* vel *Orange*, indigenis *Aurage*; vulgo Latinorum inepte *Auraſio* & *Auriaca:* doctioribus *Arauſio Cavarum.* Pomponius Mela *Coloniam Secundanorum* nominat. Sic in antiquo lapide legitur COL. AURASIO SECUNDANORUM COH. XXXII. VOLUNT. Claret Civitas Epiſcopatu & Academia, quamvis non admodũ nobili. Plurima illic conſpiciuntur antiquitatum veſtigia, cum aliarum, tũ theatri & arcus triumphalis in porta, per quam in Lugdunenſium agros patet iter. Arcui equeſtres pugnæ ſpectantur inſculptæ, quæ ſpectatorem mirum in modum reficiunt & longius detinent. Auctor ejus C. Marius perhibetur. Sunt & in eodem Principatu minoris momenti oppida: *Martignan, Cadarouſſe, Courtezon, Cauſans, Ionquieres, S. André de Ramiers, Brabajon* & alia. *Derbous* extra formam ſemilunarem, ſuo circulo & anguſto territorio incluſa jacet.

Metropolim Arauſionem hodie munit arx validiſſima in monte poſita, variis propugnaculis ad formam Belgicarum arcium, ſub MAURITIO Principe Auriaco aucta roborataq;, ut jam armis invicta credi poſſet. At maxime eam celebrem reddidere Concilia ibi- *Concilia hic celebrata.* dem habita, à loco dicta Arauſicana. Primum ſub Leone Papa celebrata eſt Synodus Arauſicana, ad diſciplinam Eccleſiaſticam inſtaurandam anno 441, cui cum aliis interfuit Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis. Anno vero 462 ſub Hilario Papa habitum fuit Concilium Arauſicanum contra reliquias Pelagianorum, in quo more Majorum ex præſcriptis capitulis à Sede Apoſtolica tranſmiſſis, de gratia & libero arbitrio decreverunt. Rurſum anno 562, jubente Felice Papa Conciliũ Arauſicanum celebratum eſt, ex quo S. Cæſarius Arelatenſis cum epiſtolam dogmaticam de gratia & libero arbitrio ſcripſiſſet, eandem Felix Papa per epiſtolam ſuam roboravit, & in latius propagavit.

Hodie Principem habet FREDERICUM HENRICUM, Hollandiæ, Zelandiæ, Ultrajecti, &c. Gubernatorem, maximis victoriis clarum, filium GUILIELMI NASSOVII, ex matre LOYSA, *Caſparis Colignii*, Galliæ Admiralii filia.

COMITATVS AVENIONENSIS, ſive Veniſſæ.

Termini. AVENIONENSIS Comitatus, qui & Veniſſæ, vulgo *le Comtat de Venaiſſin*, Pontificis Romani Imperio ſubditus eſt; cui ad Occidentem, interpoſito Rhodano, adjacẽt Languekodii; ad Meridiem, interfluente Druentia, Provinciales; ad Ortum iidem; ad Septemtrionem deniq; Delphinates. Varios variis ſeculis Dominos habuit; etiam, amiſſa libertate, Romanos, ut reliqua Narbonenſis Gallia, cujus hic Comitatus pars erat. Romanis pulſis ſucceſſerunt Gothi: his profligatis, Burgundiones, quibus in fines ſuos repulſis, Franci. Rex Francorum Carolus Calvus eum dedit Boſoni, qui ſe Regem Arelatenſem dixit. At Regno Arelatenſi potitus Imperator Otho, Comitatum etiam hunc occupavit; quæ cauſa, quod adhuc ibidem loca non

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [295] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [296] - -

Comitatus Avenionenſis.

pauca Cameræ Imperialis juriſdictionē agnoſcant. Pervenit deinde in poteſtatem Comitum Provinciæ: Caroļus ſiquidem Ludovici IX frater, ducta in uxorem Beatrice, Raimundi Provinciæ Comitis filia, Comitatum eſt conſequutus. Idem poſtea Regnū Neapolitanum & Siciliæ ſubegit: in quibus, ut & in Provinciæ Comitatu, ipſius ſucceſſerunt poſteri, inter quos fuit Ioanna, I Caroli Calabriæ Ducis filia, quæ nobiliſſimum Comitatum dedit Pontifici Clementi VI, ad compenſationem tributi, Romanæ Sedi per multos annos non ſoluti, nomine Regni Neapolitani, cujus Beneficiarium Dominum ſe dicit Pontifex Maximus, a quo *Terra Papæ* nominatur.

Flumina. Irrigatur a Rhodano, Druentia & Sorga fluvio, Petrarchæ decantatiſſimo. Habitaruut hic olim *Cavares, Memini & Vocontii*, etiam *Allobroges*. Diœceſes hic Comitatus quatuor habet, unum Archiepiſcopatum Avenionenſem: tres Epiſcopatus, Carpentoractenſem, Caballionenſem & Vaſionenſem, ſubjectos Archiepiſcopo Avenionenſi.

Metropolis Avenio. Metropolis eſt Avenio *Avignon*. Sita eſt in ſiniſtra Rhodani ripa, arcemq; habet. Agri gaudet bonitate, pannorum byſſiq; tinctura; papyraceis item molis nomen merita. Pontem hic Rhodanus, qui cum fluvio totus eſt Regis Franciæ, non Papæ, præter modicam particulam, portæ urbis propiorem. Hanc urbem ſeptenarius numerus omnium perfectiſſimus reddit laudabilem. Septies enim ibi occurrunt urbis opera magnifica, & illa ſingula ſeptenario numero repetita. I Septem Palatia; II ſeptem Parochiæ; III ſeptem Xenodochia; IV ſeptem Monaſteria fœminarum; V ſeptem Collegia; VI ſeptem Conventus; VII ſeptem Portæ. Cathedralis Eccleſia D. Virgini eſt ſacra. Carthuſianorum ibi eſt cœnobium, quo nullum in Galliis celebrius. Academia claret, quæ florentiſſima fuit cum Romani Pontifices ibi morarentur. Hanc valde illuſtravit fama nominis ſui Paulus Caſtrenſis, editis ad Jus civile commentariis, quæ prælectiones Avenionicæ dicuntur. Docuit ibidem Andræas Alciatus. Inter Palatia eſt, cui nomen *Bruſle*, a Pontificis facto celebri. Sedes fuit Pontificum per annos LX integros, Joanne XXII Curiam Romanam eo transferente. Urbes præterea hic ſunt Carpentoracte, hodie *Carpentras*; Cabalio vel Cabellio, hodie *Cavaillon de Contat*; Vaſio, hodie *Veyzon*. Meminit ejus inſcriptio, quæ Romæ in æde D. Prudentiæ: C. ACILIO C. F. MARTIALI VASIONE VETER. EX COH. XII PR. MILITAVIT ANNIS XVIII. VIXIT ANNIS LV. M. L. Q. DOMITIUS ADJUTOR HERES. CONSORTI SUO BENE MER. FECIT ET SIBI. Alia minorum gentium oppida prætereo. Fuit olim haud procul Avenione ad confluentem cum Rhodano *Sorgam*, urbs potens, quæ Vindelium Floro: ejus loco volunt eſſe hodie *Portum Trallię, La Traille*. Nautæ Rhodanici Trallam vocant Tranſennam, quæ in utramq; fluminis ripam extenditur, qua Pontonibus trajicitur Rhodanus, eamq; poſitam eſſe propter fluvii rapiditatem, ne ab ejus impetu pontones, vel potius trajectoria navigia abriperentur. Inter Avenionem & Aquas Sextias *Vallis Clauſa* eſt, vulgo *Vaucluſe*: quo conferre ſe ſolitus ſcribitur Franciſcus Petrarcha, Philoſophicis meditationibus operam daturus. Vallis eſt amœniſſima, rupibus, unde fontes limpidiſſimi manant, cincta. In urbem Avenionem ita cecinit Julius Scaliger:

Vivendi ratio cum libertate recepta
Efficiunt, ut ſis altera Roma tibi.
Templa, forum, celſo ſubducta palatia cœlo:
Magna hæc. Te plus eſt, dicere poſſe tuum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [297] - -
PUBLIC DOMAIN

PROVINCIA
LA
PROVENCE.



Cæli temperies, Soli fertilitas.

PROVINCIA agro eſt fœcundiſſimo, ſegetem, ficus, myrtos, caſtaneas, mala cotonea, granata, crocum, dactylos profert, & vinum præſtantiſſimum; eſt enim totus Narbonenſis ager, pars totius Franciæ præſtantiſſima, de qua ſic teſtatur Plinius lib. 3. cap. 4. *Agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum, nulli provinciarum poſtferenda, breviterque Italia verius quam Provincia.* Nomen habet ex eo quod à Romanis in provincię formam, multis ante Chriſtum annis redacta fuerit, ideoque ſecundum excellentiam illud nomen retinet ut inter omnes Romani imperii Provincias credatur excelluiſſe. Conjacet *Provinciæ* ad Septemtrionem Delphinatus, montium interpoſitu Velæorum, qui vulgò *Velaye*, intercurſuque magnam partem Druentii fluminis; Orientale ejus latus claudunt & Alpes, & Varus fluvius, cujus ſiniſtræ ripæ adſidet, Nicæa, Italiæ hic principium, qua Meridies eſt, ab Gallico pulſatur mari; Occidentalis illi limes partim Arauſiorum principatus & Avenionenſis vel Veniſſæ comitatus, hujus quondam partes, Francorumque ditionis, nunc autem aliorum principum; partim Rodanus integer, Lugduno Arelatem uſque, ad Languedokii parlamenti juriſdictionem ſpectans. De antiquiſſimis porro *Provinciæ comitibus* pauca inveniuntur. Tempore Ludovici VIII, Francorum regis, legimus in vetuſtiſſimis Annalibus fuiſſe *Raimundum Berengarium Provinciæ comitem*, ejuſque filiam unicam & hæredem *Beatricem*, uxorem fuiſſe ductam ab *Carolo* Andium & Cenomanorum comite, ejuſdem Ludovici regis filio, qui hoc matrimonio *Provinciæ comitatum* eſt adeptus. Succeſſit huic *Carolus Claudus* cognomine, princeps Salernitanus & Rex Neapolis. Hunc ſequutus eſt filius *Robertus*, Dux Calabriæ & Rex Neapolitanus. Robertum Avum excepit *Ioanna* (cujus pater Carolus, Calabriæ Dux, jam vitam cum morte commutarat) teſtamento cum regina Neapolis, tum *Provinciæ Comes* facta. Hæc *Ludovicum Andegavenſem*, Ioannis Francorum regis filium, quem explendo in adverſarios odio adoptarat, ſucceſſorem & in aliis principatibus & in eodem comitatu reliquit. Poſt Ludovicum comes factus eſt filius ejus *Ludovicus* II, quem ſequutus *Ludovicus* III filius, quum etiam ab Ioanna II Neapolis Regina in regem Siciliæ, Calabriæque ducem eſſet adoptatus, inprolis ſucceſſorem habuit in ſuis principatibus, ex conſenſu ejuſdem Ioannæ II, *Renatum Andegavenſem*, fratrem. Hic quum regni Neapolitani *Provinciaque comitatus* jura reſignare nollet Renato Lotharingiæ duci, ex filia Iolanta Nepoti, ea tranſcripſiſſe memoratur in *Carolum* fratrem, Cenomanorum Comitem: qui Filio Carolo orbatus *Ludovicum* XI Francorum regem, omnium bonorum hæredem inſtituiſſe ſcribitur. Alii ſuprema id *Renati* voluntate factum volunt, non abſque graviſſima juſtiſſimaque Renati Lotharingici expoſtulatione. Habitarunt hic olim *Salyi*, *Aquenſes*, *Arelatenſes*, *Sextani*, *Sentii*, *Ebroduntii*, *Dinienſes*, *Veſdiantii*, *Sanicienſes*, *Nerucii*, *Vencienſes*, *Vulgientes*, *Aptenſes*, *Reienſes*, *Octavani*, *Commoni*, *Foro-Iulienſes*, *Segeſtorii*, *Albici*, *Oxubii*, *Deciates*, & alii. Sunt autem in Provincia ſub Parlamento Aquenſi, præter multa minorum gentium oppida, urbes Archiepiſcopatus dignitate nobiles duæ, undecim Epiſcopatus titulo inſignes. Archiepiſcopales ſunt *Aquæ ſextiæ* & *Arelate*. *Aquæ ſextiæ*, *Colonia*, Latinis Paterculo, Solino aliiſq; dicuntur; Plinius nominat *Coloniam Iuliam Auguſtam Aquas Sextias*. Monimentũ quod in agro Arelatenſi hodie reperiri notat ad Auſonium lib. I. cap. XXX. vir nobiliſſimus Ioſephus Scaliger. *Colonia* itẽ *Iulia Aquæ Sextiæ Legio* XXV vocatur in antiqua inſcriptione. Nummoque Veſpaſiani, Huberto Goltzio. *Aquæ* quidem, quod *Aquarum* ibi *Caldarum* Balnea; unde & hodie *Aix*: *Sextiæ* ab C. Sextio Calvino Cos: anno ab V. C. Iↄ CXXX. Hic enim victa Salyorum gente, *Coloniam Aquas Sextias* condidit, eo conſilio, ut Romanum illic collocaret præſidium, quo Barbaros ex iis reprimeret littoribus, quæ ex Maſſilia ducunt in Italiam, quum Maſſilienſibus illis coercendis non ſuppeterent vires. Legendus Liv. lib. LXI ab V. C. *Iulia Auguſta* verò ab C. *Iulio Cæſare Auguſto*, qui eam colonis auxit, deductis eo legionis XXV. veteranis. Parlamenti Provincialis ſedes, quod inde *Aquenſe*. Partim ad *Aquas Sextias*, partim in Italia, in campo Raudino vicit Cimbros Teutoneſque Germaniæ populos, quique ipſis ſe junxerant, Tigurinos Ambroneſque Gallicas nationes C. Marius, nota Hiſtoria. *Arelas* ſimpliciter Oroſio & Auſonio lib. de urbibus in Epigraphe & ipſo carmine VII; *Arelatus*, eidem Auſonio in eodem carmine & aliis; *Arelate* Cæſari Plin. Sueto. in Tib. principis vita, Melæ & aliis: Ἀρελάτη, deniq; Strab. quæ Ἀρελάτων *Salyorum Colonia*, Ptol. & *Arelate Sextanorum* Plin. *Salyorum* quidem, ab antiquiſſimis Galliæ populis; *Sextanorum* ab legione VI; cui hic ſua fuerunt ſtativa. Hodie *Arles*, plurali voce *Thelinen* olim nuncupatam ab Græcis eam incolentibus, memoriæ prodit Feſtus Avienus hiſce verſibus:

Arelatus; illic civitas attollitur,
Theline vocata ſub priore ſeculo,
Grajo incolente.

Siou. Regio unde dicta.

Mamiliaria cognominatur, quam ob cauſſam neſcitur, in inſcriptione pulcherrima, quæ ibidem in columna legitur, teſte Scaligero. *Conſtantina* ut diceretur ibique ſeptem provinciarum, Viennenſis, utriuſque Narbonenſis, utriuſque Aquitaniæ, Novem populaniæ & Alpium maritimarum, Conventus ageretur, ſanxit Fl. Conſtantinus Imperator. *Gallulam Romam* vocat Auſonius carmine, cujus memini, quòd eſſet celeberrimum & oportuniſſimũ Emporium quodq; Romanorum Colonia deducta Romam Genitricem ſuam in multis æmularetur & exprimere conaretur, indeque parva quædam videretur Roma. Vrbs ad Rodanum ſita: Ad ſiniſtram ripam Auſonius *Arelatum* Rodani fluentis interſcindi, notat: Vnde & *duplex* eidem lib. de Vrb. in extremo Moſella & Epiſtola XXXIII ad Paullinum, quod videlicet in duas partes, ab Rodano ſecaretur. Sic enim canit:

Vrbes.

Pande duplex Arelate tuos blanda hoſpita portus,
Gallula Roma, Arelas; quam Narbo Martius, & quam
Accolit alpinis opulenta Vienna colonis.
Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis,
Vt mediam facias navali ponte plateam,
Per quem Romani commercia ſuſcipis orbis,
Nec cohibes: populoſque alios & mœnia ditas:
Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania lato.

Hodie, mutata ibi rerum facie, ſimplex eſt, tota in ripa Rodani, quæ Italiam reſpicit, poſita; ſepta undique paludibus in quibus præferoces aluntur boves. Putatur hinc major fuiſſe, creduntque magni viri partem urbis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [298] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [299] - -

olim florentiſſimæ alteram ab Gothis exciſam. Audiendus hic Fl. Conſtantinus Imp. ad Agricolam præfectum prætorio Galliarum: *Tanta eſt loci oportunitas, tanta eſt copia commerciorum, tanta illic frequentia commeatuum, ut quicquid uſquam naſcitur illic commodius diſtrahatur. Neque enim ulla provincia fructus ſui facultate lætatur, ut non niſi hæc propria Arelatenſis ſoli credatur eſſe fœcunditas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Aſſyrius, quod Africa fertilis, quod ſpecioſa Hiſpania, quod fœcunda Gallia poteſt habere præclarum, ita illi exhibetur affatim quaſi ipſi naſcantur omnia, quæ ubique conſtat eſſe magnifica. Iam vero de curſu Rhodani & Turoni recurſu, neceſſe eſt ut vicinum faciant & pene conterminum; vel quod iſte præterfluit, vel ille quod circuit. Quum ergo huic ſerviat civitati, quicquid habet terra præcipuum ad hanc vel navi vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quicquid ſingulis naſcitur &c.* Cæſar bello contra Maſſilienſes ſuum ibi habuiſſe legitur Navale. Amphiteatrum Arelate eſſe ajunt, ſed parum integrum, vulgò *les Arenes*. in Collegio quod in urbis eſt ſummitate duæ viſuntur columnæ, quas Herculis eſſe perſuaſum habet vulgus; ſed Romanorum procul dubio ſunt. Emporium autem fuiſſe ſatis conſtat ex Auſonio. Grata olim Regibus Burgundiorum ſedes fuiſſe legitur. Poſtea Comitum provincialium fuit domicilium. Primus ibi Epiſcopum egiſſe ſcribitur *D. Trophimus*, Pauli Apoſtoli Diſcipulus, anno imperii Neronis ſecundo in Gallias ab eo deſtinatus; ex cujus fontibus, ut Zoſimus Pontifex M. ſcribit, univerſa Gallia fidei rivulos accepit. *Arce* potens hodie, *Honorato Hilarioque*, præſulibus quondam ſuis, eſt clara. Et hæc de Archiepiſcopalibus *Provinciæ* civitatibus: Epiſcopales ſunt undecim, inter quas, quod abſque aliarum fiat præjudicio, primas dabo *Maſſiliæ, Marſeille* vulgò, Phocæenſium Græcorum in Aſia minore eſt Colonia unde Phocais dicta Lucano in libris de bello Pharſalico:

Phocais in dubiis auſa eſt ſervare Iuventus
Non Græca levitate fidem.

De Situ ſic Cæſar lib. II. Bell. Civil. *Maſſilia fere ex tribus oppidi partibus mari alluitur: reliqua quarta eſt, quæ aditum habet à terra: hujus quoque ſpatii pars ea quæ ad arcem pertinet, loci natura & valle altiſſima munita longam & difficilem habet expugnationem.* Rempublicam porro Maſſilienſium tantopere laudat M. Tullius, ut audiente Populo Romano dicere auderet in defenſione Fontei, *Civitatis illius diſciplinam atque gravitatem non ſolum Græciæ, ſed pene cunctis gentibus anteponendam.* Epiſcopos ſuos numerant ab *D. Lazaro*, quem Chriſtus ab morte ſuſcitavit. Eum bonis ſedibuſque exutum, læviente perſequutione, quæ Stephanum abſtulerat, cum ſororibus Maria Magdalena & Martha in has oras veniſſe, Chriſtique fidem nunciaſſe, narrant Maſſilienſes. Quin & caput ejus monſtrant in primario templo: quod incolis *La Majeur*, ad urbis mœnia verſus mare. Reliquæ urbes Epiſcopales ſunt *Dine, Dinia; Graſſe, Graſſenſe oppidū; Glandeve*, *Glannate* viris doctis Latinè ſcribentibus, *Glannatena Civitas*, Notitiæ provinciarum Galliæ in Viennenſi IV; In aliis libris eſt *Glanatica*, in quibuſdam *Glamnatena*. *Senas* Veſdantiorum oppidum in Alpibus maritimis, *Ries*, *Reius*, Notitiæ provinciarum Galliæ, *Civitas Rejenſium*, id eſt *Reins*. *Feriuls, Forum Iulii* Planco ad Ciceronem Φόρῳ Ἰελίῳ Commonorum urbs Ptol. COL. IVL. OCTAV. in Auguſti Nummo apud Goltzium: *Forum Iulium Octavanorum Colonia quæ Pacenſis appellatur & Claſſica*, Plin. Hodie portus eſt marinus. *Ciſteron, Seguſtero* apud Antoninum & in Itineraria Tabula: *Ceſtero*: inquit ſuis ad Merulam litteris Ioſephus Scaliger, Plin. apud quem tamen excuſum eſt *Ceſſero*. *Telon, Telonum* doctis Latine ſcribentibus, *Telo Martius*, Antonino, oppidum in interiore maris receſſu, novem leucis Maſſilia: ſunt alia non minoris nominis & antiquitatis oppida: *Antibe*, *Antipolis* Deciatorum oppidum Ptol. *Oppidum Latinum, Antipolis*, Plin. Tacitus *Antipolim Narbonenſis Galliæ municipium* appellat: *Coloniam* Nummus Titi Imperatoris *Olbia* Ptol. Melæque nota, *Teres* vel *Hieres* hodie cenſetur ad mare, tribus fere leucis Tolone. Contra oppidum jacent nobiliſſimæ inſulæ, quæ Ptol. Στοιχάδες Λιγυςίδες Steph. Hodie, oppido cognomines, *Les Iſles* dicuntur de *Teres* vel *Hieres*. Coralium ibi colligitur optimum, & quo non aliud præſtantius in mari Liguſtico. *S. Maximin*, *Tecolata* videtur Antonino in Itinerario, ſex grandioribus leucis Maſſilia, verſus Boream. *Taraſcon*, Ταρασκῶν Strab: Ταρασκών Ptol. ad ſiniſteriorem Rodani ripam: cui in dexteriore oppoſita viſitur *Bello quadra*, vulgò *Beaucaire*, fluvio tantum intercurrente: unde uſitatum illud Gallis: *Entre Beaucoire & Taraſcon, Ne repaiſt Brebis ne Oyſon, Non plus qu'entre Tain & Tournon.* Nam & hæc apud Valentinos utrimque ad Rodanum. Comitatus dignitate fulgent oppida, *Sault*, *S. Gillis*, & alia. *Glanum* Plin. & aliis, Γλανὸν Ptol. in Salvis, Itinerariæ Tabulæ *Clanum*. Et *Ernaginum* quod Ἐρνάγινον Ptol. *Ernagina* Itinerarię Tabulæ: Οὔργενον Straboni eſſe videtur: apud quem in M. S. codicibus Οὔγαρνον legi notat Caſaubonus: *Vgernum* nominat Gregorius Turonenſis. Præter *Maſſiliam, Telonum, Olbium, Forum Iulium* & *Antipolin*, alia quoq; ab veteribus oppida nominantur Provinciæ hujus, mari adpoſita, quę prolixitatis evitandæ gratia omittimus. Habet Provincia ad Meridiem mare Gallicum; portumque celeberrimū ac tutiſſimum *Maſſilienſem*, qui catenis ferreis clauditur. De *portu* iſto Dionyſius: *Portus.*

Ἔνθα τε ῥοῆα
Μασσιλίη τετάνυσται, ἐπηρεφὲς ὅρμον ἔχουσα.

Nomen *portui* fuit, ut Euſtathius notat Λακύδων. Hinc apud Melam ex veteribus libris legendum: *Et Lacydum Maſſilienſium portus, & in eo ipſa Maſſilia.* Hujus autem urbis *ſexcenti* erant ſenatores, quos πιμέρχας vocabant, quique totam vitam iſthoc honore potiebantur: ex eo numero *quindecim* viri quotidianis litibus dirimendis legebantur. Atque hi nimirum ſunt *ſexcenti Maſſilienſium*, & *quindecim-primi*, quos libro belli civilis I. appellat Cæſar. *Sexcentorum* etiam meminit Valerius maximus lib. II. cap. VI. Ex *Quindecim-Viris* autem *Tres Viros* aptabāt, in quibus auctoritas eſſet ſumma. Τιμιέρχῳ nemo creabatur, qui liberos non haberet, quive à tertia uſque progenie ac ſtirpe civis non eſſet. *Maſſilienſium* igitur Reſpublica ἀριστοκρατικῶς adminiſtrabatur. Ariſtoteles Ὀλιγαρχίαν uſos teſtatur. *Oligarchicum* ſanè fuit: Genere, ut audivimus, non virtute, Reip. Principes fieri. Eorum leges Ionici genii. Ἰωνικοὶ inquit, Strab. publicè ſunt propoſitæ. Inſtituta Reip. *Maſſilienſium* paucis recenſet Juſtinus lib. XLIII. Conſueviſſe ſcilicet, ab condita fere urbe, *feſtis diebus portas claudere, vigilias agere, ſtationem in muris obſervare, peregrinos recognoſcere, curas habere: ac, veluti bellum habeant, ſic urbem pacis temporibus cuſtodire: adeò illic bene inſtituta non temporum neceſſitate, ſed rectè faciendi conſuetudine ſervari.* Alia de manumiſſionibus, ſpectaculis, validis mendicantibus, ſupplicüs, funeribus, ſepulchris, & hoſpitiorum jure, leguntur apud Valerium, capite, quod indicavi. Mercatus hic olim fuit, bonarum artium & diſciplinarum celeberrimus. Eo, tanquam ad alteras Athenas, Romani, Galli, Hiſpani, omneſque, quibus licebat, Philoſophię Græcæque linguæ gratiâ ſe conferebant. Teſtatur Tacitus in vita Agricolæ ſoceri, eum parvulum ſedem ac magiſtram ſtudiorum habuiſſe Maſſiliam. Hæc *Eumenidis*, qui tam accurate quæſivit de Nilo: Hæc *Pythia*, quem tam ſtudioſe inſectatur Strab. Hæc aliorum, quorum ſcripta interciderunt, fuit patria. Hic veriſimile eſt Philoſophiam didiciſſe Favorinū Arelatenſem. Hæc Gallos omnes ita φιλέλληνας reddebat, ut cōtractus omnes Græco idiomate conficerent, & in omnibus publicis privatiſq; rationibus Græcis litteris uterentur. Conſonabant etiam optimis inſtitutis ſanctiſſimi publicè privatimq; mores. Maſſiliam Tacitus ait, locum Græca comitate & Provinciali parſimonia miſtum & bene compoſitum. Sed iſti morum integritati multū ademit unum, quo ſe infamare ſoliti Maſſilienſes, vitium. Notum eſt proverbium, Πλεύσεις ἀς Μασσαλίαν, *Maſſiliam naviges*. Credebantur enim γυναικοπαθεῖν. Vrbs hæc jam ſuorum incolarum induſtria per Aſiam, Africam, aliaſque remotiſſimas regiones longè latèque negotiatur.

Schola.

Ingenio & bonarum litterarum ſtudiis celebres viri.

Mores. Mercimonia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [300] - -
PUBLIC DOMAIN

SABAVDIA
DVCATVS.

Sabaudia SABAUDIAE unde nomen impositum, varii varie quærunt. Quidam à *Sabatiis Vadis* dirivant. *Sabatium Vadum* Plinio Ligiuriæ urbs, quæ *Sabbatia* Pomponio Melæ; Σαβατία, Ptolomæo; Σαβάτων οὔαδα Straboni. Aliis *Sabaudia* dicitur, quasi *Sabbatorum*, quos *Sabaudienses* scribit Volaterranus, *Auwe*, id est, Ager, Pratum, Locus, Pascuus. Quibusdam quasi *Saul-Voye*, *Vade dicta* Via per silices, dumosaq; & aspera quondam loca. Nonnullis, ne quos omittam, quasi *Saulue-Voye*, Salva via; quam ex mala latronibusque obsessa seciſſe fingitur nescio quis ab iis, qui fabulis lectores distineri solent. *Sabaudia* certe non semel in libro Notitiarum nominatur inter *Galliæ Narbonensis Prouincias*. Meminerunt ejusdem, nunc *Sabaudiam*, nunc variante scriptura *Sapaudiam* nominantes, & medii ævi scriptores. Qua septentrio *Situs*, & Occasus *Bressanensi* comitatu (quem Dux *Sabaudiæ*, cujus antea erat, Regi Galliarum cessit, pro Marchionatu *Saluti*o) & *Heluetia*, *Lemanno Lacu* interposito clauditur: Qua Ortus *Valesia*, *Pedemontio*q, turbatioribus limitibus, nisi quod montes intercurrant editissimi, ad Meridiem vero *Delphinatus* se offert. Quod ad valles & campestria loca, solum amœnum satis & fœcundum, præcipue versus Septentrionem, secundum *Lemanni lacus* tractum, ubi vinum gignit generosum, quod *Ripalium* vocatur ab lacus ripa. Pascua animantibus omni genus enutriendis *Qualitas*. optima; cum alibi, tum qua mons *Mtnor S. Bernardi* attollitur. Totus hic tractus, ubi hodie *Sabaudia*, *Delphinatus*, aliæque conregionales Provinciæ, *Regni* titulo quondam superbierunt, quemadmodum patet ex Livii lib. XXI. ubi *Hannibal* arbiter lectus legitur ab duobus fratribus, qui de *Allobrogum Regno* inter se digladiabantur. *Regni* pars de qua agimus, *Sabaudia*, varios inde Dominos, Principesque nacta, hoc tempore imperium, agnoscit Ducum: quibus ante quingentos contractiores fuerunt limites, tunc enim *Maurienna* tantum Comites *Mauri-enna.* dicebantur: quorum primus legitur *Bertholdus*, qui patrium Solum vertere coactus in eam *Burgundiæ Transiura-* *Comitatus.* *niæ* partem abiisse scribitur, quæ inter *Allobrogas Comitatus Mauriennæ* appellatur: rebusque pro imperio bene feliciterque gestis eundem obtinuisse *Comitatum*; quem filius ejus *Humbertus* I. jure beneficiario, ab *Henrico tertio* Imperatore plenius acceptum transmisit ad filium *Amedeum* I. & *Humbertum* II. nepotem; qui successione *Adelheidæ*, *Humberti* I. conjugis, Marchiones quoque fuerunt *Segusiani*; *Tarantasiæ* etiam ditionibus suis adjecta. *Humberti* II. filius fuit *Amedeus* II. primus *Sabaudiæ* comes, Marchio *Taurinorum* & *Segusianorum*. Eum recta linea secuti sunt *Humbertus* III. *Thomas*, qui *Pedemontanam Principatum* bello sibi acquisivit; *Amedeu* III. qui *Vallis Augustæ Petram* & *Chablasii* ditionem, hæredibus masculis vacuas, occupavit; & *Bonifacius*: cui improli defuncto succesſerunt Patrui, *Petrus*, qui Principatum suum supra modum auxit, expugnatis plerisque ad *Lacum Lemannum* oppidis; & *Philippus*, Archiepiscopus antea *Lugdunensis*, qui spe prole orbatus potiorem hæreditatis partem transmisit ad fratris *Thomæ* filium *Amædeum* V, cui magni erat cognomen. Exceperunt hunc filii *Eduardus*, hærede carens masculo & *Amadeus* V. *post quem Sabaudorum* rebus, descendente serie, præfuerunt *Amedeus* VI, ordinis equestris *Annunciatorii institutor*: *Amedæus* VII: *Amedæus* VIII. *Amedeus* VIII, quem primum *Sabaudiæ ducem* creavit *Sigis-* *Sabaudia Ducatus.* *mundus Imperat*, anno CIↃ CCCCXVI, quemque post voluntariam *Principatuum* suorum in filium *Ludouicum* transcriptionem, monachum jam factum. Concilii *Basiliensis* Patres *Pontificem Max.* contra *Eugenium* IV. consecrarunt, sub *Felicis* V. appellatione. Dignitatem tamen illam nono post anno concessit *Nicolao* V, solo Cardinalatus honore contentus. Obiit CIↃ CCCCLII. *Ripali*; ad *Lacum Lemannum*. *Amedæi* porro VIII. Stemma tale legitur.

Amedæus VIII, *Dux Sabaudiæ Primus*: *de cujus abdicatione, Pontificatuque alii plura.*

Ludouicus, Dux Sabaudiæ secundus defunctus anno CIↃ CCCCLXII. Vxor Anna Ioannis Cypri Regis f. — *Allii utriusque sexus liberi*

Amedæus IX. *Dux Sabaudiæ III, divus Paterque cognominatus: obiit* CIↃ CCCC LXXV. *Vxor Iola Karoli VII Valesii, Galliarum Regis F.*

Ludovicus Rex Cypri. Duxerat enim Karolatam, Ioannis Regis filiam unicam & Hæredem.

Philippus Breßæus, Bengiaci Comes, & Bresiæ Dominus: Agnatis mortuis Dux Sabaudiæ VII. Inhumanis esse desiit Chamberiaci anno CIↃ CCCCXCVIII. *Vxores illi fuerunt.*

Allii multi utriusque sexus.

Philibertus Dux Sabaudiæ IV. obiit CIↃ CCCC XXCV.

Carolus, Dux Sabaudiæ V. venenis periit CIↃ CCCCXXCIX. *Vxor blanca Gulielmi March. Montifferrati F.*

Allii liberi.

Margareta Karoli I. Ducis Borbonii F. Ex qua nati.

Claudia Ioannis Brossii Bussaci Domini filia. Ex qua procreati.

Karolus II. Dux Sabaudiæ VI. mortuus sexcennis anno CIↃ CCCC XCVI.

Philippus Pulcer Dux Sabaudiæ VIII. Vxor Margareta Maximiliani I. Imperat. F. obiit improlis anno CIↃ IↃ IV.

Lodouica mater Francisci I. Galliarum Regis

Karolus III, Dux Sabaudiæ IX. Hunc Bernates, Geneuensibus suppetias ferentes, male multarunt, Franciscus I. Galliarum Rex & Valesii maxima Principatus parte spoliarunt, patriisque ditionibus ejecerunt. Obiit Vercellis anno CIↃ CI IV. *mense Iunio. Vxor Beatrix Emanuelis Lusitaniæ Regis filia.*

Allii.

Karolus, Emanuel, Emanuel, Ioanna Maria,

Emanuel Philibertus Dux. Sabaudiæ X. Principatu ejectus,

Katharina & alia, tenellæ rebus humanis.

tenera



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 6111 2, [302] - -

Sabaudia Ducatus.

venera ætate sunt extincti. militarem operam præstitit Karolo V. & Philippo Regi; cujus opere restitut. in auitum Ducatum, Duxit Margaretam Francisci I, Regis Galliarum F. obiit anno CIↃ IↃ XXC. *quarto nonas Augusti.* *nis sunt exempta*

Karolus Emanuel Dux Sabaudiæ XI. Pedemontii Princeps & uxor Catharina, Philippi Hispaniarum Regis F. natu minor.

Chamberiacum metropolis, vulgo Chamberij.

METropolis *Sabaudiæ Chamberiacum*, vulgo *Chambery*, quod *Camerinum* antiquis appellatum fuisse notat in sua *Sabaudia Paradinus*. Auctoritatem adducenti fidem dabo. Putat *Pinetus* veteribus vocatam *forum Voconij*, cujus meminerunt *Plinius* lib. III. cap. IV. & *Antoninus* in Itinerario. Atque fieri hoc non posse, satis inde constat, quod *forum Voconii* uterque numeret inter ea opida, quæ hodie ad Mare fere Mediterraneum in *Provincia*. Et ibidem etiam *forum voconii* locat, haud procul littore Maris Gallici, Tabula Peutingeri Itineraria, inter *Forum Iulii*, hodie Friaul, & Mataronem. Vide Caput XXXIX. Frustra quoque est in Chorographia Lusitanica Varrerius; qui ex *foro Voconii*, *Forum* facit *Voconty*, quasi illud *Vocontiorum*, fuisset Metropolis, quum primaria gentis ejus urbs *Augusta Dia Vocontiorum*, hodie Die. *Chamberiacum* etiam *Cenali* & *Castilionio* censetur *Ciuaro*, cujus meminit *Cicero* in Epistolis: sed *Cularonem*, quæ hodie *Gratianopolis*, restituendam ibi, ante monui. *Chamberiacum* porro arce præditam, domicilium præbet plurimum *Sabaudiæ* ducibus, qui sedem hic fignarunt Iustitiæ, supremoque Provinciæ tribunali, quod Parlamentum vulgo. *Sabaudiæ* partes sunt Comitatus sequentes.

Anolim Forum Voconij.

An Cinaro.

Comitatus Mauriañ sis, la Morienne cujus primarium opidum.

Maurianensis, vulgo la *Morienne*, expansus ad *Archum* fluvium, ubi *fanum S. Ioannis*, cui inde cognomen, dicitur enim *S. Ioan de Morienne*. Oppidum non ignobile, arce superbiens; ubi sepultus *Humbertus* I, qui *Maurianensem Comitatum*, nunc *Sabaudiæ* Ducatum, jure beneficiario ab *Henrico* III. Imperatore acceperat. Mortem obiit anno CIↃ XLVIII. Conjacet patri filius, *Amedæus* I, cauda cognomine *Maurianensis* Episcopi meminit Concilium Matisconense I.

Fanum S. Ioannis Maurianensis.

Tarantasius, vernacule *Tarentaise* concluſus fere spectatur inter montes *Alpinos*, fluviosque *Archum* & *Aram*, *Archo* se ad *Chamezium* miscentem. Appellationem habet, ab urbe *Tarantasia*; quæ hodie scribente *Scudo*, *Monstier* incolis; Germanis autem *Munster in Tarantasen*; ut censet *Iosias Simlerus*: *Musterium* est latine scribentibus. Sepultus ibi in Basilica *Humbertus* II, *Maurianensis* vel *Moriennæ* comes, & Segusianorum Marchio, qui Ditioni suæ Tarantasiam bello domitam adjecit. Obiit circa annum CIↃCIX. Legitur hæc urbs apud *Antoninum*, variante scriptura, *Tarentasia*, & *Darantasia*; posteriore modo etjam in itineraria tabula. In notitia Provinciarum *Galliæ* sub *Viennensi* V. *Alpium Graiarum Peninarum* est Civitas *Centronum*, hoc est *Tarantasia*; *l'Archeveschè de Tarantaise.*

Tarantasius cujus Metropolis. Musterium.

Addam nonnihil de Dominijs. *Fossigni* prope lacum est *Lemanum*. In eo esse ferunt (ego incertior sum) *Ripaliam*, *Ripam ἀλὸς* ludere liceat: nam *Lacus Lemanus* adcolis quibusdam mare audit, & sane sæpe Maris instar sævit) *Ripaille* vulgo. Locus est non in amænus; vel eo nomine celebris, quod ibi *Amedæus* VIII, Dux *Sabaudiæ* I, facta Principatuum suorum abdicatione, monachum fuerit professus: & in Pontificem maximum ab concilii *Basilienſis* Patribus postulatus contra Eugenium IV, consecratusque IX. Kalendas Septembris, anno CIↃ CCCCXI, & *Felix* V. dictus, aliquandiu egerit; constructis sibi suisque operis sumptisque non magni Ædificiis, quæ superesse vidi ipse anno CIↃ IↃXXCV. Mortuus ibi est anno CIↃ CCCC. LII. mense Januario; quum triennio ante Pontificiam *Nicolao*, pacis causa, concessisset, solo Cardinalatus honore contentus. *Fossigny* Domini filia *Eleonora* nupsisse legitur *Petro* Comiti *Sabaudiæ* VI. *Maria* item *Amedæi* VI, Comitis *Sabaudiæ* VIII. ex Brabantia filia, locata perhibetur hujus ditionis Dynastæ. De reliquis nihil habeo. *Chablasii Principatum*, qui *Fossinio* versus Orientem, *Chablais* vulgo, adquisiuisse, suisque Dominiis adjecisse memoratur *Amedæus* III; quum legitimi hæredes masculi jam defecissent. Adcensent illi quidam *Tononium*, *Euianum*, *Guingaunum*, & alia; quæ, ut non satis comperta, timidius scribo. De Dominio, quod vulgo *Val d'Osta* dicendum erit commodiore loco in Italia, ubi de Pedemontio.

Dominia Fossigni, Ripalia.

Dominia Chablais,

Tononium, &c. & alia.

Sunt & alia *Sabaudiæ* oppida: *Aiguebelle* ab aquis bellis, ad fluvium, qui haud procul inde *Archo* se jungit; *Montbelial*, *Bellay*, *Nicy* ad lacum cognominem, *Montmelian*; *Insilles*, supra *Segusionem*, *Ὀσσγγα* Ptolomeo, qui *Coctijs Alpibus* (male in vulgatis *Scutiis*) *Lepontiorum* adscribit, quibus quæ superant curiosioribus adponenda relinquo.

Reliqua Sabaudiæ oppida.

Inter Montes principem locum obtinent *Alpes*, quæ *Italiam* hodie ab Gallia Germaniaque procursu suo, tanquam nativo muro, separant. Nomen *Alpibus* datum censet *Festus* ab candore, adfirmant plerique *Alpes* omnium *Europæ* montium esse editissimas. Multa etiam *Alpium* nomina in veterum monimentis occurrunt, quæ indicant multas quippe *Alpium* partes fuisse: sed obiter tantum attingemus, illas quę potissima ex parte sunt in & circum *Sabaudiam* sitæ, ut *Sabbatiæ*, à quibus *Sabaudia* nomen habere putatur, sicut dictum est: quæ initium suum ducunt quam proxime apud *Sauonam*, circa locum cui nomen *Vay* atque apud veteres *Vada Sabbatia* à quo loco instar arcus curvatur versus *Monegnæ*, qui olim vocabatur *Portus Herculis Monaci*, atque inde se extendentes versus fluvium *Var aut Varo*, qui disterminat *Galliam* ab *Italia*. Sunt etiam *Alpes maritimæ*, sed has vergentes versus *Provinciã* transimus, sicut & *Alpes Penninas*. Sequuntur *Cottiæ*, quæ initium habent circa summitatem quandam *Saulteron* vocatam, ubi duæ sunt viæ, quæ ambæ declinant, in *Marchionatum Salutiensem*: In his *Alpibus* est mons *Agnel* & mons *Viso*, apud veteres *Mons Vesulus*, cui foramen ineſt quo transitur à Gallia in Italiam: ab hoc foramine duæ viæ ducunt: altera versus *Verguel*, altera versus *Ravel* Marchionatus *Salutiensis* munimenta. Atque inter hunc montem & foramen hoc tres fontes exoriuntur, in unum alveum confluentes, efficientes celeberrimum illum fluvium *Padum*, vel *Po* vernacule. In hoc tractu summitas illa est quæ crucis dicitur, & præterea mons *Genebræ* on *Geneure*, montes hi finem habent apud *Suza*, ubi fluvio *Doria* ab *Alpibus Graijs* separantur. Sequuntur *Alpes Graiæ*, nomen suum deducentes ab *Hercule Amphytrionis filio Græco*, qui per hos montes ex Italia in Galliam iter faciebat. In montium horum parte versus Galliam sedes suas habebant *Centrones*, qui sunt hodie *Tarantasii*, per quos via patet in *Chamberiacum*. Sunt etiam inter hos Montes *Veragri*; comprehendentes *Valesios inferiores*, ac regionem *Gauot* & *Focigny*: vocatur que via horum montium, *Mons minoris S. Bernardi*. Sunt aliæ præter has plures, quas brevitatis causa præterimus. Montium horum naturæ miraculum est; nam qui eos transit, ei nova continuo occurrunt, quia nunc viam se late pandere, modo eandem in angustiam redigi, modo montes se in aërem efferre, tum rursum descendere, ibi est planities, hic vallis horrendis summitatibus circumclusa: nihilominus multis locis in vallibus bonum frumentum provenit, in montibus etiam multum est graminis, in pecudum pascua: in quibusdam etiam locis vinum. Sunt quoque variæ fodinæ, nec non animalium aliqua genera, quæ alioqui nusquam reperiuntur, pluraque alia rara, quæ, ne prolixi simus, omittimus. Irrigant *Sabaudiam* præter *Rhodanum*, *Araris*, *Isara*, *Duria*, *Arva*, *Danius* & *Aly*. Lacus sunt plus notæ *Lemannus*, de *Nicy*, de *Bourget*, &c.

Montes.

Flumina Lacus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [303] - -
PUBLIC DOMAIN

HELVETIA,

Cum finitimis regionibus confœderatis, vulgo

SHWEITZERLAND.

BURGUNDIAE Comitatui succedit ea Regio, quam Romani *Helvetiam* vocarunt. Eam aut magnam ejus partem hodie vocant *Suiciam* aut *Suetiam* a *Vitis* Saxoniæ populis, quos ob violatam sæpius fidem, sedibus suis ejectos Carolus Magnus in Alpes conjecit, quemadmodum & Nordalbingarum aliquot millia in Flandriam ac Brabantiam transtulit. Vel a Suecis qui tempore Sigeberti Regis e Suecia in Helvetiam commigrarunt, sive inundationibus aquarum, sive numeroso incolarum cœtu sedibus suis excluſi; vel denique a *Suitio* pago; vulgo *Switſcher-Landt*. Dicitur & *Confœderatorum terra*, vernacule *Eydgnotſchaft*, a fœdere quo inter se Helvetii juncti sunt. Hi Eutropio aliquando *Quadi* dicti fuere. Helvetia porro inter montem Iuram, Lacum Lemanium, Italiam & Rhenum sita est; habetque ad Ortum Solis Tirolensem Comitatum; ad Austrum Alpes Cottias, Lombardiam, Mediolanensem Ducatum, & tractum Pedemontanum: ad Occasum Sabaudiam & Burgundiam: ad Septemtrionem Rhenum. Patent autem Helvetiorum fines in longitudinem 240 millia passuum, ut ait Cæsar lib. 1 de bello Gall. quod & hodie verum est. At in latitudinem tantum lxxx; quam Cæsar aliquanto majorem facit. Loci natura undique tuta continetur: una ex parte flumine Rheno a Germania dividitur; altera ex parte Iura monte altissimo a Gallia separatur; tertia parte Lacu Lemano ac flumine Rhodano a Sabaudia disterminatur. Gens quum foret totius Celticæ bellicosissima, reliquos Gallos virtute præcedebat, quod fere quotidianis præliis cum finitimis Germanis contenderent, qua fiducia freti totius Galliæ imperium adfectarunt. Rem ipsam tentantes C. Iulius Cæsar armis in sedes suas redegit, & una cum reliqua Gallia Romano Imperio adjecit, cui paruerunt usque ad Honorii Imperatoris tempora, quum diversis populis, diversas imperii partes diripientibus, Alemanni Helvetiam in quam jam ante crebras incursiones fecerant, occuparent, Galliæque avulsam Germaniæ corpori adjicerent. Inde gens ea *Switzeri* a vico, forte quondam capite *Schwitz* dicta, sub Germanico imperio tenuere, Ducibus suis subjecti donec Leopoldo Duce in prælio cæso in libertatem sese circa annum 1400 vindicarunt. Fedære post libertatem adeptam inter se sancito, nunc libere agunt, XIII pagis seu civitatibus (incolæ *die Oerter*, Galli *Cantons* vocant) divisi. Tota vero Respub. tribus constat partibus. Prima tredecim istos pagos numerat seu civitates, *Zurich, Bern, Lucern, Vri, Schwitz, Vnderwalden, Zug, Glaritz, Basel, Friburg, Soloturn, Schafhausen, Appenzell*. Ex his *Appenzell, Glaritz* & *Schwitz* sunt vici. *Vnderwalden* & *Vri* regionum nomina, quarum capita duo vici: hujus *Altorff*, illius *Stantz*. Reliqui octo Cantones sunt urbes quarum potentissima est Berna, quippe cujus ditio a Geneva ad Basileam fere protenditur, milliaria Germanica ultra triginta. Ex universis Cantonibus, Protestantium religionis sunt *Bern, Zurich, Basel, Schafhausen*. Catholicæ Rom. *Lucern, Friburg, Soloturn, Zug, Vri, Vnderwalden, Schwitz*. Utramq; religionem profitentur *Glaritz* & *Appenzell*. Atque hi pagi soli hoc juris præ aliis habent federatis, quod de rerum summa deliberent & suffragia ferant. Secundam partem Reipublicæ constituunt fœderati, Abbas nempe & oppidum *S. Galli*, fedære junctum Helvetiis anno 1455, necnon Rhetorum gens quæ in fœdus coit anno 1497; & Curienses, juncti Helvetiæ anno 1498. Tertia *Decem Iudiciorum* appellatur, quæ licet cum Helvetiis non pepegerit, tamen quia duobus prioribus æterno fœdere cohæret, etiam Helvetiis amicitiam & societatem fidam præstat. Inter federatos est *Sedunum* cum Valesia tota, & *Rotweil*, & *Mulhusen*, & *Bienna* necnon *Geneva*. Tertia Reipublicæ pars sunt Præfecturæ, cum armis, tũ spontanea deditione conquisitæ, quales sunt Turgea, *Turgow*, anno 1460 in potestatem Helvetiorum redacta. *Aquensis Baden*, subdita anno 1415: *Rheguſti, Sarnnetum, Lugano, Locarno, Mendresium*, Vallis Madia, quæ posteriores quatuor ex dono Maximiliani Sfortiæ Mediolanensis in Helvetiorum potestatem pervenere. Atq; his omnibus pagi præsunt, excepta Abbatis-cella. Conventus totius Helvetiæ fit Aquis Helvetiis, vulgo *Reichsbaden*. Academia est Basileæ celeberrima; præterea Gymnasia, Academias æmulantia, Tiguri, Bernæ atque Lausannæ in Bernensium agro.

Nominis etymon.

Termini.

Regio omnis salubri fruitur aëre: ac licet celsis præruptisque montibus aspera sit, ita tamen mitescere cœpit incolarum indefesso labore, industria ac cultura, ut nulla parte sterilis sit; quin ad vitam sustentandam producat non solum necessaria, sed & ea quæ delitiis ac luxui inserviunt. Frumentum abunde profert, quamquam plerisque in locis, nisi gleba exusta fuerit, sementem frustra projeceris; verum huic incommodo agricolarum labor ac industria occurrit. Vinum multa loca adeo generosum gignunt, ut Rhenense longe superet, & sapore & virtute. Huc accedunt pinguissima prata, in quibus tum greges, tum armenta magno numero pascuntur, ex quibus Incolæ magnum percipiunt emolumentum. Nam serum inde, (ut Oswaldus Molitor scribit) caseus, butyrum aliaque lactaria tanta fiunt copia, ut non tam Helvetia iis rebus expleatur, quam finitimæ quoque nationes. Transvehuntur namque in Sueviam, ultra Juram montem, in Italiam, multaque alia loca. Ferarum etiam magnam multitudinem alit passim Regio, ut sunt ursi, cervi, damæ, capreoli, Ibices, lynces, apri & aliæ, unde incolis frequens venatio. Nec desunt aves, quarum captura hic admodum felix. Tutissima semper itinera fuerunt ger Helvetiam, sic ut mercatores opulentissimi iter fecerint faciantque libere, & suas merces ultro citroque transportent, absque ullo stipatorum comitatu, aut commeatu peculiari: quin in proverbium abiit, siquis aurum in baculo a tergo dependens palam gestet, huic licere tuto per Helvetiam iter facere. Helvetia Anarcha est & libera, neque ulli principi subjecta, ex quo partim civilibus discordiis, partim inclementioribus & injustioribus imperiis illorum, qui pro Imperatoribus ea loca administrarunt Helvetii incitati, quibus accessit ἄβρις nobilitatis, fœdere inito jugum excussere, atque in libertatem sese asseruere. Initium confœderationis fecerunt Uri, Silvani, Suitenses, in horum opido. Exemplo invitatæ paullo post urbes reliquæ, cum irritare eas ac lacessere

Aëris salubritas.

Agri luxuriet.

Animalium copia.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [305] -

potentes vicini non desinerent, idem fecerunt, & inita cum prioribus atque inter sese societate, eaque arctissimis fœderum legibus devincta, potentiam confecerunt vicinis facile parem, quæ victoriis & sociorum accessione adaucta, tandem etiam formidabilis iisdem evasit. Gens est, ut Volaterranus ait, animæ prodiga, ac bellicosissima: brevi utuntur armatura, pectore tantum verticeque ac parte interiore lacertorum contecti. Tanta autem horum virtus, robur ac potentia, ut Principes & Imperatores aliquot, dum eos subjugare nituntur, non solum animus, sed & opes & sumptus defecerint: quod inviolata eorum fœdera, quorum modo meminimus, præstiterunt. Lacuum ampliſſimorum nusquam major numerus, quam in hac Provincia, inter quos *Lucerinus, de Lucerner Zee; Tigurinus, Zuricher Zee: Rivarius, Walen Zee; Neoburgensis, Nuwemburger Zee;* & omnium maximus *Acronius, der Boden Zee*, quem Solinus & Plinius *Brigantium* vocat, a Brigantio vetustissimo opidulo, Longitudo ejus est XXIV millium passuum, latitudo minimum XII. Ammiani verba, quia luculentam Typographiam Lacus & Rheni cataractarum continent adscripsimus. *Inter montium celsorum anfractus impulsu immani Rhenus extenditur, qui penes Alepontios in deciduas cataractas inclinatione pernici ut Nilus funditur, torrens ab ortu protinus primogenio, copiis aquarum propriis irruit, cursu simplici. Iamque adjutus nivibus liquatis & solutis, alta divortia riparum abradens, Lacum invadit rotundum & vastum, quem Brigantium accola Rhetus appellat: horror squalentium silvarum inaccessum efficit, nisi qua vera in Almania virtus & sobria vita composuit locum Barbaris & natura locorum & cœli inclementia refragante. Hanc ergo paludem spumosis sternendo verticibus amnis irrumpens, & undarum quietem permeans, mediam velut funali libramento intersecat, & tamquam elementum perpetua discordia separatum nec aucto nec imminuto agmine quod intulit, vocabulo & viribus absolvitur integris. Quodque est impendio mirum, nec stagnum aquarum rapido cursu movetur, nec limosa sub colluvie tardatur properans flumen & confusum misceri non potest corpus: quod nisi ita agi ipse doceret aspectus, nulla vi credebatur posse discerni.* Flumina vero Helvetiam rigantia sunt *Rhenus, Rodanus, Adua, Ticinus, Limagus, Byrsa, Langarus, Sara, Taurus* vulgo *Dur, Ænus, Arola* aliaque permulta. Montes hic enumerare vix opus est cum notiores sint per Orbem Rhetici montes, quam ut quisquã eorum nomina desideret; verum ne hic quoque defuisse videar, prodam saltem aliquot. Summæ Alpes nunc *Gothardi mons* dicitur: hinc sequuntur Peninæ Alpes: apud Salassos *Cottiæ Alpes* & *Sylvius* mons sunt. Dein montes *S. Bernardi* major & minor. *Grajæ Alpes* Lepontiorum sunt: *Adulas Mons* Germanis *der Vogel*, Misaucos attingit. *Iuliæ Alpes* ac *Permurna* mons in Engadinorum ora sunt. Hinc *Valarius* & *Brantius* montes, apud Vennones, *Rhetico* mons in Rhucantiis est. *Iuratus* mons Lemano imminet Lacui, *Abnobæ* montes in Tulingorum finibus sunt. Atque hæc sunt hujus tractus famosissima juga. Sed de Alpibus fusius in Italia. Silvæ sunt innumeræ, singulæ Hercyniæ portiones sunt, cujus hic caput est, quamvis varia sibi hinc inde adscisçat nomina, utpote *Silva Brigantina, Rhyn-Waldt, Bon-Waldt* ac nonnulla alia. Helvetiorum Respublica ex Optimatum & populi imperio mixta est. Etenim ex his populis quibus tota civitas constat, quidem mere Democratico Imperio utuntur, ubi totius plebis consilio fere omnia aguntur, veluti in his pagis qui nulla habent opida, ut sunt Uranii, Suitii, Underwaldii, Glaronenses & Abbatiscellani: & par ratio est *Tuginorum* quamvis hi opidum habeant: alii ab optimatibus reguntur, ut omnes urbes Helvetiæ Tigurum, Berna, Lucerna, &c. sed cum potestas summa penes populum sit a quo Magistratus eliguntur, mixtæ sunt hæ respublicæ, & aliæ magis Aristocraticæ, aliæ plus populares sunt. Quare cum tota civitas constet his populis, qui non una eademque reipublicę forma utuntur, non una quoque, sed mixta quædam est Politia quæ ex his conficitur. Etsi enim Legati qui in publicis conventibus in commune reipub. Helveticę consulunt, aut jus dicunt, videntur Optimatum politiam constituere, tamen cum plerique domi a populo deligantur, & in causis paullo majoris momenti non habeant liberam decernendi potestatem, sed omnia ex mandato populi agant, & ad eum de singulis referre cogantur, facile apparet, talem Senatum, non plene Aristrocraticum censeri posse. Senatus Helveticus non idem est numero, nam aliquando conveniunt præter Pagos etiam alii socii & fœderati civitatis Helveticæ & præcipue ex his S. Galli Rætorum & Mulhusianorum Legati: atque hic maximus & frequentissimus Senatus, & qui rarius convocatur, ubi de bello & pace aut aliis rebus agendum est, quæ ad omnes fœderatos ex æquo pertinent. Plerumque solum pagorum tredecim legati conveniunt, & de rebus ad civitatem Helveticam spectantibus deliberant, & singuli par jus sententię dicendæ habent & suffragii ferendi: itaque cum, ut sæpe fit ab aliquo pago, bini Legati mittuntur, unum tantum suffragium habent, quoniam hæc juxta Pagorum numerum æstimantur, non Legatorum. Multæ in Helvetia sunt Valles singulæ a singulis artificum generibus habitatæ. Ab Institoribus *Augustana*; Cæmentariis & Latomis, *Cesia*; Fabris cultrorum *Oscela*; Fumariis, *Vegetia*; Refinariis denique & sportularum textoribus *Galancha*. Atque hi mendicantium more regionatim oberrant: ceteri vero singuli sua arte vivunt.

Flumina.

Alpes & Montes.

Sylvæ.

Reipublicæ forma.

Valles.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [306] - -
PUBLIC DOMAIN

PAGVS TIGVRINVS

VVLGO

ZVRICHGOW.

PAGus Tigurinus admodum antiquus eſt & in hiſtoria ob fortitudinis famam nobilis: conſtat enim temporibus belli Iugurthini L. Caſſium conſulem in Gallia, quum Tigurinos ad Oceanum uſque perſequeretur, circumventum & occiſum fuiſſe, cum L. Piſone ipſius Legato, viro conſulari: quo tempore Q. Publius alter Legatus, ne reſidua portio, quæ in caſtra confugerat, deleretur, obſides & dimidiam partem rerum Tigurinis icto fœdere dedit, ob eamque cauſam ultro in exilium ipſe profugit. Nec multo poſt Tigurini, quum ſe Cimbris junxiſſent, C. Manlium Conſulem & Q. Cepionem Proconſulem prælio vicerunt caſtriſque exuerunt, cæſis octoaginta Romanorum ſociorumque millibus. Hunc pagum hodie vocant *Zurichgow* a primaria urbe Tiguro, quam medium ſeculum Turegum nominat: ſed Tiguri appellatio vera & vetus eſt. Mirum autem nullam ejus apud Ptolomæum fieri mentionem, quum tam clara ſit in Græca & Romana hiſtoria. Hi appellantur Straboni & Eutropio *Tigurini*. Exſtat in Helvetiis monumentum GENIO PAG. TIGOR. quod legit Fabricius *Genio pagi Tigurini*, ad volumen Poëtarum Chriſtianorum. Pagum longe lateque incendit Julius Cæſar. Sita autem eſt urbs in extremo lacu qua Limagus amnis mediam ſecat urbem, cujus partes major minorque tribus pontibus junguntur. Urbis muniendæ initium refertur ad Alemannos, qui poſt Romanos his locis potiti ſunt: poſtea ad Francos qui Alemannos vicere. Clodovæus enim Galliarum Rex domitis Alemannis arcem exſtruxit, curavitque ut Chriſtiana fide incolæ illic imbuerentur. Ab hoc creditur major Eccleſia Canonicorum fundata: auxit tamen eam Carolus Magnus circa annum 760, vocavitque Eccleſiam Præpoſituræ felicis & Regulæ. Baſilicam quoque inſignem & amplam exſtrui fecit in editiore colle trans amnem Limagum, ubi nunc Sapientiæ & bonarum literarum domicilium eſt. Ludovicus vero Caroli Magni nepos anno 853 fundavit Abbatiam Dominarum quam *Frauwen-munſter* vocant, ex patrimonio Ruperti Ducis Alemanniæ, eique filiam ſuam præfecit Hildegardim. Sub Carolo Craſſo demum dicitur fuiſſe abſoluta. Fuit autem præfectura urbis vice Imperatoris penes Principes Leringenſes uſq; ad annum Chriſti 1218, qui idcirco ſe Iudices & Advocatos Turegi vocari maluerunt. Gubernata fuit initio a duodecim viris, quibus tandem anno 1340 poteſtas abrogata eſt ob inſignem ipſorum inſolentiam. Poſt eos deſignatæ ſunt Tribus tredecim & unus Conſul: ex tribubus vero deliguntur quinquaginta viri qui Rempubl. adminiſtrāt; ſed arctis rebus, quum res graviores tractandæ ſunt, deliguntur ducenti viri. Anno 1351 fecerunt Tigurini primum fœdus cum Uriis & Suitiis: etſi vero ipſi quinto demum loco in fœdus recepti ſint, tamen ipſorum fidei, potentiæ & antiquitati tributum hoc eſt a ſociis, ut principem illi locum occuparent. Poſt obitum Frederici Conradus ejus nepos conatus eſt Tigurinos Ducum Sueviæ imperio ſubjicere, quumque ipſi reſiſterent Tigurini, proſcripta eſt eorum civitas a Conrado Imperatore, ſed exemit eos inde Richardus Anglus Romanorum Rex. Rudolphus vero Habspurgenſis fideli Tigurinorū opera in bellis ſæpius uſus, urbem ipſorum multis privilegiis ornavit atque honoris cauſa illud etiam conceſſit, ut diademate Imperiali ipſorum inſignia ornarentur, quod etiam Amſtelodamenſibus a Maximiliano I indultum eſt. Solum hujus tractus, & potiſſimum per circuitum *Tiguri* civitatis primariæ, eſt valde fœcundum, feraxq; vini & frumenti plurimi: vinum tamen plerumque eſt ſubacerbum, nec poteſt ob vicinas Alpes ad perfectam pervenire maturitatem: matureſcit autem vinum ſeu potius miteſcit a ſua auſteritate poſt aliquot annos in penu conſervatum. Forum habet frumentarium ampliſſimum, in quo ingens frumenti vis hebdomadatim divenditur. Incredibilem piſcium copiam lacus Tigurinus huic urbi ſuppeditat: forum annonæ illic locuples eſt, lacus ſubvectioni idoneus. Viros illuſtres & claros multos habuit, *Conradum Pellicanum*, linguæ Hebrææ, Chaldææ, & Thalmudicæ peritiſſimum; *Theodorum Bibliandrum*; *Conradum Geſnerum* Polyhiſtora illum Πανμαθῆτον; *Ludovicum Lavaterum*, qui de ſpectris, lemuribus, &c. librum ſcripſit, & alios. Adcenſetur huic provinciæ *Tugium* pagus. Cæterum *Tugium* vulgo *Zug* oppidum, ejuſdemq; nominis regio verſus Septentrionem Suitiam vicinitate attingens in pede paſcui & vitibus conſiti montis lacui piſcoſo adjacet, cui a civitate nomen *Lacus Tuginus*, qui ad Meridiem verſus ad Artenſe oppidum extenditur: agrum compaſcuum, vini frumentique feracem habet. Ejus cultores *Tugini*, Straboni vero lib. VII Τύγενοι dicuntur qui cum Tigurinis & Cimbris inito fœdere Romanis ſe oppoſuere. Conſulendi Plutarchus in vita Marii, & Eutropius lib. V. Paruit Tugium aliquando nobilibus, poſtea in Auſtriorum poteſtatem pervenit: hi bello Helvetico perpetuo præſidia illic aluere, quæ Suitios & Tigurinos infeſtabant; itaque anno CIↃ CCC III Tigurini cum quatuor aliis pagis expeditionem adverſus Tugium ſuſcepere. Præſidiarii munitionibus oppidi diffidentes, ante adventum Helvetiorum id deſeruere; cives tamen, qui fidem Auſtrio ſervare vellent, obſidionē per dies XV ſuſtinuerunt. Tandem deditionem fecere & Helvetiis ſacramentum dixerunt hac conditione, ſi intra præfinitum tempus Dux Auſtrius eos exercitu adducto obſidione liberaret, ab Helvetico ſacramento liberi in ejus obedientiam redire poſſent. Cum autem vidiſſent ſibi nullam in Auſtrio ſpem eſſe, Helvetico fœderi ſe junxerunt.

Altera hujus tabulæ provincia, nimirum *Baſilienſis*, ab inclyta urbe Baſilea ſic dicta eſt: vocatur & *Sungovia*, quod nomen a Sequanis deductum eſſe haud obſcura eſt conjectura, quam etiam Rhenanus approbat rerum Germanicarum libro tertio. Agrum habet vini optimi frumentique feraciſſimum, ut etiam vicinis annonæ caritate preſſis ſuccurrere valeant ipſius incolæ: ſunt & pecorum paſcua lætiſſima. Hanc regionem olim, Scudo teſte, *Raurici* Ptolomæo, Cæſari *Rauraci* inſederunt, quos refert Helvetiorum exemplo omnia ſua oppida vicoſque & quicquid ædificiorum habebant, exuſſiſſe. *Baſilea* inclyta urbs hodie regionis caput, ex Auguſtæ Rauracorum ruderibus crevit; initio parva, ſed poſt everſam Auguſtam major celebriorque. Remotiſſima ejus memoria eſt apud Ammianum Marcellinum, qui Baſiliam eam vocat & Gratianum Imperatorem narrat prope eā propugnaculum adverſus Germanos condidiſſe. Sunt alii qui a Baſilena Iuliani Imperatoris matre nomen inditum credant. Rhenanus a trajectu mavult, quem lingua Romanenſis, hoc eſt Gallica *Paſſum* vocat, ut ſit dicta *Baſilea* quaſi *Paſſilea*; & addit, trajectum hoc loco fuiſſe veriſimile eſſe, etiamdum ſtante Auguſta, quod hic propter

Pagi Tigurini antiquitas.

Imperium Majorum.

Tigurini cum Uriis & Suitiis fœdus pangunt.

Soli indoles.

Tugium pagus.

Baſilea Metropolis.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111 2, [308] · ·

ZVRICHGOW.

vallem per quam torrens e Byrſa ductus fluit, ripa ſit humilior, ob multas cauſas ad tranſitum ſit aptiſſima, apud Auguſtam tamen abrupta: addit amplius, ad munimentum illius trajectus duas a Romanis turres exſtructas, quarum hodie etiam altera conſpicitur in capite pontis, altera paulo inferius; nomen habet a ſale quod ibi aſſervatur. Hanc tamen conjecturam Munſterus rejicit, authoritate Marcellini qui civitatem illam Græca voce *Βασιλείαν*, id eſt *Regnum* vocat, quaſi *Regnopolim* ſeu *Regiam* civitatem: eam ſane ſiquis hodie contempletur, regiam vocabit. Tanta eſt viarum mundities ac ædium in commune æqualis ordo, quarundam etiam magnificentia, ut ſcribit Rhenanus, atque amænitas, præſertim quibus a tergo eſt Viridarium D. Petri & Prædicatorum Cœnobium, amplas areas & hortos elegantiſſimos habentibus, & quæ Rhenum aſpectant, ut etiam iis qui Italiam viderunt, placere poſſit: cœlo rara quædam & grata temperies; cives humani. Templorum ſatis magnus numerus; imprimis Templum Sanctæ Virginis Mariæ, quod Epiſcopale eſt & opus Henrici Auguſti, qui poſt Hungaricam devaſtationem illud vel ex ſolo excitavit, vel collapſum reſtituit. Ejus donum & anathema eſt lamina illa aurea ligneæ tabulæ inhærens, ſeptem millibus florenorum æſtimata, in qua conſpiciuntur imagines Michaëlis, Gabrielis, Raphaëlis, Urielis & Benedicti, inq; horum medio Ieſu Chriſti, cujus pedibus ipſe cum uxore Kunigunde advolutus jacet. Alluitur hæc urbs Rheno, quia eam pene mediam dividit, niſi quod ponte unitur: habet autem urbs ipſa commoditatem magnam a Rheno, quia ad eam plures ſunt navigationes, magniſq; poteſt adiri oneribus. Paſſa eſt ante annos ducentos multos & graves terræmotus: ſed rurſum eſt inſtaurata, &

Schola illuſtris. anno CIↃ CCCC lx a Pio Pontifice *Academia* ornata, quæ omnibus ab eodem donata privilegiis, juribus & immunitatibus, quibus fruuntur Academiæ Bononienſis, Colonienſis, Heidelbergenſis, Erdfordienſis, Lipſenſis & Viennenſis. *Baſilea* omnibus temporibus produxit viros doctrina, ſapientia atque eloquentia maximos: inter ceteros etiam fovit aliquamdiu *Simonem Grinæum*, virum pietate, doctrina varia atque ingenio maximum. Præfecturas quæ huic ſubſunt, recenſet Mercator cum nonnullis Comitatibus & Baronatu *Kilchbergenſi*. Fluminibus hæc regio rivuliſque rigatur pluribus, quos omnes tandem Rhenus recipit, qui Baſileam ſecat fere mediam. Inter reliquos præcipui, *Byrſa* & *Wieſa*. *Byrſa* ex Iura monte per multas convalles Baſileam uſque devolvitur, plurima ſecum deferens ligna & lignorum rates; *Wieſa* vero fluminum ab oppoſita parte a Nigra ſilva ſegregatur, adferuntque per eum plurimæ trabes ædificiis aptæ, ac deinde in minori Baſilea multis inſervit officinis. Nam ferrantur ejus officio mola verſatili arbores in aſſeres, commolitur frumentum, acuuntur fabrilia inſtrumenta, du-

Flumina.

cuntur in bracteas ferreæ maſſæ, multisque aliis conducit uſibus, præter id quod habet nobiles piſces, præſertim trutas. Et quamquam minor eſt oppoſito fluvio Byrſa, eſt tamen eo piſcoſior: pluribusque inſervit officinis, etiamſi Byrſa non modica quoque exhibeat miniſteria molitoribus & Chartariis, qui aliquot inſignes habent officinas juxta hunc fluvium aut potius juxta rivulum ab eo ſegregatum & ad mœnia uſque majoris Baſileæ facto alveo, deductum. Sunt & *Tolderus*, *Largus*, aliique fluvii. Habet præfecturas extra urbem Tigurinus Pagus majores & minores. Majores ſunt IX, *Kyburg* comitatus: *Groeningenſis* præfectura: Audelfingē, *Griefenzæe*, *Egliſow*; *Libera provincia*, *Regensberg*, *Vadisvillana*, *Wadiſchwyl*, *Lauffa* ad cataractas Rheni. Minores XXII. Reſtat ut de adminiſtratione Reipublicæ harum Provinciarum, paucula jubiciamus. Ex tribubus omnes qui publicis conciliis interſunt, pari numero e ſingulis deliguntur, tam Tiguri quam Baſileæ. Sunt autem præcipuæ auctoritatis duo publica Conſilia in hiſce urbibus, Majus quando plures nomine totius plebis conveniunt, & id plerumque tantum in gravioribus negotiis & quæ ad totam Rempublicam pertinent convocatur: Minus quod quotidie Rempublicam adminiſtrat, & civium controverſias cognoſcit. At Tiguri majus conſilium eſt CC hominum, Baſileæ CCXLIV. Minus Conſilium Tiguri L hominibus conſtat. Baſileæ LXVIII. Etenim e ſingulis Tribubus duodeni in majus conſilium aſſumuntur; niſi quod Tiguri e Nobilium ſocietate XXIII deliguntur. In Minus Conſilium Tiguri ſingulæ Tribus dant ternos homines, quaternos Baſileæ: his accedunt duo Conſules in ſingulis urbibus publici Concilii Capita; Baſileæ præterea totidem Tribuni, quos una cum Conſulibus Capita nominant: præterea Tiguri Nobilium ſocietas ſenos in Minus Conſilium mittit, cum aliæ Tribus tantum ternos dent, & adhuc ſex alii liberis ſuffragiis cooptant, ex quibuscumque Tribubus magiſtratui viſum fuerit. Minus Conſilium dividitur in vetus & novum: veterem Senatum eos nominant, qui per medium annum munere ſuo defuncti ſunt: hi etſi quoque convocantur cum Senatus habetur, non tamen ſemper vocantur, & ſunt quædam quæ novus Senatus tantum tranſigit. Baſileæ etiam Majus Conſilium ſimili modo dividitur, atque e duodecim viris Tribuum ſex novo & totidē veteri ſenatui accenſentur. Convenit autem minus Concilium plerumque ter, nonnumquam etiam quater ſingulis ſeptimanis. Utriq; Senatui præeſt Conſul, quem *Burgermeiſter*, hoc eſt civium Magiſtrum vernacule nominare ſolent, hunc Majus conſilium eligit. Conſulibus poteſtate proximi ſunt Tribuni, hos Tigurini *Oberſtemeiſter*, Baſilienſes *Zunfftmeiſter* vocant: horum tres ſunt Tiguri; duo tantum Baſileæ, qui una cum duobus Conſulibus quatuor urbis Capita nominantur.

Ratio gubernandi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [309] - -
PUBLIC DOMAIN

PAGUS AVENTICUS

Vulgo

WIFLISPVRGERGOW.

HELVETICUS ager in quatuor Pagos dividitur, quos Helvetii *Gow* vocant, voce Germanica quæ regionem vel pagum significat, suntque Hæ; *Zurichow*, *Wiflispurgergow*, *Argow* & *Turgow*. Wiflispurgergovia nomen habet ab oppido *Wiflispurg*, vel *Wifelspurg*, quod olim tempore Julii Cæsaris Helvetiorum caput erat & *Aventicum* Tacito; *Aventiculum* Antonino; *Avanticum* Ptolemæo: *Avenche* Gallice Marliano dictum. Marcellinus scribit suis temporibus desertam fuisse civitatem. Civitas *Elvicorum*, hoc est, *Aventico* lib. Provinciarum. Marcus Velserus ad Inscriptiones antiquas Vindelicorum hanc edit Inscriptionem: COLONIA PIA FLAVIA CONSTANS EMERITA AVENTICUM HELVETIORUM FOEDERATA. Regio comprehensa est intra Sabaudiæ limites, etiamsi pareat Bernatibus & Friburgensibus, sicut & terra ex oppositа & ultra Lacum Bielensem, sive Neoburgensem sita. Satis ferax est vini & frumenti. Cæterum in hac Tabula totus fere *Bernatum Pagus* continetur, & *Friburgi*. Prioris urbs primaria *Berna*. Hæc si annos numeres non admodum vetus est, si situm & cultum, si mores & civilitatem, si Leges & Instituta, si potentiam ac virtutem respicias, nulli urbium cedit. De cujus constructione sic legimus. *Berchtoldus* Zeringiæ Dux IV hujus nominis, construxit suo tempore duo Friburga, id est libera castella, unum scilicet in Brisgoja, & alterum in Nuchtlandia. Et quo sui subditi firmiorem & tutiorem in Nuchtlandia haberent mansionem, deliberavit aliam exstruere civitatem juxta arcem suam, quæ *Nideck* appellabatur, in peninsula quæ *Saccus* vocabatur, quam tunc sylva quercina occupabat. Quodam autem tempore, quum idem Berchtoldus venationi intenderet, dicebat suis: Civitatem quam in hoc opportuno loco condere deliberavimus, nominari volumus vocabulo bestiæ, quæ nobis primum occurrerit captaque fuerit. Ceperunt autem Ursum, quem Germani *Beren* vocant. Cumque eo loco, ut diximus, plurimæ crescerent Quercus, quo civitas erat condenda, omnes fere arbores illæ pro domorum structura insumptæ fuere. Unde & operarii vulgo dicebant, quum resecarent arbores: *Arbores finite ut fecemini libenter: Quoniam civitas ista vocabitur Bern.* Est autem hujus civitatis situs veluti in peninsula, quam facit *Arola* fluvius navigabilis. Nam ad Meridiem urbis fluit amnis ille in demisso loco ab Occasu in Ortum, ac tūc reflexus petit occasum ad jactum bombardæ, quanta scilicet est longitudo civitatis, sicque amnis est civitati loco fossæ aqua inundantis, nisi quod ab Occasu ad jactum baliſtæ fundus civitatis cohæret continenti, qui Isthmus si perfoderetur, haberet Berna formam Insulæ. Est autem a Meridie & Septemtrione valde profundus prospectus in subjectam decurrentem aquam; ab Ortu lenis est ascensus in summitatem civitatis. Adjacens solum omnium rerum est ferax præterquam vini, quod haud procul Bernates ex sua terra petunt optimum. Crescit etiam ab uno latere civitatis vinum, sed neque celebre, neque multum. Cetterum Berchtoldus IV hujus urbis conditor obiit, antequam civitati colophonem imponeret, ejus operis consummationem relinquens filio Berchtoldo V, & ultimo Duci Zeringensi. Hic ex uxore filia Comitis de Kiburg duos filios genuit, quos Nobiles incolæ veneno extinguì curaverunt, ob id potissimum quod arbitrabantur Berchtoldum odio & æmulatione ædificium civitatis consummasse, quo eos sub jugo servitutis continere posset. Filiis autem e medio sublatis ipse Berchtoldus valde indoluit, exasperatusque dixisse fertur. Ecce Progeniem meam veneno extinxerunt, & ego eos hac civitate inficiam usque ad exterminium, sicut & effectus inde est sequutus. Dedit enim Dux Bernam cum pagis & cum minori Burgundia Imperio. Urbs autem hæc, quia ab *Urso* nomen accepit, solet Senatus ejus perpetuo aliquot Ursos nutrire, deputato illis certo quodam loco, qui *Beren Grub*, id est, *Ursorum Fovea*, dicitur. Habent ibi feræ foveā quadratam lapidibus planis constratam, in qua masculus & fœmella servantur. Præfecturas quas Berna sub se habet tam Germanicas, quam Gallicas Mercator enumerat, inter quas *Lausanna* civitas Episcopalis. Ad hanc enim circa annum Christi 1XC Episcopatus ex Aventico Pago fuit translatus. Situm habet mirabilem; occupat enim duos oppositos colles & intermediam vallem. Cathedralis ecclesia & Canonicorum ædes tenent collem Septemtrionalem, & ex oppositо colle Meridiano patet descensus magnus ad lacum usque. Forensis vero locus est in convalle. A morte Caroli Ducis Burgundiæ, redemta a Principibus Sabaudiæ Lausanna, cives Lausannenses interim singulari familiaritate fuerunt juncti Bernatibus, usque ad annum CIↃ IↃ XXXVI, quo Lausanna cum omni circumjacēte regione ad Dominium Bernatium pervenit. At cives fruuntur interim omnibus suis privilegiis & juribus. Ad alteram hujus Tabulæ partem transeo, in qua *Friburgi* Præfecturæ etiam Bernatibus communes a Mercatore recensentur. *Friburgum* oppidum apud Nicitones situm in Uchtlandia ad Sanam fluvium, a Berchtholdo IV Zeringensium Duce paucis ante Bernam annis conditum. Regnante siquidem Lothario anno Domini CIↃ CXXVII *Gulielmus* Uchtlandiæ Comes mortuus est, ut Nauclerus scribit, quo tempore ab Imperatore Lothario Uchtlandia Conrado Zeringensi Principi committitur. Quo mortuo anno CIↃ CLII, successit ei filius ejus Dux *Berchtoldus* Zeringensis ejus nominis IV. Is utriusque *Friburgi*, *Brisgojæ* & *Vchtlandiæ* fundamenta posuit, ut supra quoque diximus, anno post Christum natum CIↃ CLII non sine privilegiorum ampliſſimorum donatione. Quemadmodum & subsequentes ex ordine Imperatores, utrumque opidum, non minore favore prosequuti sunt, quam si Imperii membra essent. Friburgum civitas apud Nicitones sita, in Uchtlandia ad Sanam fluvium, conditorem habuit Bechtolaum IV Zeringensium Ducem, qui eam exstruxit aliquot ante Bernam conditam annis. Regnante siquidem Lothario Guilielmus Uchtlandiæ comes e vivis excessit, quo tempore Uchtlādiam Conrado Principi Zeringensi commisit Lotharius Imperator. Eo mortuo in imperio successit filius Berchtoldus ejus nominis

Regio unde deducta.

Soli fertilitas.

Urbes.

Friburgum.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [311] - -

WIFLISPVRGERGOW.

minis VI. Is utriusque Friburgi, Brisgojæ & Uchtlandiæ fundamenta posuit, concessis amplissimis privilegiis ac immunitatibus. Nec minore benevolentia eandem urbem foverunt subsequentes Imperatores. Anno deinde domini CIↃ CC XVIII *Berchtoldo* V Zeringensium Duce, e vivis sublato, Friburgum Uchtlandiæ, privilegiis omnibus illæsis, ad *Comites Kyburgenses* devenit. Anno vero Christi CIↃ CC lx, *Eberhardus Comes Hasburgensis*, istius urbis habenas tenuit. Is anno Salutis CIↃ CC lxx Regi Rudolpho ab Habsburg, peringenti pecunia suum in hanc urbem, jus vendidit. Hinc Æneas Sylvius, Friburgum nobilem Austriæ domum nuncupat. Incolæ tandem earum mutationum pertęsi, non sine maxima pecuniarum VI, libertatem ab Austriæ domo redemerunt. Itaque hoc tempore, Helvetici juris est. Ejusćemodi in Friburgensi muro epitaphium invenitur.

Dum bis ſexcentis ter ſenis jungitur annus,
In Friburg moritur, Berchtoldus Dux Alemannus.

Opidum ipsum mirabilē situm obtinet; partim enim monti, præcipitibus petris suffulto impositum est, partim jacet in valle acclivis montibus clausa, circumfluitque montem, in imo per desidentem civitatem amnis *Sana* mediocris magnitudinis. Prætorium situm est in præcipiti rupe, ubi olim arx fuit, a qua temporum successu crevit civitas ipsa, supra & infra. Oppositi montes sustentant mœnia, tametsi in Orientali monte, nullæ fere domus, præter munitiones existant. Quocumque pergis in civitate, est tibi, vel ascendendum vel descendendum. Ager ejus profert omnia necessaria præter vinum, quo non nisi importato utitur. Præfecturæ Bernatum aliæ sunt Germanicæ, aliæ Gallicæ. Inter has est Lau-
Ratio gubernandi. sanna civitas Episcopalis. Post obitum Burgundiæ Ducis, redempta a Sabaudiæ principibus Lausanna, cives arctius juncti fuerunt Bernatibus usque ad annum 1536, quo Lausanna tota Bernatium facta est. Reliquæ præfecturæ Germanicæ sunt numero XXXI, quarum quatuor suburbanæ. Sunt autem *Hasli*, *Underseuwen*, *Simmia*, *Vallis superior & inferior*, *Frutingen*, *Sana*, *Aelen*, *Thunlouppen*, *Signaw*, *Drachselwald*, *Emmæ fluvii Vallis*, *Brandis*, *Sicomiswald*, *Burgdorff*, *Bierenech*, *Landshout*, *Arberg*, *Nidow*, *Erlach*, *Bippium*, *Wangen*, *Arwangen*, *Arburg*, *Biberstein*, *Schenckenbergh*, *Lentzburg*. Insuper tria libera opida in pago Verbigeno Bernæ subsunt, *Zoffingen*, *Araw* & *Bruck*. Cœnobiorum, præfecturæ novem, quarum sex civilem quoque jurisdictionem habent. Gallicæ octo quæ sunt Aventicum, *Wiflisburg*, nunc *Avances* Gallis, *Minnidunum*, *Movilden*, *Yverdon*, *Morges*, *Novidunum*, *Nyon*, *Oron*, *Zilia* cum *Vibisco* seu *Viven*, nec non tres cœnobiorum præfecturæ. Friburgensium præfecturæ sunt *Mortem*, *Schwartsenburg*, *Granson*, *Chalan* sive *Chersin*. His alternis vicibus modo Bernates modo Friburgenses prę-
fectos constituunt. Genus Reipublicæ est in his, quale *Forma reipub.* in iis urbibus Helvetiæ, quæ non sunt distributæ in cer-
tas Tribus ex quibus Magistratus pari numero deliguntur. In his autem urbibus summum Magistratum & caput publici Consilii vocant, *ein Schuldtheſſen*. Vox hæc Germanica in Longobardorum legibus usurpatur, & *Schuldahis* scribitur: videtur autem etymon vocis esse a debito, id enim *Schuld*, & jubendo, quod videlicet *Schuldahis* debitoribus imperet, ut creditoribus suis satisfaciant. Iste in hisce urbibus summam auctoritatem & potentiam obtinet. Consilia hic publica etiam duo sunt, Majus & Minus: Majus consilium Bernæ sicut & Tiguri nomen habet ducentorum, quamvis plures sint ducentis. Minus vero consilium Bernæ est hominum XXVI. Senatus eligendi ratio hæc Bernæ servatur. Quatuor urbis Signiferi ex omni civium numero viros XVI expertæ fidei & virtutis sibi adjugunt: atque hi XX viri una cum Consule Majorem Senatum deligunt: ac postea etiam Minorem. Consules quorum præcipua dignitas, ab utroque Consilio communibus suffragiis eliguntur. Friburgi itidem Majus Consilium CC hominum, minus XXIV. Administrantur autem a Minore Senatu Res urbanæ ac provocationes subditorum adjunguntur, præterquā ex Præfecturis Sabaudicis postremo bello captis. Quæ autem ad totam Rempub. pertinent, maximique sunt momenti, ad ducentos seu Majus Consilium referuntur. Consul qui utrique Consilio præsidet, ab universo populo deligitur. Comitatus hic sunt *Numburg*, Nudow, *Arberg* & Baronatus *Balm*.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [312] - -
PUBLIC DOMAIN

LACUS LEMANUS

Vulgo le Lac

DE GENEVE.

Lacus Lemanus quibus regionibus conterminus.

IN hac Tabula prima fronte *Lacus Lemanus* in confiniis Ducatus Sabaudiæ, Comitatus Burgundiæ, Dominatus Helvetiæ & Epiſcopatus Valeſiæ conſpicitur. Circa Lacum vero nomina Regionum, Præfecturarum, Baronatuũ, Ditionum, itinerum, fluviorum, montium, urbium, pagorum, caſtellorum & caſtrorum leguntur. Sabaudiam incolunt Populi Ciſalpini linguæ Gallicæ non imperiti, qui olim *Allobroges* dicti ſunt, teſte Iulio Cæſare Commentariorum iuitio, ab *Allobroge* Galliarum Rege qui florebat anno Mundi circiter 2433, noti & victoria Fabii & Catalinæ conjuratione; ac poſtea Bagaudæ, teſte præſtantiſſimo Antiſtite Fauchetio, & tandem Sabaudi nuncupati ſunt, Gallice *Savoyſiens*, Sabaudice *Savoyarde*. Illam Regionem ab anno Domini CIↃ CXXVI Comites; & ab anno Domini CIↃ CCCCXX Duces hactenus rexerunt. Eadem Regio fertur a Legione Latronum primum diuque culta. Verum hodie tuta ſunt ibi & ſecura tempore pacis itinera. De cœli temperie conqueruntur incolæ; attamen fere nunquam congelatur Lacus nec Rhodanus. Intenſior calor in Delphinatu percipitur & frigus mitius quam in Germania inferiore ubi flumina frigore conſtipantur. Solum circumquaque fertile & fecundum. Nec enim aut vina hic deſideres, nec ſegetem, nec Leguminum varia genera. Etiam fructus vulgares hic reperias, nuces, poma, pyrorum diverſas ſpecies, ceraſa, mora, caſtaneas, amygdalas, ficus non ita copioſas. Abundat tritico, piſis, rapis, caulibus, faſeolis, melonibus, porris, cepis & fabis, necnon hordeo, fœno, avena atque aliis frugibus. Iucunda quoque adeſt varietas tum cœleſtium tum aquatilium, tum terreſtrium animalium. Wandalæ Helvetici Lauſannam & vicina loca colentes ſubditi ſunt Illuſtriſſimorum Dominorum Bernenſium ditioni, quorum nomine Præfecti per quinquennium magna cum authoritate clavem & clavum Rerum publicarum tenent. In Præfectura Lauſannenſi ſingulis annis xlv Verbi Dei miniſtri non imperiti, ſemel atq; iterum congregantur. In Præfectura vero Morgiẽſi circiter xxx. Et in Verbigenenſi ſeu Orbenſi XVII. Quorum maxima pars duarum vel trium Eccleſiarum curam gerit.

Imperii vices.

Cœli temperies gravis.

Soli ubertas.

Lauſannæ origo vetuſtiſſima.

Secundum vetuſta Chronica, Anno Mundi 2790 *Lauſannæ* fundamenta jecit Arpentinus Herculis Centenarius, a quo derivatum eſt antiquum ejus nomen *Carpentras*, quod mutatum eſt cum transferretur in montem civitas, circa tempora Martini Epiſcopi Lauſannenſis. Anno Domini IXXIII, Schola celebris eſt & bibliotheca à Patribus inſtructa. Urbs *Neviduni*, olim *Benevis* vulgo dicta, ante adventum Iulii Cæſaris deſolata & diruta, Imperatoris Flavii Veſpaſiani tempore reſtaurata fuit a quodam ejus Centenario nomine Nyon. *Coſſonex* Anno Domini CCCCXLII ſtructum eſt. *Albona* vero anno D CCCCLVI & ſequentibus condita. Sita quoque ad Lacum eſt *Geneva*.

Qua rapitur præceps Rhodanus, genitore Lemano.

Civitas equeſtris, libera & Imperialis, in qua cuditur Moneta alba & nigra, ſatis nota & probata, primum vocata eſt *Genevra*, ut nonnulli exiſtimant, quoniam juniperi loco in colle ſita eſt, quem ſitum ei dedit *Lemannus* (pater Alemannorum ſeu Germanorum) Priami nepos, Paridis filius, anno mundi 2994. Poſtea vocata eſt Aurelia ab Aureliano Imperatore, quoniam Reſtaurator fuit ejuſdem civitatis, quæ Heliogabali temporibus funditus combuſta fuerat. A Iulio Cæſare ſeu Latinis vocata eſt *Geneva*, a Poëtis, metri cauſa *Gebenna*, nec non a Notariis, & Germanis *Genf*, a Gallis *Geneve*, cujus anagramma peraptum eſt *VENGEE*. Etenim multoties ab hoſtium injuriis & proditorum aſtutiis cœlitus vindicata eſt, ac præſertim XII ſeu, XXII Decẽbris CIↃ IↃCII. Agrum habet fertilem, vineta uberrima, pontem etiam ligneum, quo partes urbis cis & ultra Rhodanum connectuntur.

Rhodani caput eſt in vertice montis Furcæ, qui pars eſt montis Gothardi in Valeſia, loco gelido, nivibus perpetuis & glacie obſito. *Caſtellum Morgiarum* anno Domini CIↃ CXXXV ab Imp. Clotario conſtructum eſt. *Aquianum*, vulgo *Evian*, a Petro Sabaudiæ Comitis Amedæi fratre & Vicario conditum eſt anno CIↃ CCXXXVII. Lacus formam ſi ſpectes, ad lunatam accedit, gibbo enim ſe inſtar hepatis, incurvat. A Geneva urbe Genevenſis quoque dicitur ex parte Helvetiæ in longitudinem XVI; ex parte vero Sabaudiæ XII; & in latitudinem IV miliarium ſeſe extendit. Portus habet frequentes ad minimum XVI. Ex portu Morgienſi & Rotulenſi, vulgo *Rolle* vinum deportatur optimum: ex portu vero Promontorii, vulgo *Pormentou*, & Neronis, vulgo *Nerny*, magna copia ligni & carbonis Genevam advehitur. *Rhodanus* Lemanum interfluens ab origine ſua uſque ad introitum Lacus non eſt patiens navium, neque a Ponte Helveticо ſuburbii Genevenſis uſque ad proximum opidum nomine *Seſſel*, quod VII milliaribus ab urbe diſtat. Idem fluvius certo loco V milliaribus ab urbe in barathrum ſubterraneum labitur. Conterranei Fluvii in Lacum Lemanum fluentes ſunt etiam Navium impatientes, variis de cauſis. Rivus Lauſanam interfluens olim *Carma* dictus eſt, & inverſis ſyllabis, *Macar* quod apud Homerum felicem ſignificat.

Forma Lacus.

Montes hic videas variis indigitatos nominibus. Inter illos *Iuraſſus* qui tantæ eſt longitudinis, ut ejus incolæ a Germanis olim *Longimani* dicti ſint. Nam ex ejus extremis cacuminibus conſpiciuntur templa, hinc Genevæ inde Baſileæ, quæ tamen quatuor aut quinque dierum itinere ab invicem diſtant. In eo ſpectatur cum admiratione *Petra pertuſa*, item *Caſtellum Puellæ* ſeu *Virginis* a Iulio Cæſare conditum: Item *S. Claudii Opidum*, quod a claudis e longinquo nomine Religionis inviſitur. Item Fons niveus æſtivo tempore: item Puteus naturalis inſtar theatri latus, inſtar Templi mediocris altus; & inſtar antri obſcurus, nive & glacie ac criſtallo plenus. Non procul a Lacu Lemano ex parte Saubaudiæ conſpiciuntur montes media æſtate nive cooperti. Eſt quidam mons uno milliari ab urbe Geneva diſtans, quem nonnulli non ſine horrore conſcendunt per gradus arte plus quam humana e rupe ſciſſos, ſtrictos, & fere innumeros. Sunt qui ſupremo gradui pedem adponentes, identidem a conſpectu horrendi præcipitii regreſſi ſunt. Eſt alius Mons non procul ab Aquilæ opido verſus Valeſiam, de cujus ſtupendo caſu & effectu legatur Hiſtoria in Hiſtoriis memorabilibus noſtri temporis, capite Terræmotuum, nuper Gallice in lucem editis Lutetiæ Pariſiorum. Mons S. Sergii fertiliſſimus eſt inter cæteros Chablaſii, inter quos alter etiam fertilis eſt. Cæteri nihil niſi ligna ſeu arbuſcula ferunt cum paſcuis vaccarum,

Montes.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [313] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [314] - -

rum, quæ in planitie montium æstivo tempore saginantur, & lac uberrime reddunt. Cæterum quis enumeret casus & res memorabiles in iis tempore belli gestas? Quantum & quam formidabile præcipitium montis Mustruacensis, in quod singulis annis multi equi onusti ac nonnulli mercatores præcipites ruunt? De rupibus instar dentium aut ensium acutis acutiori stilo est scribendum, aut silendum. De radicibus Aquianensium montium notum est, eas ignotas esse, propter altitudinem

Sylvarum utilitas.

Lacus, e cujus imo originem trahunt. Sylvarum maxima pars pauperibus & divitibus castaneas suppeditat, porcis & suibus glandes, igni ligna vili precio, agricolis curricula & aratoribus aratra.

In his locis nullæ aut paucæ sunt ædiculæ Sanctorum reliquiis venerabiles propter exulatam Religionem Pontificiam. Supersunt quidem templa sumptu & artificio magnifica, imprimis Lausannense marmore nigrecens interius, necnon Genevense perantiquum albo ferro refulgens, semel atque iterum fulmine ictum, ita ut crux plumbea combusta sit & turris alta demissa, quod ante Caroli Magni adventum exstabat. Adde templum Viviacense inter vineas extra urbis mœnia locatum, & Morgiense nuper adornatum. Sed ibi simulacra delata sunt. Remanserunt quidem sepulchra in templis, sed ab anno Domini CIↃ IↃXXX nemo amplius sepultus est in iis, ne Calvinus quidem, cujus sepulchrum in communi Dormitorio non magis apparet quam corpus Mosis in monte, de quo loquitur Apostolus Iudas. Non deest Genevæ Orphanotrophium nec Nosocomium: sed utrumque includitur Xenodochio, in quo habitat Catechista & Pædagogus in consolatione ægrorum precibus vigilans, quod etiam proprium Medicum & Pharmacopolam habet. Curia Municipalis Genevensis in

Magistratus.

qua quotidie viginti quinque prudentes & pii Senatores Reipublicæ causa conveniunt, in qua etiam membranæ scriptæ cum codicibus asservantur, noctu a civibus ipsis custoditur. Ex una parte portæ collocata est Sedes Iudicii, vulgo *Tribunal*, magnifica. Ex altera parte portæ prostat monumentum notatu dignissimum de tempore, occasione & mediis renovati status. Armamentarium egregie instructum prope curiam ostenditur. In eadem civitate multa sunt propugnacula eminentia & bombardis munita. Arces multæ sunt & fuerunt in hac Regione, quarum una S. Catharina dicta, in qua reposita erant instrumenta bellica ad obsidionem Genevæ parata & illuc adducta an. CIↃ IↃXC. Capta est a Rege Henrico quarto ejusque jussu diruta, anno D. CIↃ IↃC I. Altera quæ opportune in oppositum ab ipsis Genevensis erecta erat, pacis & parsimoniæ causa in chaos redacta est. Tertia vulgo *Ripaille* dicta, auxilio Gallicarum cohortium in potestatem Genevensium venit anno CIↃ IↃIXXXIX & desolata est, ut & quarta, quæ erat Versovii quum ab iisdem Genevensibus capta est. Nonnullæ ibi sunt Turres affabre & ingeniose erectæ, inter quas una dicitur *Turris Magistra*, quæ Genevam ex parte Lacus & Sabaudiæ defendit: alia dicitur *Turris Insulæ* vel *Cæsaris*, quæ in alta Insula sita est ad defensionem pontis olim ad Helvetios pertinentis, & ut fertur ab eodem Imperatore constructa est. Ratio munitionis optima est Genevæ, ut semel compertum est. Nam extrema fame premi ab hostibus non potuerunt: quoniam Lacus alluens & Rhodanus interluens optimos eis & plurimos pisces suppeditant. Nec ipsis munitio nitrati pulveris deesse potest, quandoquidem ibi quotidie conficitur aut confici potest. Statuta & Leges Reipublicæ Collegiique Genevensis leguntur in libro impresso. Magnus est in his locis Nobilium familiarum numerus. Quod attinet

Viri docti.

viros ingenio & artium scientiarumve professione celebres, non pauci sunt qui suis scriptis Theologicis & Philosophicis claruere; Petrus Viretus Verbiginensis, Guilielmus Farellus, Ioannes Calvinus, Antoninus Sadeel, Petrus Cevalerius, Nicolaus Colladonus, Cornelius Bertramus, Alberius, Alizetus, Sequierius, Bucanus, qui omnes superiori seculo Genevæ, Lausannæ, Morgiis & Albonæ Pastorum atque Professorum munera diligentissime diuque obierunt: quibus succedunt in scribendo clari Theodorus Beza Veselæus, Simon Goulartius, Silvanertinus, Antonius Faius, Ioannes Iacomotus Pastores; Iacobus Lectius Senator, Ioannes Deodatus Genevensis Linguæ Sanctæ & Theologiæ Sacræ Professor, Isaacus Casaubonus regius Linguæ Græcæ Professor, & Gasparus Laurentius ejusdem Linguæ Professor. Cæterum Bibliotheca publica Genevæ multis eximiis manuscriptis ornata est. Lausannensis vero

Bibliothecæ.

Patrum & aliorum præstantissimorum Theologorum opuscules instructa est.

Quod vulgus attinet, a barbarie videtur alienum: etenim magno amore & honore advenas colit & excipit: peregre trutas ponderosas, capones pingues, caseos bonos, aurea filia & setam inter cæteras merces mittit.

Incolarum indoles & mercimonia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [315] - -
PUBLIC DOMAIN

ARGOVIA
VVLGO
ARGOW.

Regio.

HELVETIOS in quatuor pagos distinctos fuisse scribit Cæsar. Ad eos pertinet *Argovia*, vulgo *Argow*, pars fuit *Regni Transjurensis*, quod, quicquid a Iura monte ad Alpes usque excurrebat (quod quondam Helvetii, Rauraci & Allobrogum pars, hodie vero Sabaudiæ Ducatus, ac Uchtlandia, Brisgovia, Suntgovia, Cremerlandia & Tigurensis præfectura sive Helvetiorum pagi tenent) comprehendebat. Hac autem tabula *Lucerna, Vren, Swytz, Vnderwald, Glarona* pagi pro maxima sui parte continentur. *Lucerna* Helvetiorum urbs, quam Meyerus *Lacocernam* nominat, sita est ad fluvium Rusam qua is effluit ex lacu amplo, & per quem ad tres pagos navigatur, ad pedem altissimi montis, quem *Fractum & Pilati Montem* vulgo nuncupant. Scribit Munsterus *Lucernam* Monasterium juxta lacum, quem hodie Lucernensem vocant, fuisse olim constructum a presbytero quodam *Wigardo* nomine, qui frater fuit Ruperti Ducis Alemanniæ & Sueviæ, tempore Ludovici Regis, anno circiter ıɔcccxvı, aut tempore Ludovici II anno ıɔcccxl. Civitatem vero post Monasterium & partim ratione Monasterii esse conditam. Id quod in multis oppidis quoque videre licet, quæ juxta monasteria successu temporum succreverunt. Locus urbi commodus est, quod hac iter sit in Italiam per Alpes Lepontias, quem *Montem S. Gothardi* hodie nominant; hinc merces ad Alpes subvehuntur, indeq; in Italiam clitellariis jumentis, & vicissim Italiæ merces per lacum & Rusam fluvium in Rhenum ac porro in Oceanū descendunt. Habent autem Lucernates majorem fere commoditatem ex lacu, quam ex adjacente solo, tametsi eximia quoq; habeant prata & pabula pecoribus nutriendis idonea. Urbs est satis amœna & elegans, dignitate ac opibus par multis: commune emporiū Suitensium, Uranorum & Transilvanorum. Origo ejus incerta est: utrimq; ad flumen extitisse castella singula traditur (hodie sunt civium ædes) quæ ab Alemannis extructa creduntur. Urbs nomen accepisse videtur a Lucerna quæ forte illic in usum navigantium noctu ponebatur, atque huic officio inservisse turrim illam vetustam, quæ ad superiorem pontem hodie ab aquis nomen habet, qualis & Tiguri cernitur a fluctibus *Wellenberga* dicta: *Pharos* Antiqui turres hujus generis appellarunt. Tradunt Annales domestici Lucernates Carolo Magno adversus Saracenos militasse, & ab eo cum privilegia quædam consequutos, tum cornuum usum, quibus adhuc classicum tempore belli canunt. Penes Canonicorum collegium maxima hic quondam potestas fuit, quod in potestatem deinde Abbatis Murbacensis ex donatione Pipini Regis pervenit. Hinc *Albertus Austrius* Imperator Lucernam a Murbacensi Abbate emit: sed non ita multo post, Lucernates sub Austriorum imperio, gravibus oneribus pressi, pacis & libertatis amore anno cıɔ ccc xxxıı fœderi nomen subscripsere. Præfecturæ Lucernarum duæ sunt, in quibus præfecti ibidem habitant Wikensis & Sempach. At præfectus hujus nullum jus in oppidum habet, tantum lacui & venationi præest. Reliquas administrant Senatores in urbe manentes, quæ sunt *Willisow, Chelamt, Merischwanden, Waggis, Ebicona, Horba, Krientz*. Item duæ urbes Sursejum & Sempachium in clientela sunt Lucernatum: habent tamen proprium Conciliū, quod causas tam civiles quam criminales judicat, sed Princeps concilii Sursei, *Schultes* dictus, jusjurando se Lucernatibus obstringit. Sequuntur *Pagi Vriorum, Vraniorum* sive *Vraniæ*. Hujus incolas tempore Julii Cæsaris appellarunt Romani *Taurisços*, & nomen *Vri* quo hodie nuncupantur, putatur originem duxisse ab *Vranis*, quos Veteres *Taurisços* (Ortelius *Taurinos* ab Antonino vocari putat) nominaverunt, sicut & in hunc usq; diem *Siebentalenses* Tauros vocant *Vros* more veterum Germanorum. Deinde & Regio ista habet nigrum tauri caput in campo croceo, quo pro insignibus utitur *Suitiorum* sive *Suitiæ*. *Suitia* sive *Suicia* oppidum universæ Helvetiæ nomen communicat: nam ab iis primum ædificatum est, qui novis quærendis sedibus ex Sueciæ regno huc profugerant. Ex tribus pagis est unus, qui contra nobilium insolentiam fœdere conjuncti fuerunt; robustos belloque potentes homines edit, qui frequenter hostibus incusserunt terrorem. Ex iis rebus quæ terra compascua ex se fundit, fere omnes vitam sustentant. Ab hoc oppido sive pago exteri Helvetios *Suitzeros* vocant, vel quod primo pro libertate in ipsorum agro pugnatum sit, vel quia diutissime cum Eremitanis contenderunt, & primi omnium ex pagis tribus Austriorum irruptioni expositi fuerunt, & inter tres pagos maxima eorum fuit potentia, nomine eorum ut celebriori, reliqui etiam pagi sunt comprehensi, & ab his deinde nomen ad omnes confœderatos dimanavit: vel denique quod initium confœderationis fecerint Vri, Silvani, Suitenses in horum oppido; *& inferioris Sylvaniæ* quæ vulgo dicitur *Vnderwaldia*. Hic liberæ conditionis pagus mutuo societatis fœdere Suitiæ & Vraniæ junctus, anno Domini cıɔ ccc xv. Naturali Alpium vallo circumseptus pascua habet amœna, pecoribus alendis perquam idonea, unde magnas opes Sylvaniæ incolæ percipiunt. Cæterum Uri, Suitenses, Sylvani seu UnderWallenses, etsi monasticarum familiarum Abbatibus certis pactionibus subditi erant, tamen sua quadam libertate gaudentes Præfectos accipiebant ab Imperio, quos *Voitos* appellant, fortasse a Græco nomine βοηθὸς, prorsus ut olim præfecturæ Romanorum. Horum idem munus erat, quod in his terris *Burgraviorum*: penes illos enim summa judiciorum publicorum, & vitæ necisque potestas erat. Formam gubernationis reliquam mansisse ex antiqua Romanorum Monarchia conjicio, in qua præfecturæ suis non vivebant legibus, neq; ex suorum numero creabant Magistratus, sed hos a Senatu aut Monarchis accipiebant. *Glarona* vel *Clarona* vulgo *Glaris*, Helvetici fœderis vallis ac Regio; juxta Limagum fluvium non admodum ampla, longitudine ıɪɪ milliarium Germanicorum, nomen habens a præcipuo totius regionis vico, cincta tribus partibus altissimis Alpibus, a Meridie & Oriente Rhætos, ab Occasu Uros & Suitios attingit, a Septemtrione castra Rhætica dictam regionem, qua Limagus vallem egreditur. Hujus regionis jurisdictio, una cum quibusdam proventibus, fuit tempore S. Fridolini per Comitem quendam donata monasterio Seckingensi, ætate scilicet Clodovei primi Francorum Christiani Regis, nempe anno Domini ıɔ, qui primus Francorum Rex fuit, qui in Rhætia, Alemannia & Helvetia imperavit. Consecuta est hæc terra posteris temporibus suam libertatem & propriam jurisdictionem, adjunxitque se fœderi Helvetico anno Domini cıɔ cc lıı. Vivunt incolæ, lacte, caseo, butyro & carnibus: ibi inter angustias

Lucerna.

Imperium Majorum.

Vriorum pagus.

Suitiorum pagus.

Suicia oppidum.

Vnderwaldia pagus.

Glarona.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111.2, [317] - -

montium, nulli aut pauci feruntur agri, raræ plantantur vites, hortos pomiferos habent & prata lætissima. Vinum & frumentum aliunde invehuntur, pisces lacus ministrant, aves carnesque ferinas montes silvosi suppeditant. Patriam hanc Henricus Glareanus & Ægidius Tscudus, doctissimi viri, ortu nobilitarunt. His accensentur *Hamburg Comitatus*, *Humburg Baronatus & Ringenberg*. Distribuitur hic pagus in partes xv. Cum Suitensibus alternatim Præfectos mittunt, Usenacum, Visnac & in castra Rhætica *Wesen*. Inter lacus primum & quidem miraculi causa memorandus *Lacus Pilati* cognomine, qui in monte, quem *Fractum* vocant, haud procul Lucerna pene in summo montis jugo, paludinoso solitarioque situs, silvis undique circundatur, ne scilicet a quoquam irritetur. Ferunt enim, quæ in eum de industria injiciuntur maximas ciere tempestates omniaq; undis opplere, quæ sæpe tentarunt experti: quæ vero casu incidunt nihil adferre periculi, quasi lacus humano sensu intelligeret, culpa carere quod fit casu. Capit res fidem, quod pacatum irritare ausos, mox capitali adfectos supplicio ob illatam adcolis calamitatem commemorent Lucernates. Locus est visu horrendus, aqua suo alveo incluſa, nec exitum habet, nec flumen in se recipit aliquod, nec nivibus nec pluviis augetur: vento etiam minime agitatur, quin semper sibi similis nigras suas tuetur undas, nec fas est peregrinis eum adire locum, ne temere quid injiciant, unde vicina periclitetur regio. Inter flumina vero quibus hæc Helvetię portio irrigatur, sunt *Limagus*; hic apud Claronenses oritur, ac in media ipsorum regione Serniphium alterum ex altera valle delapsum amnem accipit. Deinde infra *Vrnas* (duorum vicorum nomen est) supra *Latericium pontem* (ita vocant) ex lacu Vesenio accepta aqua, *Marcham* (qui olim Helvetiorum in Rhætos finis & Helvetii ita *Terminum* vocant, ac castra Rhætorum & huic loco etiamnum nomen manet *Gastra*) disterminat. Hinc lacum Tigurinum ingressus ad ostia ejus Tigurum amplissimã Helvetiorum urbem dividit: mox *Aquas*, memorabilem in Helvetiis locum propter calidas illic aquas, Græci *Thermas* vocant, delabitur. Deinde haud ita longe Ursæ ac Arolæ miscetur, *Vrsa* sane, quem fluvium transpositis duabus prioribus literis vulgo *Rusam* vocant, in summis Alpibus quibus hodie *S. Gothardi* nomen est oritur, ac recta ad Septemtrionem labitur, quum contra *Ticinus* ex eodem jugo per Leopontios in Meridiem, Ursulam sive Ursellam primum vallẽ Rhæticam, deinde Vriam Tauriscorum, gentis Gallicæ reliquias, venit; ubi lacui miscetur, qui Vros, Suizos, Silvanos ac Lucerinos, quatuor Silvæ civitates (nam ita appellantur hodie) alluit. Porro Tugini amnibus susceptis Bremgartem ac Melligem (oppida sunt ditionis Helveticæ) lapsus infra Brugas Arolæ commiscetur: ad confluentem autem tria Helvetiorum flumina *Limagus*, *Vrsa & Arola* in Rhenum exonerantur.

Lacus.

Flumina.

Summa potestas in his pagis est penes consilium totius plebis: conveniunt autem omnes totius regionis cives qui annum ætatis XIIII, aut XVI excesserint. Habentur vero publici conventus vel in præcipuo vico totius regionis, vel in aliquo loco qui in medio regionis situs videtur. Ex partibus, æquali numero e singulis, Senatores qui toti regioni consulant deliguntur, atque in plerisque pagis Helveticis LX viri consilio interfunt, præter eos qui publicis honoribus functi, Senatores deinceps perpetuo manent. Porro nemo in Senatum deligitur, nemo etiam consilio plebis interesse potest, nisi qui fuerit civis ejus regionis, *ein Landtsman*, atque facilius est in urbibus jus civitatis assequi, quam in his pagis, non inhumanitate aliqua ipsorum; multos enim inquilinos habent, quos summa benevolentia & humanitate complectuntur, sed quod certo consilio & more Majorum, veteribus colonis regionis novos admisceri nolint, ut facilius in eodem statu Respublica maneat & mutationes caveantur.

Ratio gubernandi.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [318] - -
PUBLIC DOMAIN

RHAETIA
FOEDERATA
cum terris ei ſubditis.

Rhati unde orti.

RHÆTIA nomen ſuum à Rhæto, Thuſcorum Duce, ſortita eſt, qui à Gallis Italiam invadentibus agro ſuo inter Alpes & Padum jacente pulſi, Rhæto duce in altiſſimos montes, populoſque Alpinos Tauriſcos ſe contulerunt. Quibus aſſociati in valle Tumuliaſca (quæ à pago Tumilio tumuloque eminenti prope caſtrum *Ottenſtein* ſic dicta eſt) oppidum condidere, quod à patriæ jam derelictæ nomine Tuſciam (Tuſſanam) vocaverunt, uti etiam tria caſtra, in honorem Ducis ſui Rhæti, Rhætiam altam, Rhætiam imam, & Rhætium, nec non arces alias complures. At horũ poſteri auſteritate forſitan aëris & montium acriores facti, nullam dilatandorum finium occaſionem neglexere, verum occupatis Atheſis Abduæque fontibus mox ſecundæ fortunæ aurâ elatiores ulterius progreſſi ſunt ad utrumque lacum, Acronium nempe hodie Bodanicum; & Ripanum ſeu Walenſtadienſem; & ab altero latere Comum, Veronam, Tridentum uſque. Ac ſic factum, ut caput Rhæticæ gentis Tridentum fuerit, uti poſt Vindelicorum, Auguſta; vaſtiſſimiſque ſpatiis habitaverint Rhæti, quorum longitudo inter Rheni & Plavis amnium fontes, milliaria complectebatur circiter ducenta: latitudo vero inter Schuazium oppidum & Veronam, centum & viginti Italica. Domiti poſtea victique fuere ab Auguſto, exercitus in eos ducentibus Druſo & Tiberio privignis. In alpini autem Rhæti, ad originem Rheni & Ceni conſidentes, non omnino victi, ſed tantum hinc inde palantes repreſſi fuere. At imperio Romano deficiente, Gottiſque & Longobardis ac Hunnis miſerè Italiam vaſtantibus, eandem belli fortunam cum Italis experti fuere. Anno ſiquidem 680 regnante Childerico Francorum rege, Hunni inter alias Regiones Rhætiam quoque uſque ad Diſertinum Monaſterium crudeliter ferro & igne depopulati ſunt.

Latius olim tenuere Rhati

Fœderum initia & progreſſus.

Cum autem inter ſtatus & reſpublicas, fœdera, ad conſervandam αὐτονομίαν, liberamque juris adminiſtrationem, ac propellendam hoſtium vim, iniri ſoleant: gens quoque Rhætica diverſa cum diverſis, prout ſe dabant occaſiones, fœdera ſanxer e

Anno 1282, Fredericus è comitum Montfortiorum familia Epiſcopus Curienſis, fœdus cum Petro Epiſcopo Sedunenſi iniit. Anno 1400 Joannes Abbas Diſertinenſis cum capitulo & communitatibus Abbatiæ Vldericus Brunus, Baro Rhætii, cum filiis Ioanne, Henrico & Hulderico, aliique cum aliis fœdera ſtabilivere. Anno 1402, pax inter Epiſcopum Curienſem, ejuſque Cathedrales & Glaronam, Suitiam, Entlibuoch & Agriam ſtabilita fuit. Cumque Rhætiæ ſtatus propter plurimorum Regulorum violenta imperia miſere vexaretur, provectiores aliqui ac optimates Rhætorum perpetuum inter ſe fœdus pepigere in pago Troni, quod *Gryſæum* ab illo tempore dictum fuit, factumque id anno 1424. Cathedrales quoque communitates aliquot, primum certis formulis ſe mutuo obſtrinxerunt, ac poſtea fœderi Gryſæo ſe junxerunt. Hoc ipſum cum civitate Curienſi & Quatuor pagicis (die vier Dörffer) fœdus feriit. At *decem Iuriſdictionum* homines, ut tuti magis eſſent, unita vi, in commune quoque fœdus ac mutuum patrocinium conſenſere. Nec ita diu poſt cum Cathedralibus & paulo poſt cum Griſeis anno 1471 ſe junxere.

Eodem anno omnia tria Fœdera indiſſolubili nexu, liberrimę αὐτονομίας ergo in perpetuum ſe colligavere, in loco Bellofortenſis Juriſdictionis, *Vazerolo*. Acceſſere aliquot poſt annis Vallis Tellina, Comitatus Clavennæ & Dominium Bormii, armis Rhætorum ſubacta, cum ea ſuæ eſſe ditionis & juris prætenderent.

Rhæti ergo Griſones Trium fœderum, jam pacati poſſeſſores harum regionum facti, anno 1530 in teſto D. Matthæi fœdus ſuum perpetuum ampliori forma comprehenderunt, ſanctione addita, ut ſingulis duodecim annis juramento renovetur.

Rhætia limites.

Hujus itaque Rhætiæ Inalpinæ confœderatæ, ſubditarumque ei terrarum termini hi ſunt. Ab Oriente habitant Vennones (*Vallis Venoſta*) quo loci inter Monaſterium (*Münſter*) pagum, & Tuberium (*Taufers*) crux terminalis eſt. Iuriſdictio tamen civilis Rhætica ulterius abit, multis Fœderatis Rhætis extra dictum terminum habitantibus. Præterea ab eadem plaga Oenanos (*Inthaler*) vicinos habent; quo loco Rhætia à ſiniſtro latere uſque ad Pontem Martini extenditur; à dextero autem latere ea patet uſque ad rivum *Schergenbach* dictum, qui communis terminus eſt. A Solis denique Ortu vicinas quoque agnoſcit Vallem Stilviam, & Vallem Solis, ubi ſummi montium vertices pro limite ſunt. Ab Occidente porro Rhætiæ fœderatæ adjacet Comitatus Beltionenſis, ubi rivulus de Lumino; & ſummitates Grainæ & Lucumonis (qui nunc Sanctorum Mariæ & Barnabæ nominibus notus eſt) & denique Criſpaltæ, Vepchæ, Mærchæ, terminum ponunt. A Meridie Rhætis Fœderatis contermini ſunt, primò Larii Lacus accolæ. In planitie, à Vallis Tellinæ parte, infra pagum Plantedium locus eſt, Il *Sanchietto* dictus, qui per rectam lineam, crepidinem montis in cacumen ſecat; hinc Abdua; à parte Comitatus Clavennæ in continenti quidem, locus ad lacum Mezolæ eſt, *La Porta*; in lacu vero ipſo Mezolæ, ſeu Clavennæ, ſaxum ſupra Datium, *le Saſſo d'Olciaſco* dictum. Præterea cacumina montium Vallis Saxeæ, Mediolanenſis Ducatus & jugum montium, verticeſq; Vallis Brembanæ, Serianæ & Scalviæ, Bergomatum, & Vallis Camonicæ, Brixienſium, Venetæ ditionis populorum. Septemtrionale latus ab una parte claudunt cacumina Rhæticonis montis, à cujus tergo Montefuniani, Auſtriacæ ditionis, habitant. In Planitie vero Fons S. Catharinæ infra clivum S. Lucii, ab Eſtionibus, Valledulcianis, Comiti ab Alto Amiſio parentibus, Rhætiam fœderatam interſecat. A parte vero altera cum exigua rupe aliquantum infra pontem Rheni regiæ viæ imminente, ſurſumque, in ſummitatem montis S. Margaretæ tendente: tum inferius, ipſo Rheno flumine à vicino comitatu Sarunetum, terminatur. Atque horum limitum ubique certi termini poſiti extant.

Figura.

Figura Rhætiæ ſimilis eſt formæ piſcis ſoleæ, ſeu paſſeris marini extenſi, Germani Platiſſam vocant. Mons eſt ſitus inter Amiſium, Scheidium & Umbilicum, in cujus cacumine Tria fœdera collimant, de quibus diſtinctius jam loquendum.

Fœdus Griſeum.

Fœdus Gryſeum, quod etiam ratione ſitus ſuperius vocant, octo conventus magnos habet. Iuriſdictiones minores olim erant XXII. Nunc vero numerantur XIII, poſtquam videlicet Alto-Trinum à Tamnio ſeparatum eſt. Ac totidem etiam ſunt Miniſtrales. Ordinem in comitiis Trium fœderum, quoad præeminentiam, hunc ſervant. Diſertinum, Vallis Leguntina, Longonezza (Fovea Ilantii & Davoſii, in Comitiis Foveani: Le-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [319] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [320] - -

guntinos; Troni vero & Curia, Leguntini Foveanos præcedunt) Flemium, Vurtium, Rhetiam, Superſaxum fœderis Gryſei, Laaxium, Vallis Rheni, Sexamnium, Thuſcia, Montana, Scleveniũ, Altum-Trinum, ſeu Trimontium, Taminium, Vallis S. Petri, Stuſſavia, Cepina, Tenna, Miſaucum, Rogoretum & Calaucha.

Fœderis Cathedralis, ſeu Domus Dei, ut appellant, undecim Conventus magni ſunt. Iuriſdictiones vero viginti & una. Ordo in Comitiis Generalibus hic eſt: Curia civitas, quæ Præſidẽ fœderis habet, Vallis Prægallia, Furſtenovienſis, Juriſdictio in Tomiliaſca, Supra ſaxum cum imo caſtro, Engadina ſuperior, Ortenſteniana, Iuriſdictio in Tomiliaſca, Engadina inferior, Bergunium, Vatium ſuperius, Quatuor-pagici ſeu viciniæ, Peſclavium Eremuſium, Bivium, Averſa & Vallis monaſterii.

Fœdus decem Iuriſdictionum.

Decem juriſdictionum fœdus ita dictum eſt, quod, cum ſeptem tantum Conventus magni ſint: tamen trium poſteriorum quilibet in duas minores Iuriſdictiones dividatur; quarum una; Alvonovana, hodie in duas quoque alias ſubdiviſa eſt, ita ut ſint XI Juriſdictiones. Ordo in Comitiis talis: Davoſium, quod Præſidem fœderis habet: vallis Rhætigoja, ubi tres Conventus magni, Cœnobianus, Caſtellenſis & Acerienſis cum Lacrupatenſi. Dominium Mariæ villæ (*Majenfelt*) ſub quo Malanſium & Majævilla. Alvanovum quod in Lantianam & Alvonovanam juriſdictionem diviſum eſt. *Churvvalden* ſeu Corvantium: vallis Scanavicana ad ædem S. Petri & pratum longum. In publicis generalibus trium federum comitiis, ex Griſæis oratores viginti octo & Cathedralibus viginti quatuor: ex decem Iuriſdictionibus quindecim ſunt. Sed quæ concernunt dominia acquiſita aut acquirenda cum omnibus ſuis juribus, acceſſoriis & emolumentis, iis æqualibus portionibus tria Fœdera (ex tenore literarum fœderis) fruuntur & interveniunt.

Vallis Tellina.

His tribus Fœderibus ſubſunt Volturena ſive Vallis Tellina, Clavenna, Bormium. Volturenæ ea eſt amœnitas & fertilitas, ut palmam inter omnes Europæ valles, ſcriptorum conſenſu, jamdudum obtinuerit. Ex Antiquis elegantiſſima brevitate eam deſcribit Enodius, Epiſcopus Ticinenſis in vita B. Antonii Monachi Lirienſis, his verbis: Antonium noſtrum famuli ad Italiæ partes, Chriſto duce, perducunt. Principe loco Vallem-Tellinam ingreditur, quam montium ex utroque latere brachiis fabricata ditat amœnitas, & de verticibus fecundis animum plebis locupletat: at uber ſolum quod avaris reſpondet, juxta deſideria immoderata, cultoribus, non tamen ita ariſtis prægravidum aut dotatum paſcuis, aut arbuſtis compoſitum aut fluminibus lætum, ut non plus ſupervenientis perſonæ gratia præſtaret, quam ipſius regionis diſtincta & variata formoſitas. Situs ejus ſecundum longitudinem ad pedem ſummorum Rhætię montium eſt, unde flumina Italiam petentia ſcaturiunt, ex quibus Abdua Bormienſe Dominium & Vallem-Tellinam tõtam perfluit & mediam interſecat. Ab Oriente ſunt Rhæti vallis Monaſterii, vallis Stylviæ, Tyrolenſis comitatus & vallis Solis incolæ; à Meridie, Camuni & Bergomates, Venetæ ditionis; Occidentem verſus Larii lacus accolæ; ad Septentrionem, Peſclavienſes, Engadini & Prægalli Rhæti. Longitudo ejus juxta Abduam eſt ſexaginta miliarium Italicorum, quę decem Germanica efficiunt. Latitudo varia; nam juxta S. Britium in Bormienſi; ad S. Iacobum in Tilienſi; ad Sanctam Mariam ad Saxellam in Sondrienſi; & ad S. Gregorium in Morbenienſi, & Frahonenſi juriſdictione in oltia ſatis anguſta reſtringitur.

Dominium Bormii, in ſummitate, juxta fontem Abduæ ſitum; dividitur in quinque vicinas ſeu communitates minores. Prima, Bormium oppidum ipſum, unde regioni nomen: ſecunda vallis Forba: tertia, Vallis interior, ubi Primadium & Vallis Pedenucis: quarta Vallis inferior, ubi Cepina: quinta Vallis Luvinium. In valle Tellina tria tertiaria ſunt, & communitas *Tilium*, unde valli nomen quæ nulli tertiario inſerta. Tertiarium ſuperius undecim habet communitates: I Tirunum. II, Sondalum. III Groſſium. IV Groſſubtum. V Vervium. VI Matium. VII Tovum. VIII Luverum. IX Servium. X Villa & Stazona. XI Blanzonum.

Sequitur communitas Tilii, quæ in triginta ſex Congratulas, ut vocant, dividi ſolet.

Medium tertiarium XVIII Communitates habet: I Sondrium. II Pontum. III Clurium. IV Trixivium. V Mons aquæ. VI Montanea. VII Caſtionum. VIII Poſtaleſium. IX Berbennum. X Buffettum. XI Plateda. XII Faedum. XIII Alboſagia. XIV Cajolum. XV Cidraſcum. XVI Fuſinæ. XVII Colorina. In tertiario inferiori duæ Squadræ, Abdua terminante, ſunt Morbenienſis & Trahonenſis. Morbenienſis XII Communitatibus ſubdiviſa eſt. I Morbennium. II Communitas Furcula. III Talamona. IV Bema. V Albaredum. VI Gerola. VII Pedeſina. VIII Raſura. IX Coſium, X Rogolum. XI Alebium. XII Plantedium.

Trahonenſi undecim quoque diſtinctæ ſunt communitates: I Trahona. II Bulium. III Ardennum. IV Datium. V Clivium. VI Mellum. VII Cercunum. VIII Civum. IX Campus vicus. X Mantellum, XI Dubinum.

Clavennæ Comitatus.

Clavennenſis comitatus, quem amnis Meira ſecat, longitudinem quindecim milliarium Italicorum complet, triũ nempe Germanicorum. Latitudo varia; nam longe juxta Lirum amnem, in vallem Iacobi ſe extendit, vallis ſatis anguſta. Orientalis habet vicinos Prægallos, Occidentalis Miſaucos & Larii lacus accolas: à Meridie Boccam Coſtium Abduæ finitimos; à Septentrione Vallis, Renanos & Averſenſes Rhætos.

Diviſio comitatus Clavennæ.

Dividitur totus Comitatus in quatuor partes: I Clavenna oppidum. II Plurium oppidum quod periit anno 1618, ſed vicinæ eo pertinentes ſunt Villa & aliæ. III Vallis S. Iacobi, quæ in duodecim quaternarios ſubdividitur. Et Quatuor-communitates exteriores quinq; : I Novatum. II Prada. III Meſe. IV Gordona. V Samolicum. Poſtremis hiſce annis maximis motibus belliſque civilibus Rhætia concuſſa attritaque fuit, quæ tandem auſpiciis Urbani VIII P. M, Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Ludovici XIII, Sereniſſimæ Reipub. Venetæ, nec non Ducis Sabaudiæ Caroli Emanuelis, compoſita ſunt. Eorum hiſtoriam accuratam edidit Fortunatus Spreckerus à Berneck I. V. Doctor, Eques Auratus, editam Coloniæ Allobrogum anno 1629.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [321] - -
PUBLIC DOMAIN

HISPANIA VETUS.

Nomen.

HÆC est bellatrix illa, viris, armisque nobilis (ut Flori verbis utar) Hispania; prima versus Occidentem Europæ continentis Regio, quam pelago undique incinctam, nisi qua tangit Gallias, ubi ea ab hac Pyrenæis montibus, tamquam naturali munimine distinguitur, adspicis. Hanc primum IBERIAM vocitatam, ab Ibero nempe flumine, aut, ut alii, à rege, sunt qui credunt. Avienus ab Ibera civitate (cujus & Livius meminit) Bæticæ, ad Hiberum flumen, aliud ab illo Tarraconensi. Ego & Regionem & flumen ab Iberia, Asiatica regione (unde nempe horum origo) & Ibero hujus amne, nomen sortitam, facilius crediderim. HESPERIAM quoque dictam ab Hespero rege, præter Virgilium, infimæ classis, Honorium & Pseudoborosum, auctores habeo. Sed à Vespero stella, sive occasu (cum sit ultima versus Occidentem cogniti ab antiquis Orbis regio) potius sic nominatam, ipsa facile evicerit veritas. Ita Hesperiam ultimam eam cognominat Horatius, ad differentiam alterius, Italiæ nempe, quæ apud Virgilium Magna cognominatur. Ut Græci enim hanc Hesperiam vocant, ratione situs, quo illis versus plagã Occiduam sive vesperalem est, ita Itali illam eadem de caussa eodem vocamine insigniere. Tandem autem ab omnibus utriusque linguæ scriptoribus sub *Hispaniæ* nomine, idque ab Hispano, nisi fallat Trogus, celebrata fuit. An PANNONIA παννονία aliquando dicta fuerit, ut Stephanus ἀπὸ πλεῶν tradidit, ignoro. PANIAM autem olim appellatam ex Plinii 3. cap. 1. videtur, cum inquit Lusam nomen dedisse Hispaniæ Lusitaniæ; Pana autem ejus præfectum, universæ. Huic videtur adstipulari apud Plutarchum Sosthenes lib. 3. rerum Bæticarum: qui scribit Regionem PANIAM à Pane dictam; sed juniores SPANIAM postea dixisse, SPANIAM vocat D. Hieronymus ad Esaiam 64. & SPANIAM (pro Spania forte) à Chaldæis appellari, scripsit vir omni laude superior B. Arias Montanus, commentariis in Abdiam. Et sunt qui Σπανία legunt apud D. Paulũ ad Romanos. Pro *Hispaniæ* ut in vulgatis apud Trogum, *Spania* legi non in membranis, item in optimis Q. Curtii exemplaribus, annotavit vir doctiss. Bongarsius. Sic quoque semper scribi solere ante annos septingentos, auctor mihi fide dignissimus Ambr. Moralis, antiquitatum Hispanicarum diligens perscrutator, in notis ad Eulogium, non uno in loco. Tagum Spaniæ fluvium facit Glossator vetus in Iuvenalem. Σπανὴ pro Hibera, & Σπανία pro Hispania est in veteri Lexico Græco-latino, ab H. Stephano edito. Galenus 6. simplicium cap. 4. scribit oleum quod ex Iberia (Hispania) portatur, Spanum, id est, Hispanum appellari. Spania lego in libellulo Provinciarum M. S. quo loco Hispania legit Schonhovius, qui illum primus edidit. Confirmant hanc scripturam hactenus regionis incolæ, qui eam *Espanna* (sive Spania) nominant. Espania enim & Spania, scriptione tantum differunt. Solent enim Hispani verbis Latinis ab S litera inchoantibus E præponere & sua facere. exemplum hujus est in voce *Iberia*. Sed & CELTIBERIA aliquando vocata fuit, teste Appiano & aliis. Hinc incolas *Celtiberos* & *Celtoscythas* antiquitus, quoque *Igletas* dictos apud Strabonem legimus. *Sepharad* ab Hebræis appellari docet dictus Montanus & cum eo Postellus. Sed satis de nomine, eam ipsam nunc aggrediamur. Dionysius & Strabo huic regioni formam corii bubuli tribuunt. Quadratam dicit Trogus: Trigonam Æthicus, auctor mihi minimæ fidei. Speciosa cognominatur in constitutione Imp. F. Constantini, quam Scaliger ad Ausonium edidit. In *Majorem* & *Minorem* dividit Stephanus. *Inferioris* meminit vetus Inscriptio. Erudita Antiquitas eam in *Citeriorem* & *Ulteriorem* sive *Exteriorem* distinxit. Sequuta ætas in tres, & aliis nominibus: *Citeriorem* enim *Tarraconensem*; *Ulterioris* partem quæ ad Occidentem, *Lusitaniam*; quæ ad Meridiem *Baticam* vocavit; Postea sub Impp. Romanis in sex Provincias divisa fuit, quarum nomina apud Sext. Rufum; *Tarraconensis*, *Carthaginiensis*, *Lusitania*, *Gallicia*, *Baetica* & *Transfretana*, quam & Tingitanam cognominant. Hanc ultimam autem extra veram Hispaniam esse, ostendit tabula. In Africa nempe, trans Fretum. His porro septimam adjicit lib. Notit. *Insularem* sive *Balearium*. Tota hæc Hispania in quatuordecim Conventus Iuridicos à Romanis divisa fuit. In Lusitania enim habet Plinius tres, Emeritensem, Pacensem, Scalabitanum. in iisque oppida XLV. In Citeriore sive Tarraconensi septem, Carthaginiensem, Tarraconensem, Cæsar-augustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem & Bracarum. inque iis CCXCIV oppida. In Bætica quatuor illi sunt conventus, Gaditanus nempe, Cordubensis, Astigitanus & Hispalensis, & in iisdem opida CLXXV. Sunt in universum quingenta & quatuordecim opida. Et quamvis Strabo illi quodammodo plura tribuere videatur, eos tamen mentiri putat, qui plura quam CIↃ in ea fuisse perhibent, atque magnos pagos eos oppidorum loco enumerasse, dicitque regionem non esse multarum urbium capacem, ob soli ariditatem, vel feritatem hominum, si oram Mediterranei maris demas. Hispanos enim plerosque agrestes esse, & vicos habitare. Habitari autem ubique ex Pomponio quis intelligere poterit, qui eam abundantem viris dicit. Et Cicero in quadam Oratione scribit, Romanos hos non vicisse numero, sed religione & sapientia. Qui primum hanc terram inhabitavere, fuisse Iberos, Phœnices, Persas, Celtas & Pœnos, tradit ex Varrone Plinius; sic quoq; Appianus. Addo Romanos, fugatis inde Pœnis sive Carthaginensibus. Sed de incolarum genio, ritu vivendique more, pauca ex variorum Classicorum monumentis delibare & his attexere, quia non injucundum legentibus fore confido, non inutile putavi. Flavam proceritatem his adscribit Calpurnius Flaccus; ex cœli quibus subsunt dispositione dicit hos Iulius Firmicus, elatę jactantię animositate præposteros: at addit hoc vitium jactantiæ à pluribus deseri. Omnem in universum gentem ferocissimam jugique impatientem dicit Florus: magnanimam Dionysius Afer, trucem Martialis, superbam Oppianus, audacem Tibullus, astutam Vopiscus; feram & bellicosam atque velocem corpore; inquieta avidaque in novas res & feris propiora quam hominibus ingenia Trogus & Livius. Viribus corporis Romanis præstare Vegetius. Impacatos Iberos nominat Virgilius in Georgicis, quia abactores sunt ut interpretatur Servius, aut quia in latrociniis præponderant, ut interpretatur Iunius Phylargyrus. Corpora ad inediam laboremque animi ad mortem parati sunt, testibus Valerio Maximo & Trogo. unde Silius Italicus:

Incolarum genium vivendique ritum.

Prodiga gens animi, & properare facillima mortem,
Namque ubi transcendit florentes viribus annos,
Impatiens ævi, spernit novisse Senectam,
Et fati modus in dextra est &c.

Regibus se devovere & post eos vitam refutare scribit ex Sallustio Servius ad 4. Georg. adversus hostes crudeles sunt; advenis humani & hospitales; advenientes enim exteros benigne hospitio excipiunt: adeo, ut æmulatione quadam invicem pro honore illorum certent, Diodorus. Munditiei amantes eos facit Ptolomæus 2. Quadrip. etiam Diodorus, sed qui una in re hos spurcitiei accusat, quod nempe totum corpus urina lavent, dentesque fricent, hanc optimam corporis curam existimantes, hancque urinam ad hoc in cisternis ad vetustatem conservari scribit idem. Sed hoc solum Cantabris & horum vicinis adscribit Strabo: Celtiberis Catullus. De dentibus meminit quoque Apulejus, Apologia pro se, prima. Affluenter variis carnibus nutriri, potum ex melle confiecre, & vinum emptum bibere, apud Diodorum legimus, sed hæc forte circa oram Mediterranei maris, nam potu ex frumento soluto eos uti scribit Florus & Plinius (eumque *celiam* & cæriam vocat) & ex tritico ut Dioscorides, eumque *Curmi* vocat. Zythum Lusitanos bibere, vini enim parum habere, tradit Strabo, parumque illud quod habent, statim in convivia cum cognatis insumunt. Horum potum ex fruge madida factum, vetustatem ferre annotavit idem Plinius 14.

Forma.

Divisio.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [323] -

cap. 22. Hac de causa forte Hispanos inter eas gentes numerat Athenæus, quæ inebriari soleant. Idem quoq; de Celtiberis scribit Plato. Parum autem vini apud eos fuisse Strabonis tempore, ex eo verisimile est, quod Vopiscus scribat Probum Imp. Hispanis primum permisisse ut vites haberent vinumque conficerent. Duram omnibus & adstrictam parsimoniam tribuit Trogus. & quamvis ditissimi, ut habet Athenæus, aquam bibunt, soli cibum capiunt, ut sumptuose incedant. Neque in festos dies ullus epularum usus aut apparatus, teste Trogo. Erucæ silvestris semine eos loco sinapi uti scribit Dioscorides. Plinius scribit eos suo ævo glandem in secundis mensis habuisse, sed ex harum farina etiam panem conficiebant, Strabo. Hunc autem leviorem esse ceteris ait Plinius, quod cum fermento condiant. Humi eos decumbere, eundem testem Plinium habeo. Brevi utuntur veste ac nigra, Diodorus. *Striges* nominat Hispanorum vestium genus, Isidorus Originum 19. cap. 2. Bellum quam otium malunt; cum extraneus deest, domi hostem quærunt, si Trogum audias. In bello non equites modo sed & pedites robore malorumque tolerantia ceteris excellentiores habent. Prælia aggrediuntur carminibus, teste eodem & Silio, ubi inquit:

——ritu jam moris Iberi
Carmina pulsata fundentem barbara cetra.

Et duobus gladiis fulti, cum equestri certamine superiores evaserint, ex equis desiliunt, peditesque pugna adjuvant, quod idem Suidas de Celtiberis. Gladii hi, ut ex Livio & Polybio constat, brevitate agiles erant, ad propiorem pugnam habiles & cum mucronibus, ita ut punctim non cæsim ferirent. Suidas tamen Celtiberorum gladiorum præstantiam eo prædicat, quod pugnant acriter & ictum utraque manu potenter ferant. Gæsis quoque usos fuisse docet Athenæus, cum tradat Romanos iis dimicare & ex Hispanis didicisse. Hos vero eas ab Afris habuisse, ex Polluce verisimile fit, qui vocat gæsam Lybicam hastamque dicit ferream. Galeas ferunt æneas. Cruribus ocreas ex pilis factas advolvunt, Diodorus. Levi armatura, peltis, jaculo, funda, eos uti, Strabo auctor. Linteis purpura prætextis & candidissimis tunicis induti præliabantur, uti tradit Polybius. Et quamvis tragicis stolis & variis amicti tunicis etiam ad pedes demissis vestiti, in publicum prodibant, teste Athenæo, nihilo tamen ad bella gerenda ideo erant ignaviores ac minus fortes. Hæc eorum armatura & vestitus militaris. Ex Aristotelis 7. Politic. non omittendum duco, quod tot columellæ circa defunctorum sepulchra statui solent, quot quisque hostes occiderit. Neque hoc Silii 13.

Tellure (ut perhibent) is mos antiquus, Ibera
Examina obscenus consumit corpora vultur.

Ælianus hoc peculiariter de Barcæis scribit, atque tantummodo de iis, qui in bello perierunt; qui autem ex morbo, igne cremari dicit. Proclive eis esse transnare flumina, ait Cæsar, eorumque omnium consuetudinē esse ut sine utribus ad exercitū non eant. In Sallustianis fragmentis lego his morem fuisse, ut in bella euntibus juvenibus parentum facta memorentur à matribus. Plurimis militares equos & arma, sanguine ipsorum cariora esse, tradidit Trogus. Solent etiam toxicū sine ullo dolore necans sibi parare ex herba quadam, apio simili, ut illud ad quævis fortunæ incerta in promptu haberent, auctore Strabone. Florus dicit eos venenū ex taxis arboribus ad hoc exprimere. Hujus etiam apud Plinium mentio est, sed ex baccis taxi. Atq; hæc de gente in genere, nunc speciatim de nonnullis. LUSITANI fortissimi, sed latrociniis infames, agrosque minime colunt, suntque insidiandi, indagandique periti; celeres, leves & versatiles. (Zytho eos uti diximus) Butyrum eis olei usum supplet. Vasis utuntur cereis. Coreaceis usi sunt navigiis, usq; ad Brutum. Magnas autem onerarias naves habuisse postea, ex Strabone liquet, quarumque numerum cum Africanorum æquare minime veretur. Fidem quoque huic facit Sidonius in Panegyrico Majorani. Apud hos Carbasa quoque primum reperta, annotavit Plinius. Talis horum vita. Eodemque modo etiam vivunt *Callaici*, *Astures* & *Cantabri*, usque ad Vascones & Pyrenæos montes, quod docent Varro de re Rustica, Dion, Iosephus & Strabo, apud quem & Diodorum de his plura. *Indigetes* asperos dicit Sex. Avienus, & *Gens ista dura, gens fera venatibus, lustrisque inhærens.* De Cantabris audi Silium Italicum libro tertio:

Cantaber ante omnes hyemisque æstusque famisque
Invictus, palmamque ex omni ferre labore
Mirus amor populo, cum pigra incanuit ætas
Imbelles jam dudum annos prævertere saxo:
Nec vitam sine Marte pati, quippe omnis in armis
Lucis causa sita, & damnatum vivere paci.

Celtiberos vocat Strabo togatos & dicit eis quondam omnium maxime feros inhumanosque habitos, sed esse gentem populosam & pecuniosam. Silius bellacem:

His pugna cecidisse decus corpusque cremari.

Idem Strabo judicat *Turdetanos* omnium doctissimos, quod utantur grammatica & antiquitatis habeant conscripta monumenta ac poematibus & metris inclusas leges. *Carpetanos*, *Vaccæos*, *Lacetanos* & *Callaicos* nobiles gentes idem vocat. Sed de his ultimis non possum non denuo Silium adducere, ubi ait:

——misit dives Gallecia pubem
Barbara nunc patriis ululantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percussa verbere terra
Ad numerum resonas gaudentem plaudere cetras.
Hæc requies, ludusque viris, ea sacra voluptas.
Cætera femineus peragit labor; addere sulco
Semina, & impresso tellurem vertere aratro,
Segne viris, quicquid duro sine Marte gerendum est,
Callaici conjux obit irrequieta mariti.

Et quia ad feminas perventum, Trogum idem contestari audiamus: Feminæ, inquit, res domesticas, agrorumque culturam administrant: viri armis & rapinis inserviunt. Idem apud Strabonem, qui addit, eas cum pepererint, suos viros decumbere jubere, iisque ministrare. Interq; operandum ipsæ sæpenumero infantes lavant & involvunt, ad alveum alicujus fluminis accelinantes. Viris quotannis telas suas publicè proponunt & quæ suorum suffragio plurimum elaboratæ visa fuerit, illi maximum honorem deferri annotavit ex Nicolao quodam Stobæus cap. de Temperantia. Apud Cantabros vir mulieri dotem adfert, & filiæ hæredes instituuntur, & ab his fratres in matrimonium elocantur. Harum vestitum & ornatum apud eundem legere est ex Artemidoro. Structuras hujus regionis, materia, virgultis, stramentis, arundinibus & fronde constitisse, ex Vitruvio intelligimus. Parietes habent, quos appellant formaceos, quoniam in forma circumdati, utrinque duabus stabulis infarciuntur verius, quam instruuntur, Plin. 35. cap. 14. De religione priscorum Hispanorum pauca apud auctores reperio, atque hæc tantum apud dictum Strabonem: Lusitanos nempe Marti caprum immolare, præterea captivos & equos conjicere & futura prædicere ex captivorum extis; quin & ritu Græcorum Hecatombas instituere, item gymnica certamina. Aruspicinæ minimè imperitos fuisse ex Lampridii de Alex. Severo dicto discimus, quod hic nempe eos in hac arte vicisse scribat. Accitanos Martem (quem Necyn vocant) colere apud Macrobium invenio. Callaicos nihil de Diis sentire quidam ajunt. Celtiberos autem & eorum vicinos circa Septentrionem innominatum quendam Deum noctu, in plenilunio, ante portam, cum totis familiis choreas ducendo, totamque noctem festam agendo, venerari. Ex Plinio tamen constat, antiquitus Saguntinos coluisse Dianam, ibidem à Zacynthiis advectam, annis ducentis ante excidium Trojæ. Hæc de gente. Sed ut apertius aliquanto hujus ingenium se prodat, historicis paucis id ostendere lubet. Vettones quo tempore primū in Romanorum venerant potestatem, & quosdam centuriones videbant deambulandi causa hac illac flectere, opinati eos insanire, duces se ad tabernacula eis præbuere; putabant enim aut in tabernaculo quiete sedendum, aut pugnandum esse. simplicitatis hoc. Vide Ælianum 2. Variarum cap. 5. Bello Cantabrico matres liberos suos necarunt, ne in hostium manus pervenirent. Puer, parentes, fratresque captos omnes interfecit, fertum nactus, mandante patre. Itemque mulier quædam una secum captos. Quidam ad ebrios vocatus, conjecit se in rogum. libertatis amoris notæ. Quosdam eorum captos & in crucem suffixos Pæana cecinisse tradunt. mortis contemptus. Hæc ex Strabone. Sequentia ex Trogo. Celebratur bello Punico servi illius patientia, qui ultus Dominum, inter tormenta risu exultavit, serenaque lætitia crudelitatem torquentium vicit. insignis fortitudinis exemplum. Sæpe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui. adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitæ. Possent hujusmodi exempla plura ex auctoribus huc adduci. Sed hæc pauca de gentis genio sufficiant. & ad regionis, solique naturæ descriptionem accingamur & primum de ejus fertilitate. Fertiliorem eam facit Trogus Affrica aut Gallia, cum neque ut illa violento sole torreatur, neque ut hæc assiduis ventis fatigetur, sed media inter utramque, hinc temperato calore inde felicibus & tempestivis imbribus, in omni genere frugum fecunda est: nam ut Philostratus scriptum reliquit, hic cœli temperies talis est, qualis autumni tempore in Attica esse solet. Hinc vere de ea hæc apud Solinum: Terrarum plaga comparanda optimis, nulli post habenda, frugis ac soli copia; sive vinearios proventus respicere sive arborarios velis. Omni materia affluit, quæcumque aut

Regionis soliq; natura.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [324] - -
PUBLIC DOMAIN

aut pretio ambitiosa est, aut usu necessaria. Aurum & argentum si requiras, habet; ferrariis nunquam deficit, nec cedit vitibus, vincit olea. Nihil in ea otiosum, nihil sterile. quicquid cujuscumque negat messem, viget pabulis. etiam quæ arida sunt ac sterilia, rudentem materiam nauticis subministrant. Hæc eadem confirmat Pomponius his verbis: *Viris, equis, ferro, plumbo, argento utroque tam abundans & adeo fertilis, ut ficubi ob penuriam aquarum effœta & sui dissimilis est, linum tamen aut spartum alat.* Turdetaniam autem (sive Bœticam) hinc excipit Strabo, qui tradit hanc utrisque ita abundare, metallis nempe & frugibus, ut nulla satis laudatio ejus præstantiæ institui posset. Atq; horum omniū tam fœcunda, ut non ipsis tantum incolis, referente eodem Trogo, verum etiam Italiæ urbique Romanæ sufficiat. Atque hæc generatim. Distinctius autem paullulum Strabo, qui docet hujus Hispaniæ Regiones omnes non æque frugiferas ac felices, minimeque eas, quæ metallis abundent. ejus etiam magnam partem incommode habitari propter montes & silvas, atque campos exili terra præditos. neque ubique aquis satis irriguam, ut circa Carpetaniam aut Celtiberiam & partem ejus Septentrionalem Oceano objectam; ubi pessime degitur, propter montium asperitatem & aeris frigiditatem, caretque hæc pars omnino frugibus. Hunc tractum voluit forte Iuvenalis Satyra 3. ubi inquit:

——— *Horrida vitanda est Hispania.*

At ora ejus, qua Mediterraneum attingit mare, oleis, ficubus, vitibus aliisque id genus plantis, etsi his Mediterranea non omnino careant, abundat, adeo ut non inconcinnè hoc Silii, jam sæpius citati, hic adjungam:

Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho,
Nullaque Palladia sese magis arbore tollit.

In Lusitania etiam, ea imprimis parte quæ inter Tagum fluvium & Arrabros est, solum felix, quod ad fruges & pecus attinet, itemque auri & argenti & similium rerum copia. Confirmat de eadem hoc Athenæus 8 quoque. Et versus Meridiem sita, teste Plinio, felix est omnis regio, tota nempe Bætica hæc cunctas provinciarum divite cultu, & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit. In eadem tanta pabuli lætitia, ut nisi abstinentia interpellata fagina, ut apud Trogum est, fuerit, pecora rumpantur. Sed non tantum terra, sed & mare etiam, quod hanc Turdetaniam alluit, æquè fertile; abundat enim omni ostreorum, concharum, purpurarumque genere, etiamque thynnorum, quorum hic quæstuosa piscatio; & inde condita varii generis salsamenta. Atque hucusque de summo terræ corio. Nunc autem de metallorum sub eo abstrusorum prodigiosis divitiis. Totam Hispaniam scatere auri, argenti, ferri, plumbi nigri albique metallis, attestantur Plinius & Strabo. De auri, argentique copia etiam fidem facit facta historia 1. Machab. cap. 8. nec non Iosephus 2. belli Iudaici. 16. Sed plurimum in montibus aridis sterilibusque, in quibus nihil aliud gignitur. qui auri bono coguntur (ut cum Plinio loquar) fertiles esse. ut sunt circa Basteta-niam & Oretaniam, in quibus auri metalla describit Strabo. Idē in argenteo monte non procul à Castulone, argenti etiam circa Ilipam & utramque Sisaponem (ad Babylam civitatem ut habet Polybius) in Melessum finibus, ibi Oringis urbs, tradit Livius Incolas argentum fodere. Ad Tagum quoque in montibus esse fecturas metallicas. apud Cotinas ęs aurumque nasci, apud eundem Strabonem legimus. Gallecię regio (audi Trogum) ęris ac plumbi ubertima, auro quoque ditissima adeo, ut etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. Eandem Galleciam, Asturiam & Lusitaniam, quę omnium metallorum fœcundam, prædicat Plinius. Inter auri ramenta inventas aliquando selibras glebas, scriptum reliquit Strabo Idem ex Phalereo, & Diodorus, qui ait quosdam qui in argento fodiendo occupantur, talentum Euboicum singulis tribus diebus percipere. Ibyllam civitatem nominat Stephanus, apud quam auri & argenti fodinas esse dicit. Maxima argentorum fodina est apud Carthaginem Novam, ab urbe ad xx stadia dissita, ubi XL millia hominum in labore versantur, atque in singulos dies P. R. viginti quinq; millia dragmarum inde tributa fuisse, teste Strabone, credimus. Vicena millia pondo argenti annis singulis, Asturiam, Galleciam & Lusitaniam præstitisse, tradit ex aliorum fide Plinius. Eodem auctore, argenti puteus est, Bebelo nomine, qui CCC pondo Annibali subministravit indies. Hunc circa Pyrenęos fuisse, ex eo forte quis conjiciat, quod addit, Aquitanos aquas ex eo egerere. Argenti ex Pyrenęorum nati incendio (cujus historiam lege apud Strabonem & Diodorum) tanta fuit copia, ut Phœnices cum illud averherent, atque argentum onustis navibus superaret, loco plumbi ancoris illud subderent, aut (ut Aristoteli placet) circa Tartessum ipsas inde ancoras fabricaverint. Turdetanos argenteis præsepibus (lacunaribus mavult interpretari Casaubonus) & doliis usos, annotatum est à Strabone. Sed & flumina aliquot hujus regionis aurum ferre, inter quos Tagus, nemo non veterum Scriptorum meminit. nec minus à Poëtis celebratur, ut à Iuvenale, Statio; item Silio hoc versu:

Hic certant Pactole tibi Duriaque Taguque.

Arguunt horum metallorum copiā ter ducti hinc à Rom. triumphi, & in iis allati auri & argenti vis admiranda, quorum locuples & fide dignus testis Livius plurimis in locis. Exempli causa unum aut alterum subnectere visum. M. Helvius huc tulit in ærarium, argenti infecti quatuordecim millia pondo, septingenta triginta duo, & signati bigatorum xvii millia xxiii. Offensus argenti cxx millia, ccccxxxvi ii. Cn. Cornelius Lentulus auri mille & quingenta pondo quindecim, argenti viginti millia, signati denarios triginta quatuor millia, & quingentos quinquaginta. Quæ de M. Portio Catone, Q. Fulvio Flacco, Q. Minucio, L. Stertino, Tib. Graccho, C. Calpurnio, L. Q. Crispino, M. Fulvio Nobiliore, Albino, aliisque apud eundem leguntur, videant quæ hujus regionis insignem metallorum opem stupere velint, adeo ut Ant. Augustinus recte dixerit, Hispaniam id temporis Romanis eo loco fuisse, quo nunc America Hispanis. Ego ne longus sim, ad alia me confero, quorum æque beata est Hispania, ut equorum, canum, cuniculorum, gemmarum, aliarumque multarum rerum. Cuniculis abundantem esse docet Strabo, Plinius, Ælianus. & idem versiculus Catulli hic

Cuniculosa Celtiberia fili,

Item nummus Hadriani Imp. in quo hoc animalculum huic adpingitur Regioni. Ejus quoque lanam (nigri velleris) Coraxicis meliorem linum, (unde optima retia) teste Gratio, spartum, coccum, piceum, mel, ceram, sal fossile, alumen, chrysocallum, vitrum, minium, sinopica terra non deterius, purpurissum aliosque colores, crystallum, magnetem, lapidem specularem, obsidianum & ceraunios, hyacinthosque gemmas, prædicant Plinius, Strabo, Varro, Diodorus, Florus, Trogus, Ochram, Cadmiam, Schistum & Soty gignere, scribit Dioscorides: Cinnabarim una cum auro in Hispania erui ait Pausanias in Arcadicis. Suberem arborem Pyrenæis familiarem tradit Theophrastus. Glandem Ibericam inter alias præstantem ex Varrone celebrat Gellius. Amethistum Ibericum habet Heliodorus. Pernas etiam Cerretanorum, quas præstantiores Cantabrorum æstimat Strabo; Murænam Tartessiam laudat Gellius. De Suum horum pinguedine mirabile quiddam narrat 2. de Re Rustica, cap. 2. Varro, de earum cute nempe ad os, pedem & tres digitos fuisse: Canes laudant Oppianus & Iul. Pollux, item Nemesianus, quorum Proles de sanguine manat Ibero.

Idem Varro & Oppianus cum Strabone hujus equos feros celebrat, de quibus suspicaverim Olympium Nemesianum hæc ceciniſſe:

Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes,
Culmina, cornipedum late fœcunda proborum &c.

Et idem jam sæpius appellatus Silius:

Martius hic sonipes campos hinnitibus implet,
Hinc juga cornipedes evecti bellica capiunt.

Et idem alibi de alio genere:

Hic parvus sonipes, nec Marti notus, at idem
Aut inconcusso glomerat vestigia dorso
Aut molli pacata celer trahit esseda collo.

Martialis quoque hæc:

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues
Venit ab armiferis gentibus Astur equus.

De iisdem forte ita Gratius:

Non tamen Hispano Martem tentare minacem
Ausim.

Hoc fortasse illud equinum genus, quod Plinius *Thieldones* & *Asturcones* vocat, parva forma: quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio & quos tollutim incedere docet Plautus. *Asturcones* & *Mannos* tollutares vocat Seneca in Epistolis, De curulibus sive quadrigalibus equis hinc sæpius olim ob velocitatem petitis, multus est Q. Aurel. Symmachus, qui eam equini pecoris divitē nominat. Silius hos

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [325] - -
PUBLIC DOMAIN

deo veloces facit, ut ventos post terga relinquerent. De equis vento conceptis ad Oceanum, circa Olysipponem (apud Vettones autem Silio) in monte Tagro, Varroni (Sacro Columellæ) non fortasse tam vera, quam multa. Favonio aut Zephyro vento hoc tribuunt omnes. Pullos autem hinc natos non plus triennium vivere perhibent Columella & Varro. Sed septimam eos ætatem ferre, Silius. Notissimum esse scribit Columella, pro re incredibili, sed vera, recitat Varro dicitque equas ex vento ibi concipere, ut hic Gallinæ solent, quarum ova hypenemia (sive subventanea) vocat, Plinius Zephyria. De his Aristot. 5 & 6. animalium. Et quamvis Solinus & D. Aug. de Civitate Dei, idem de equis in Cappadocia evenire scribant, & Homerus Boream ventum impregnasse equas Erichtonii fabuletur, neque nesciam Ælian. 7. *Animalium* cap. 27. Ventos etiam in animalibus fœcunditatem augere; malim tamen credere cum Trogo, natam fabulam ex equarum fœcunditate & equorum pernicitate; ut non immerito vento ipsi concepti videantur. De his tamen noster Silius, ipse Hispanus.

Et Venerem occultam genitali concipit aura.

Atque de iisdem forte hæc Virgilius:

Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras, & sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravida (mirabile dictu.)

Sunt autem & alia in Hispania miracula, ut in Carrinensi (Carinensi alius legit) agro, duo fontes, alter omnia absorbens, alter omnia respuens. In eadem gente alius, qui aurei ostendit omnes pisces coloris, nihil extra illam aquam ab aliis differentes. In Cantabria fontes Tamarici tres, singulis siccantur 12. diebus, aliquando vicies, citra suspicionem ullam aquæ, cum sit vicinus illis fons sine intermissione largus, Plinius. In Cantabriæ lacum fulmen decidisse & repertas duodecim secures, ait Suetonius in Galba. In Hispania fluvium esse, qui primo aspectu nihil ab aliis differri videtur; aut si paulo attentius auscultes, aquam resonantem audies; ubi enim vel modicus ventus vortices impulerit, aqua fidis in morem sonum edit, plectri siquidem ventus, citharæ vero aqua usum præbet. Achil. Statius 1. armorum, In Galleciæ finibus Sacer mons est, quem ferro violare nefas habetur; sed si quando fulgure terra proscissa est, quæ in his terris assidua res est, detectum aurum, velut Deûm munus colligitur, Trogus. Sal purpureum inveniri in Lusitania. Strabo. aliud dulcedine quadam temperatum, in jugis Terraconensibus cædi tradit Sidonius ad Oresium. Apud Hispanos Alpinos circa Iberum describit Gellius ex Varrone, montem magnum, ex mero sale: cui quantum demas, tantum adcrescit. Salsamenti Hispanici mentio apud Lucianum in Votis. Montem prærupte altum in Cantabriæ ora maritima, totum ex ferro constare scribit Plinius. Apud Gades ægrotantibus contigit, quod animæ morientes non deserunt, quo tempore excrescens aqua regionem inundat, teste Philostrato. Atque hæc de Hispania veteri, terris omnibus terra feliciore, cui excolendæ, atque adeo ditandæ impensius quam ceteris gentibus (ut ait Latinus Pacatus) supremus ille fabricator indulsit. Cujus descriptionem finire placet eo elogio, quo Plinius suam Naturalem historiam, hoc nempe: *Ab Italia, exceptis Indiæ fabulosis, proxime quidem dixerim Hispaniam, quocunque ambitur mari.*

Extra hanc Hispaniæ continentiam, est ea, quam vocavimus insularem, sive Balearem. Hæc tota ex Insulis constat, quarum nomina sunt in Oceano, Gades, Iunonis, Geryonis, Londobris, Corticata, Aunios, Deorum, & fabulosæ forte hoc tractu Cassiterides. In Mediterraneo mari, Baleares duæ Major & Minor. Pityusæ totidem, quæ sunt Ebusus & Ophiusa: Scombraria, Colubraria, Capraria, Tiquadra, Plumbaria, Planesia & Mænaria, omnes, si Baleares & Gades excipias, ignobiles. Gades nobilitantur Herculis & Geryonis fabulis atque Arganthonii longævi imperio. Baleares fundis inclaruere, fameque à cuniculis allata: quorum tanta in his copia aliquando fuit, ut contra horum proventum auxilium militare à D. Augusto incolas petiisse, veteres testentur historiæ. Horum vina confert primis Italiæ Plinius. Servium Hallucinatum crediderim, cum scriberet in VII. Æneid, Geryonem Balearibus & Pithyusis præfuisse. Namque ceteri omnes hunc circa Gades regnasse tradunt, nisi quis adducat pro Servio hæc Trogi: In parte Hispaniæ, quæ ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. Sed Gades & insulas huic in Oceano vicinas, tantum hunc voluisse, argumento est pabuli lætitia, quam his adscribit, quæ Balearibus minime convenit. Ex Bocchoris non Geryonis, regnū Baleares fuisse, Solinum testem habeo. Præter autem has dictas insulas, classicis auctoribus notas alias habet Sext. Rufus Amœnus his nominibus: Oostrynides, Archale, Poetanion, Agonida, Cartare, Strongile & Lunæ. Has quia nemo alius novit, forte ex iis quis esse conjecerit quas Plinius mari vadoso parvas appellat & numero ferme viginti. Quid si his quoque Gromyusam & Melussam Stephani adjecero? Signa nummorum antiquorum.



De Transfretana sive Tingitana, quia nomine solum, non re, ad Hispaniam pertinet, tum etiam quod de ea Pomponius hæc: *Regio ignobilis & vix quicquam illustre sortita, parvis oppidis habitatur, parva flumina emittit. Solo quam viris melior & segnitiæ gentis obscuræ;* nihil hic dicendum existimavi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [326] - -
PUBLIC DOMAIN

HISPANIA.

Nominis ratio.

HISPANIAM nobilem Europæ regionem primamque continentis terræ partem Iustinus ex Trogi Pompeji Historiarum Philippicarum libro XLIX dictam notat ab Hispano Rege. Alii sic nominatam volunt ab Hispali urbe nobilissima, quam hodie *Sevilliam* appellant. Abrahamus vero Ortelius vir in palæstra Geographica valde operosus, quum Iberiam Asiæ regionem olim *Paniam* a Pane, quem Iberis Dionysius, victoria potitus præfecerat, inde vero *Spaniam* ab junioribus vocatam fuisse legisset apud Auctorem de fluminibus & montibus, fidem sequutum Sosthenis lib. III. rerum Ibericarum, scriptoresque fere omnes animadvertisset primos Hispaniæ Incolas ex Iberia usque derivare, adductus est, ut ab *Spania* potius illa, quam *Hispano* vel *Hispali* nomen regioni inditum, crederet. Sane *Spanian* nominat Divus Paulus Epist. ad Roma. cap. XV. *Spaniam* etiam vocat alibi D. Hieronymus, ac multi alii. Consonat etiam hodierna appellatio. Incolis enim *Espana* nominatur. Quam autem *Hispaniam* Latini scriptores Ptolemæus, Stephanus & alii ἰσπανίαν vocant, rejecta adspiratione, temporibus antiquissimis *Iberiam* & *Hesperiam* nominatam memoriæ produnt Strabo, Plinius aliique. *Iberiam* quidem ab *Iberia* Asiæ regione, unde primos Hispaniæ incolas non pauci deducunt. Alii Iberiam ab Ibero Rege trahunt, alii ab Ibero flumine. Avienus ab Ibera Bæticæ opido. *Hesperiam* vero, ab Hespero, ut quidam memorant, Atlantis fratre, vel ut Horatius putat, ab Hesperia Hesperi filia, vel potius ab Hespero stella Occidentali, quia in Europæ continente nihil est hac regione occidentalius. Quumque & Italiæ nomen idem effet, Horatius hanc *ultimam* canit. *Celtiberiam* quondam fuisse nominatam tradit Appianus; quæ tamen pars Hispaniæ (quam Celticam olim dixerunt teste Varrone) potius censenda. *Sepharad* Hebræis dici notant Gulielmus Postellus & Benedictus Arias Montanus commentario in Abdiam. Quantitas ejus consistit in finibus & circuitu, quæque inde quasi nascitur, forma vel figura. *Limites.* Quod igitur ad fines: adluit Hispaniæ duo quidem latera Oceanus; Aquilonare Cantabricus: Occidentale, Atlanticus; Tertium, quod ad Meridiem, ubi fretum Herculeum, mare pulsat Ibericum, quod & Balearicum: versus Orientem Pyrenæos habet montes, perpetuis jugis ab Oceano, ubi Flaviobriga, hodie *Fuentarabia*, tendentes ad mare Mediterraneum, duobus insignes Promontoriis, uno, quod *Olarso* cognominatum, in Oceanum projecto; altero quondam ab *Veneris Templo*, nunc vero, ab *S. Cruce* denominato, in Mediterraneum. Hispaniæ longitudo maxima milliarium Hispanicorum CC. Latitudo, qua maxima CLX, qua minima LX. Ioannes Vasæus in Hispaniæ Chron. memoriæ prodit, Hispaniam ad Pyrenæos tam angustam esse, ut quum per eos iter faceret, in monte D. Hadriani, Perdinando Colone rerum istarum peritissimo commonstrante, nisi fefellerit adspectus, utrumque viderit mare; Oceanum scilicet, cui peregrinantes erant proximi, atque eminus, quousque oculorum acies ferre poterat, albicantes maris mediterranei fluctus: circuitum autem IOC mil. statuunt & amplius. Strabo, Ptolomæus & alii Hispaniam *Forma.* comparant corio Bubulo humi protenso, cujus partes ad collum pertinentes in adhærentem sibi Galliam porriguntur. Collum inquam, quantum protenditur mons Pyrenæus ab Mediterraneo mari ad Oceanum Britannicum: inde dilatatur ad brachia, ab Nova Carthagine usque ad Cantabros; crura a freto Herculeo usque in Gallæciam & mare Britannicum: ultimum corii ad modum caudæ, Promontorium sacrum, hodie *S. Vincentii*, quod extenditur in Oceanum Atlanticum, longe ultra omnem Hispaniam. Qualitatis causa plurimum in Climate, situque cœlesti. Subest Hispania medio quarti, totique quinto, parti etiam sexti climatis; inter gradus latitudinis quidem XXXV & XLV; longitudinis autem inter XVI (ut nunc capto ab Azoribus Insulis initio, notari solet) & XXXI: ubi optima ad res omnes temperies. Nam neque ut Africa violento sole torretur; neque, ut Gallia ventis assiduis fatigatur, sed inter utramque media, hyeme & æstate temperato sole perfruitur. Hinc magna cœli salubritas per Hispaniam, æqualisque aëris spiritus nulla paludum gravi nebula inficitur. Huc accedunt marinæ auræ undique adsidui flatus, quibus omnem provinciam penetrantibus, eventilato terrestri spiritu, præcipua omnibus sanitas redditur. Non eadem tamen Hispaniæ passim qualitas; qua enim Arcton spectat, plerisque scribentibus, frigidior est, nonnulliusque asperitatis, Oceano semper obnoxia, interiorum aquarum indiga, malignæque inde habitationis: quum etiam rupibus, saltibus, locisque silvestribus pleraque obsessa. Qua in Austrum montibus fere perpetuum intercurrentibus, declinat, tota felix, tota beata, ut multis magnisque fluminibus irrigari, sic tempestivis pluviis, quantum sufficit, recreari solita, & hinc omne genus, ea præcipue parte, frugum animaliumque non benigna solum mater, sed & nutrix solicita. Memoriæ mandat Philostratus; hic cœli temperiem esse talem, qualis Autumni tempore solet esse in Attica. Admirandam eorum, cum quæ ex terra proveniunt, tum quæ in terræ viscеribus generantur & latent, fertilitatem: Animantium item, quæ terra marique nascuntur præstantiam, quis digne, utque singula flagitant, commemorabit? Incredibilis per omnem Hispaniam frugum ubertas & plerique agri tantæ sunt liberalitatis, ut pro accepto uno tritici modio, triginta plurimum colonis reddant, sæpe etiam quadraginta, in Bætica præsertim, quæ quidem frugibus cunctisque rebus admodum felix. Herbarum cum sativarum, tum voluntariarum, quæ citra sementem erumpunt, quibusque insignes sunt & peculiares vires, passim cum primis in montosis locis, est feracissima: ubi *sui dissimilis*, inquit Pomponius, *Linum aut Spartum alit*. Fructus etiam arborum numero plures, formaque grandiores habet. Quid mala referam? Inter ea melioris notæ sunt duo *Canusium* & *Regium*. Quid pyra? In iis supremæ classis quatuor, quæ odore gustuque suavissima: *Apianum*, quod *Muscatum* vocant, omnium pyrorum minimum, *Vinosum*, *Pintum*, quartumque, quod Hispanis *Sine regula* nominatur. Quid olivas? In harum numero primas obtinent Hispalenses, quæ magnitudine juglandes excedunt. Quid de reliquis fructibus? Plene decantata sunt non paucis mala Hesperia vel Citrea: Cydonia, quæ vulgo *Nembrillos*, Granata, suis etiam coriis medicinam facientia. Quid vina commemorabo, optimi saporis odorisque? Passim quidem generosa admodum leguntur, aliis tamen & aliis locis præstantiora. Vites Germanicæ superioribus annis in Hispaniam a Belga quodam Petro Simonis F. transportatæ, Hispanicoque solo insitæ, jamque mirum in modum multiplicatæ, experimur quotidie, quam grata producant vina: nomen ejus, qui transivit, retinentia. Asperitatem, quam conciliare soli solet natura, frangit, emollit, jucundoque condit sapore adgenitus jam in aliena terra sub alio climate genius. Hispania etiam dives quomdam universim, ut nunc quoque variis in locis, preciosissimi auri, argenti, æris, ferri, plumbi, aliorumque metallorum. Quid jam dicam de Salinis? Sal in Hispania non modo coqui, verum etiam plurimum effodi, hoc est, & fieri & gigni, tradunt. Et in multis Hispaniæ locis ex aquis puteanis, ut apud Seguntiam & alibi: unde Regibus magnum exigitur vectigal. Gignitur in extremis maris littoribus, cæ-

Temperies.

Fœcunda pene omnium rerum alrix Hisp.

Salis pulchritudo.

teris

teris candidior. Sunt & Montes Hiſpaniæ, nativi ſalis, ut apud *Ribagorciam*: in quibus lapidicinarũ modo ſal cæditur, & arborum modo poſtea pullulat ac renaſcitur. Apud opidum *Antiqueram* vallis eſt amœniſſima, cujus longitudo paſſ. mille quingentorum, ex omni parte montium clauſa jugis, quæ hieme pluvialibus aquis impletur, & in formam magni lacus efficitur, cujus aquæ, calore ſolis adjuvante, ſoli genio, in ſalem candidum converturtur. Memorat Strabo, ſal purpureum inveniri in Luſitania: dulcedine quadam temperatum in jugis Varraconenſibus cædi, Solinus ad Oroſium; ex Varrone Agellius, montem magnum circa Iberum ex mero ſale, eique quantum demas, tantum adcreſcere. *Animaliũ ebũdantia.* Eſt Hiſpania præterea & pecorum omnis generis dives, gregibus & armentis plena, adeo ut mugitu, balatuque nemora, ſilvæ, montes, prata, campi, ſaltus ubique reſonent. Equos alit optimos: ceteris Bætica plures: Aſturia fortiores; *Aſturcones* inde dictos. Equi etiam nonnullis Hiſpaniæ locis tantæ velocitatis agilitatiſque generantur, ut vento conceptos fabularetur, imo crederet Antiquitas. Leones autem, camelos & elephantos non novit, niſi cicures & aliunde advectos. Ad venationes exſtimulant cum alia, tum in montibus, vallibus, ſilviſque damæ, cervi, apri, urſi, lepores, cuniculi. Unde Catullus:

Cuniculoſa Celtiberia Fili.

Ad aucupia invitant cum aves aliæ, tum aquilæ, ardeæ, accipitres, atagines item, eo nuper ex Scicilia allati. Item grues, anſeres, perdices, palumbi torquati dicti, anates ſilveſtres & cicures. Profecto nefas eſſet non adſcribere coronidis quaſi loco, præclarum hominis Galli de Hiſpania teſtimonium; quo quicquid in ejus miraculum huc uſque à nobis variorum judicio prolatum tanquam per *ἀναπεφαλαίωσιν* ſuccincte nerveſeque repe- *Pacati de Hiſpania elogium.* titur. Gallus cujus meminimus, Latinis eſt Pacatus qui Panegyricum doctiſſimum ſcripſit Theodoſio Imperatori Hiſpano. *Iam profectò conſtabit eum Principem declaratum qui & ab omnibus legi debuerit & ex omnibus; Nam primum tibi Mater Hiſpania eſt: Terris omnibus terra felicior, cui excolendæ atque adeo ditandæ impenſius qua cetæris gentibus Supremus ille Fabricator rerum indulſit, quæ nec Auſtrinis obnoxia æſtibus, nec Arctois ſubjecta frigoribus; Media fovetur Axis utriuſque temperie, quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æſtibus, inde Tyrrheni maris littoribus coronata, Naturæ ſolertis ingenio velut alter Orbis includitur. Adde tot egregias civitates, adde cultaque omnia vel fructibus plena, vel gregibus; adde auriferorum opus fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas Poëtarum, auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuiſſe miracula quæ dum ſint vera, ſunt ſingula: nec jam excutio veritatem: ſint (ut ſcribitur) Gargara proventu lata tritici; Menavia memoretur armento; Campania cenſeatur Monte Gaurano; Lydia prædicetur amne Pactolo; dum Hiſpaniæ uni quicquid laudatur, aſſurgat. Hæc duriſſimos milites; hæc expertiſſimos Duces; hæc facundiſſimos Oratores; hæc clariſſimos Vates paret. Hæc judicum Mater, hæc Principum eſt; hæc Trajanum illum, hæc deinceps Hadrianum miſit imperio, huic te debet imperium. Cedat his terris Terra Cretenſis, parvi Iovis gloriata cunabulis; & geminis Delos reputata Numinibus; & Alumno Hercule nobiles Thebæ. Fidem conſtare neceſcimus auditis, Deum dedit Hiſpania quem videmus.* Quicquid autem De regibus ambiant viri docti, in caſſum ruit; veriſimile eſt enim Tubal non in Hiſpania neque in Europa, ſed in Aſia fuiſſe. Huic qui ſufficiuntur, Iberus, Iubalda, Brigus, Tagus, Bætus & alii, Regeſne cenſendi? abſit: niſi quis fluviis aliiſque rebus inanimatis naſci tunc temporis ſolitos Reges concedat. Qui fictum illud agmen ſecuti, non melioris ſunt conditionis. Incerta omnia: ut & vix certiora, quæ ſucceſſione quidam geſſiſſe ſcribuntur in Hiſpania, Regibus quaſi exactis, varia fortuna, multiſque & populis a ſe ſeminatis & opidis conditis, Lydi, Thraces, Rhodii, Phryges, Cyprii, Phœnices, Ægyptii, Mileſii, Cares, Leſbii & Chaldæi. Exploratora cenſeri ſolent, quæ ab Carthaginenſibus, Romanis, multoque poſt Gothis, Vandalis, Alanis, Suevis, Hunnis, eorumque Regibus patrata memoriæ produnt ſcriptores, qui partim rebus gerendis adſtiterunt, partim ex fideliſſima aliorum cognoverunt relatione. Quum in Hiſpania longe lateque dominarentur & pleraque ſub ditione ſua haberent Pœni, aliique Africæ populi, contra eos primi omnium cum armatis exercitibus ab. S. P. Q. R. miſſi ſunt Cn. & P. Cornelii Scipiones, belli Punici II initio, qui ſeptimo ejus belli anno ſunt cæſi, Q. Fulvio Flacco & Ap. Claud. Polcro *Coſſ.* Submiſſus anno ſequenti Patri Patruoque P. Cornelius Scipio Africanus Major multa proſpere geſſit, primuſque ibidem Provinciam fecit, Q. Cæcilio Metello & L. Veturio Philone *Coſſ.* an. v. c. 1ɔxII I. Hic Aſdrubale & Magone, Carthaginenſium Ducibus, acie ad Bætulam urbem (quæ quo loco hodie in Andaluſia viſuntur *Bæca* & *Vheda*, fuiſſe creditur) fugatis, atque inde ex tota Hiſpania pulſis vindicatiſque armis Hiſpaniis, amicitiam cum Syphace Maſſylorum (hodie *Biledulgerid*) Rege, icto fœdere, firmavit. Paullo poſt rebellantes Hiſpaniæ populos ad deditionem compulit, fœdereque cum Maſſaniſſa Maſæſulorum (fuerunt ubi nunc *Regnum Tremiſenum*) Rege & Gaditanis facto, Provincia L. Lentulo & L. Manlio Acidino tradita, Romam reverſus eſt. Poſt Scipionem Hiſpaniam L. Cornelius Lentulus Proconſul obtinuit, qui rebus bene feliciterque geſtis, ovans urbem ingreſſus eſt, an. v. c. 1cl IV. Triennio poſt C. Cornelio Cethego, Minucio Rufo *Coſſ.* Hiſpaniæ primum ſunt terminatæ, atque in eas duo novi Prætores miſſi C. Sempronius Tuditanus in *Citeriorem*; Helvius Blaſio in *Vlteriorem*. Vix duobus elapſis annis, quum tantum gliſceret in Hiſpania bellum, ut jam Conſulari & Duce exercitu opus eſſet, M. Porcius Cato Conſul Citeriorem ſortitus, bello ab Emporiis (retinetur hodieque nomen in *Ampurils*) cœpto rebellantem ita pacavit, ut Proconſule ex ea triumpharet, an. 1ɔlx. Hic eſt ille Cato, qui miro ſtrategemate multarum Hiſpaniæ urbium muros uno die diruit, ſcribente Livio & aliis. Poſt Catonis victoriam Hiſpaniæ varie poſſeſſæ ſæpeque nunc hic, nunc ibi amiſſæ ita, ut ſupra xxx triumphi poſtea ex his relati memorentur. Stipendium pendere non prius cœperunt, quam Auguſto Principe, qui quum Hiſpaniam omnem, debellatis Cantabris & Aſturibus, qui omnium diutiſſime reſtiterant, multo varioque marte perdomuiſſet, univerſam in tres Provincias diviſit, *Bæticam*, *Luſitanicam*, & *Tarraconenſem*. Singulis inde ſui ſunt attributi conventus: Bæticæ IV, *Gaditanus*, *Cordubenſis*, *Aſtigitanus*, & *Hiſpalenſis*. *Luſitania* tres habuit *Emeritenſem*, *Pacenſem* & *Scalabitanum*. *Tarraconenſis* denique VII, *Carthaginienſem*, *Cæſar-Auguſtanum*, *Clunienſem*, *Aſturum*, *Lucenſem*, & *Bracarenſem*. videndi Plin. lib. 3. Strab. lib. 3, & alii. Sic rebus ſubinde paullum mutantibus, Provinciæ nobiliſſimæ Romanis paruerunt uſque ad Imperatoris Honorii, & Theodoſii conſulatum, qui incidit in annum Chriſti ccccx: quo tempore Vandali, Suevi, & Alani, ab Stilicone in Gallias evocati, quum eas, Rheno trajecto, omnes pene occupaſſent & in iis jam immanium Barbarorum more debaccharentur: ab Gothis, Adolpho, & Vallia Regibus, quos ad liberandas Gallias Honorius Imp. miſerat, exacti, taranſgreſſi Pyrenæos montes, Hiſpaniam Romanis ereptam multos annos obtinuerunt. Quo tempore Vandali & Alani a Bonifacio in Africam, cui pro Imperatore præerat, evocati Hiſpanias Gothis poſſidendas reliquerunt. Gothi Hiſpaniam, Romanis Præſidiis omnino expulſis, quum ſui juris feciſſent, eaque ſub ſuis Regibus longo jam tempore fuiſſent potiti: tandem ingenti bello ab Sarracenis Arabibus profligati, Rege Roderico occiſo Hiſpaniam fere omnem amiſerunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [328] - -
PUBLIC DOMAIN

runt. Bello ſuperſtites quum in Aſturum, Cantabrorum & Gallæcorum montibus ſeſe muniiſſent paullatim amiſſas regiones, urbes & caſtella recuperare cœperunt, & poſtremo quum Sarracenorum res in Bætica Hiſpania ſe contraxiſſent, omnemque Hiſpaniam Gothi recuperaſſent, iis etiam ab Ferdinando Aragoniæ Rege cognomine Catholico (quod hæreditarium deinceps eſſe cœpit ſucceſſoribus) victis atque omni Hiſpania cum Mele, qui ſe Granatæ Regem ſcribebat, exturbatis, univerſa regio dominis antiquis eſt reſtituta. Quum autem Maurorum temporibus a quinque Regibus, Caſtellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Granatæ, & Navarræ, Hiſpania fuerit poſſeſſa, ſolus hodie Imperium in eam exercet *Philippus* IV Philippi tertii F. Caroli Imperatoris ter-Maximi ab nepos. Diviſa olim varie fuit. Romani primo diviſerunt in *Citeriorem* & *Vlteriorem*. *Citeriorem* dicebant, quæ Principi urbi Imperiiſque terris proximior erat, inter Iberum ſita fluvium & Pyrenæos montes: *Vlteriorem* vocabant quæ remotior, ultra Iberum, ad Oceanum uſque extenſa. Poſtea in tres partiti ſunt partes *Citeriorem*, multo amplioribus dotatam ultra Iberum finibus, appellantes *Tarraconenſem*: *Vlteriorem* autem in *Bæticam* & *Luſitaniam* diſtinguentes. *Tarraconenſis*, cui nomen ab nobiliſſima Urbe Tarracone, potiorem complexa Hiſpaniam, Pyrenæis, ubi Ortum ſpectabat, incipiens montibus, Septemtrionaliorem partem inter Britannicum vel Cantabricum Oceanum Duriumque fluvium ad Nerium uſq; promontorium & Mare Atlanticum vel Externum; Auſtraliorem vero ab iiſdem Pyrenæis, ad Caſtalonem, ultimam Oretanorum urbem, milliaribus aliquot infra Bætis fontem, ubi initium erat Bæticæ, inter hanc & Borealius ſui procurſus brachium, Luſitaniam relinquens, protendebat; cui ſpacio Plinius IOCVII millia paſſuum adſignat: Latera utrimque Mari objiciebat, qua quidem Meridiei obverſa, Mediterraneo; qua vero Septemtrionibus, Oceano. *Bætica*, quam *Bætis* (unde nomen) media fere ſecabat, ad Septemtrionem & Occaſum Anam habebat fluvium, quo ab Luſitania ſeparabatur; ad Meridiem Mare ſpectabat, extra Columnas quidem Gaditanum, intra Columnas Ibericum; quod pars Mediterranei, ut illud Oceani: ad Ortum a Tarraconenſi diſjungebatur Caſtalonis fine, vel Saltu Caſtalonenſi; fluvioque qui hodie *Guadelentin*, Veteribus *Tader* fuit appellatus. Plinius huic ſpacio tribuit CCI millia paſſuum. *Luſitania* ad Septemtrionem Durio fluvio terminabatur a Tarraconenſi; ad Occidentem & Meridiem Oceano adluebatur: ad Ortum limitem habebat, contra Bæticam, Anam fluvium, Lineamque ductam ab Caſtris Vicellanis Septemtrionem verſus per Auguſtobrigam ad Manlianum Saltum, ubi fons erat Tormeſis in cujus ripa ſiniſtra viſitur Salamantica; vel, ut alii, ad Albocellam Vaccæorum opidum & Ocellum Amnem, cujus alvei veſtigia conſpiciuntur hodie ad Durii ripas juxta Fermoſelium. Sequentibus temporibus Hiſpaniam in ſex fuiſſe diſtributam Provincias legimus, in Breviario Rufi Feſti, quod Valenti Imperatori dicatum: *Ac per omnes*, inquit, *Hiſpanias ſex ſunt nunc Provinciæ, Tarraconenſis, Carthaginienſis, Gallica, Bætica, Trans Fretum etiam in ſolo Terræ Africæ Provincia Hiſpaniarum eſt, quæ Tingitanica Mauritania cognominatur. Ex iis Bætica & Luſitania Conſulares, cæteræ, Præſidiales ſunt.* Marianus Scotus, Auctor Notitiæ Provinciarum, *Baleares* addit *Inſulas*. Maurorum tempore Regna fuerunt in Hiſpania plurima, quæ poſteriores in quinque diviſere, Caſtellæ, Aragonum, Portugalliæ, Granatæ & Navarræ. Partiuntur autem nova diſtributione totum Imperium in tria regna, Aragoniæ, ſcilicet, Caſtiliæ & Portugalliæ. Sub Aragonenſi regno comprehenditur, præter Aragoniam, *Catalonia, Valentia, Majorica, Minorica*. Sub regno Caſtiliæ comprehenditur *Biſcaja, Leon, Aſturia, Galacia, Eſtremadura, Andaluſia, Granata, Murcia, Vtraque Caſtilia*, cum acceſſione Canariarum Inſularum. Sub regno Portugalliæ comprehenditur præter Portugalliam, *Algarbia*. Urbes toto regno pene ſunt innumeræ. Inter eas præcipuæ, *Hiſpalis, Madritum, Tarraco, Liſbona, Granata, Pampilona, Valentia, Barcino* vulgo *Barzelona*, *Legio* VII *Germanica nunc Leon, S. Lucar, Carduba, Nebriſſa, Compoſtella, Toletum, Salamantica, Complutum, Pintia, Cæſar-Auguſta* nunc *Saragoſſa, Aſturica, Auguſta*, aliæque plurimæ. Sunt hic Lacus admirabiles. Prope opidum *Bejaram* Lacus eſt non utilis minus quam admirabilis; qui & turtures, piſces ſubnigros & excellentes gignit, & futuram pluviam turbinemque, teſte Marinæo Siculo, magno æris ſonitu prænunciat adeo, ut ejus murmur quaſi Tauri mugitus ſæpe numero ad duo deviginti millia paſſ. fuerit auditum. In ſummo montis *Stelle* cacumine Lacus quidam eſt, ſcribente Vaſæo, in quo fragmenta navium ſubinde reperiuntur, quum tamen a mari plus XII Leucis abſit: quin quod exæſtuet & tempeſtates ibi audiantur, affirmare incolas, quoties intumeſcit Mare, idem notat. In Cantabriæ Lacum fulmen decidiſſe, & repertas duodecim Secures, ait in Galbæ vita diligentiſſimus Scriptor Suetonius. *Amænum Stagnum* eſt apud Plinium lib. III natur. hiſtor. cap. III, haud procul Valentia: hodie *Albufera*. Hiſpania multis irrigatur paſſim fluviis. Sunt qui centum & quinquaginta numerant, & in iis fontes ultra ſeptingentos, inter quos nobiliſſimi Segoviæ & Alcantaræ. Alii aliis ſunt nobiliores. *Iberus* ab *Ibera* opulentiſſima quondam Urbe, quæ *Elix* hodie putatur, circa Carthaginem Veterem: in cujus agro P. Cornelius Scipio viciſſe Pœnos, totamque Hiſpaniam Imperio populi Romani adjeciſſe ſcribitur. Ἴβηρ, Ptolomæo & aliis, *Ebro* hodie: erumpit apud Cantabros ex Idubeda monte, duobus fontibus quorum dexter in ſaltu Aucenſi (*Monte d'Oca*) finiſter ad opidum, quod Incolis *Fuentibre*. Inde magnis creſcens amnibus, primo Calaguritanis exceptus arvis (*Calahorra*) Iuliobrigam & Tubellam petit, Navarræ opida, Iuliamque & Celſam, inde Cæſar-Auguſtam adluit. Illinc degreſſus in Auſtrum & mox verſus Euronotum labitur per Laletaniæ populos qui nunc Catalani & Dertuſam opulentam urbem præterlabitur. Poſtremo plurimis fluviis auctus, peracto quadringentorum ſexaginta mill. paſſ. curſu in Mediterraneum, cognomine ipſi, pelagus tam violenter duobus oſtiis ingreditur, ut L paſſus in mare profuſus dulcis hauriatur. Fluviolum etiam in Bætica, qui hodie *Rio Tinto* & *Azeche*, Florianus a Campo appellatum quondam *Iberum* ſcribit. *Durius*, Hiſpaniæ fluvius maximus ex Idubeda, ubi nomen illi *Sierra*, de *Coçollo* ſcaturiens, Vectones ab Aſturibus, Luſitanos ab Gallæcis Veteribus diſterminat. Turrem Sullanam (*Tordeſillas*) Sarabrim, Mirandam, & alia opida contemplatus, decimoquinto fere infra Lamecam milliari, apud opidum Portugalliæ, quod *Portus* dicitur, rapidiſſimo curſu, Occidentali ſe miſcet Oceano. Δωρίς, Ptolomæo, Δωεΐας, Straboni; Δόερος, Appiano Alexandrino; *Duero* hodie. *Tagus* (Τάγος Ptolomæo ceteriſque) naſcitur in altiſſimis Oroſpedæ jugis, ſtadiis quinquaginta ab opido parvo, cui nomen *Tragacet*, haud procul ab urbe Concia nunc *Cuenca*. Per Carpentanos lapſus Toletum, regalem Urbem, petit, Ponteque accepto, Talaveram, Auguſtobrigam, Alcantaram aliaſque urbes non ignobiles adluens, mediam fere ſecans Portugalliam, ultra Oliſipponam in Occiduum ſe exonerat Oceanum; oſtio bis millium, ut quidam notant, quinquaginta paſſ. latitudine. Adcolis hic fluvius hodieq; *Taio*, Luſitanis *Teio*; *Tagus* auriferis arenis copioſus reliquis Hiſpaniarum fluminibus, olim præferebatur. Auriferũ hodieque, ut & alios multos Luſitaniæ fluvios eſſe adfirmat apud Ortelium, vir fide dignus Emanuel Enricus. Piſcium item Oſtreorumq; feraciſſimum, gemmaſq; generantẽ. Pomp. Mela prodit *Anas* Ἄνας, Latinis Græciſque Scriptoribus ſatis notus, originem habet ex vaſtis ſtagnis, in Laminitano agro, qui hodie *Campo de Montiel*, circa opidum, Hiſpanis *Cagnamares* dictum. Oretanos præterlapſus ad Metallinam, ubi Caſtra fuiſſe Vicellana docent antiquæ ejus loci Inſcriptiones, terræ

Vrbes.

Lacus admirabiles.

Stagnum.

Fluvii & fontes.

Durius flumen.

Tagus.

Plurima in Hiſpania olim regna.

se penetralibus condere putatur; (nam ex vulgi opinione magis quam ex veritate hæc esse, testis est apud Orteliũ oculatus Gregorius ab Austria, Præpositus Harlebecensis) mox post aliquot leucas, quasi sæpius nasci gaudens, ad Villartam eruptione facta, Augustam Emeritam, ubi longissimo ponte lapideo transitur, pacem Iuliam & Austrum versus alias urbes prætergressus ad Castrum Marinum in Oceanum evolvitur, Hispanis hodie vocatur *Rio Guadiana*, recepta ab Arabibus voce. Iis enim *Guad* fluvius. *Batis* (Βᾶτις Ptolomæo) oritur prope Castaonem ex Orospeda monte, ut scribunt Strabo & Stephanus, qua parte *Sierra d' Alcaraz* nominatur. Ab fonte in Occasum vergens Cordubam, aliaque opida præterlapsus, ad Hispalim in Austrum declinans, ostio satis amplo (unius enim Leucæ est) sed quod vadosius haud procul Gadibus in Atlanticum mare se exonerat. Hic fluvius nobilis auro Veteribus est & olivetis, Straboni etiam & Pausaniæ *Tartessus* nominatur, Stephano Πέρκης, Livius *Circen* ab Incolis nominari notat: quam appellationem aliquamdiu retinuerunt, scribente Mario Nigro, Hispania potiti Afri; quibus tandem *Guadalquivir*, vel, ut alii scribunt *Guadalchebir*, tanquam fluvius *Magnus*, fuit dictus. *Minius* Hispaniæ Tarraconensis fluvius, ortum habens sexto supra Aras Sextianas, quibus hodie *Lugo* nomen, milliari ad opidum quod vulgo *Castel-Verde*, Portum marinum secans, pontemque Belsarium & Orensem civitatem perlapsus, facto ad Valentiam cum Avia congressu, sex milliaria procurrens in Oceanum se præcipitat. Sunt & alii *Lethe*, *Turius*, *Limæa*, *Sicoris*, *Chalybs*, *Aitura*, atque alii minorum gentium fluvii. Oceano undique Hispania & mari Mediterraneo concluditur, præter eam partem quæ montibus *Maria.* Pyrenæis & Aquitaniæ conjungitur, quorum beneficio patentibus gremiis universi Orbis tam Novi quam veteris commercio oportuna, tanquam ad juvandos mortales ipsa avida in maria procurrit, quæ & marinorum *Commoditates.* piscium genus omne abunde subministrant. Inter quos cetæ, balenæ, congri, murenæ, thynni, savali, lampetræ, & alii, tum ostrea, conchyliaque. Memoriæ prodit Marineus Siculus, Valentiæ se piscem vidisse, quem piscatores mari captum portaverant & torculari magno locaverant aquæ pleno, crassitudine & longitudine magnæ mulæ, cujus caput, os, nares, oculi, bovis esse videbantur, præter cornua, quibus carebat, mammas habebat muliebres & manus mamillis adpositas, vulvam quoque mulieris: addit postero die peperisse piscículum ipsi persimilem, longitudine trium pedum, crassitudine colli canis Gallici, matremque eum quatriduo post fame fortean coactam, devorasse. *Sinus* Hispaniæ celeberrimi sunt tres, omnes ad mare Mediterraneum, *Sucronensis*, *Illicitanus*, *Virgitanus*. Omnium vastissimus est *Sucronensis*, magno satis ore Pelagus accipiens & quo magis penetratur angustior. Mediæ magnitudinis est *Illicitanus*, nunc *Puerto d' Alicante*. Minimus est *Virgitanus*, ab opido, ut scribit Mela, *Virgi*, hodie *Vera* vel *Bera*. Corrupte apud Ptolomæum *Vrce* vel *Virge*; nec emendatius apud Antoninum *Vrci*, ut nec apud Plin. *Vrgi*. Nominatur & *Gaditanus* Sinus Melæ lib. 3 ab Gadibus, hodie *Baja de Cadiz*. Inter portus, quos Hispania habet, primi est loci *Portuum nomina.* qui *Magnus* Veteribus, μέγας λιμὴν Ptolomæo inter Nerium & Scythicum Promontoria: *Coruna* hodie. Sunt & *Annibalis Portus*, apud Pomponium, *Albor* hodie in Algarbiæ regno; *Amanum* Plinio; nunc *Fuentarabie*, ut Villanovanus, vel *Bermeo*, ut Moralis censet: *Gaditanus*, Melæ & Antonino, circa Gades: *Tarraconensis*, de quo Silius Italicus lib. xv.

Sinus.

——— *Tunc hospita Tarraco Baccho*
Considunt portu, & securæ gurgite clauso
Stant puppes, positusque labor, terrorque profundi.

Montes. *Veneris* deniq; Melæ nominatus ad radices montis Pyrenæi. *Pyrenæus* inter Hispaniæ montes principem locum obtinet eam ab Galliis dividens Πυρήνη Ptolomæo, Stephano Πυρήνη, Tibullo *Pyrene*; Livio & aliis *Saltus Pyrenæus*: Hispanis *Los Pyreneos* universim: nã pro ratione locorum varia fortitur nomina. Dictum volunt plerique ἀπὸ τοῦ πυρὸς ab igne: vel quod crebris fulminum ictibus feriantur, vel quod ejus silvæ injecto a Pastoribus igne, quondam universæ conflagarint. Silius Italicus denominationis honorem tribuit Pyrene puellæ, Bebrycis filiæ, in eo Monte ab Hercule compressæ; ibique quum ab feris laniata esset, sepultæ. Pyrenæus, ut ab Ortu in Occasum ad Promontorium usque Celticum prolatatus Hispanos dividit in Cismontanos & Ultramontanos, alium ad Iberi fontes montem protrudit versus Meridiem per Hispaniæ latitudinem. Nomen illi *Indubeda* apud Strabonem & Ptolomæum. *Saltus Aucensis*, vulgo *Monte d' Oca* hodie vocatur, ab *Auca* urbe vetere, cujus ad *Villam Francam*, vigesimo supra *Burgos* milliari, vestigia monstrantur. *Orospeda* Idubedæ proles: *Orospeda* Straboni, *Ortospeda* Ptolomæo. Hodie non habet certum nomen; nam quæ Alvaro Gomecio censentur *Sierra Vermigia*, Flor. *Sierra Molina*, Cluf. *Sierra Morena*, sunt ejus partes. Orospedæ adcenseri solet *Cape*, sic Ptolomæo aliisque mons vocatur ad Fretum Herculeum; qui *Gibraltar* vulgo. Orospedæ item pars rupes præcelsa, quæ ex Hispalensi urbe Granatam eunti prope Archidonam se conspiciendam offert. Nomen habet famamque meretur ex memorabili quod in omne ævum est duraturum amoris exemplo, Hispanis dicitur, *La penna de los enamorados*, id est, *amantium rupes*. Historia hæc est: quum Regnum Granatense Mauris adhuc pareret, graveque inter ipsos & Christianos bellum flagraret, quodam in conflictu inter alios captus est Christianus, quem Maurorum rex *Amoris exemplũ.* ob formæ venustatem facilitatemque morum, libertate donavit, eundem apud se in palatio retinens. Inter hunc porro filiamq; Regis tanta tamq; casta coaluit familiaritas, ut articulis hæc Christianæ fidei præcipuis imbuta, Christianisq; commorari deinceps avens & commori, torũ conjugalem pollicita, fugam cum captivo fuerit molita. Quum autem Rex diligenter illos persequeretur, in rupem quam dixi, ut ibi delitescerent, fugerunt: videntes autem se detectos & rupem ab Mauris undiq; circumseptam cacumen conscenderunt, seque supplicio, quod ab Rege expectabant, territi, mutuo complexu præcipites inde dederunt; ad cujus rei memoriam in ejusdem rupis dorso, inque via publica cruces erectæ videntur. Paullinus *Bimarem* nominat: respicit enim duo maria, internum & externum. Strabo Calpen montem esse ait, circuitu quidem non magnum admodum, altitudine autem ingentem & arrectum, ut remotioribus insulæ formam præferat. Unam Herculis columnarum sunt qui fabulantur; alteramque ex adverso Abylam in Africa, laborum Herculis metas. Addunt unum fuisse quondam montem, sed ab Hercule perfossum, atque ita mutatam rerum faciem. Ex Orospeda prope Alcarassum *Mariani* montes surgunt. Sic nominat Plinius, qui singulariter *Marianus* Ptolomæo, & mons *Mariorum* Antonino, hodie *Sierra Morena*. Radices horum montium adluit ad lævam perpetuo fere ad Oceanum usque nobilissimus fluvius Bætis. Iuxta Barcinonem mons est, quem *Monlui* vocant adcolæ: sunt qui interpretantur *Montem Iovis*: alii melius *Montem Iudæorum*, qui quondam illic sepeliebantur, quorumque plura adhuc ibi Sepulcreta & signa. In vertice turris est: unde speculator die quidem linteo velo, noctu vero facibus Navigiorum adventum Barcinonæ civibus ostendit. *Silvis*, Nemoribus, Arbo- *Silva.* ribusque singulares ferentibus fructus, ubique est plena Hispania. Nemus est apud opidum, cui ab *Monte Majore* nomen, in quo quercus, castaneas, ilices, nuces, corylos, cerasos, prunos, pyros, ficus, labruscas & omne genus arborum fructiferarum sola natura plantavit, altitudinis ingentis & latitudinis. Haud procul opido Bejerano ne- *Nemorum* mus est amœnissimum, ubi castaneæ arboris ambitum *spontanea* se mensum scribit Lucius Marineus Siculus, pedum cir- *luxuries.*

citer

Sylvæ. citer quadraginta. Silvas etiam cæduas complures habet, magnamque materiam ſtruendis navibus præbet.

Opera publica. Plurima hic magnifica Templa, plurimæ Abbatiæ, Cœnobia, Monaſteria, Xenodochia, & Noſocomia, multa Regum conſpicua Palatia, multæ Magnatum & Equitum magnificæ & pulcherrimæ Ædes, innumera denique alia & publica & privata ædifica.

Ratio Gubernandi. *Rex* vero *Hiſpaniarum* naſcitur non eligitur; inauguratur tamen populoque Sacramentum dicit & ab eo accipit. Liberi Regis *Infantes* Hiſpaniarum appellantur. Inter eos Primogenitus, qui omnium Procerum, civitatum & populorum jurejurando Rex vivo patre deſignatus eſt, *Hiſpaniarum Princeps* dicitur. Quamvis autem Regi ſuprema ſit in omnes & omnia poteſtas liberumque arbitrium, nihil tamen fere decernit, niſi ex XII-VIRORUM (qui, totius Regni primores, *Senatum Regium* conſtituunt) conſilio. Ibi graviora, quæque magni momenti, plene ventilata terminantur, quæ celanda, in *Secretiore Conſeſſu* diſcutiuntur, quem faciunt ipſe Rex, Dictator Legionenſis, Præſes, tertiaque Conſilii Regii portio. Quæ ad Indias earumque gubernationem pertinent, tractantur in Senatu, quem *Indicum* vocant, ab uno Præſide, XII vero Conſiliariis. Bellica in *Senatu Militari* peraguntur: quem ſtatuunt XII-VIRI Senatus Regii, Dictatores item Legionenſis & Caſtellanus cum aliis. Præter hos etiam tres in Hiſpania ſunt *Iuris Præfecturæ*, quas *Audientias* vel *Cancellarias* appellant, una quidem in Caſtilia; altera vero in Granata; tertia in Galæcia: unicuique Præſes eſt, & XII Senatores: ab his, ſi litigantes ſibi minus ſatisfactum arbitrentur, controverſiæ ad Senatum deferuntur Regium; quum vero multa variaque ſint Regna, ſingulis præficitur vir primæ Nobilitatis, quem *Vice-Regem* nominant. Eſt denique *Theſaurarius Caſtellanus* ſub ſe quatuor habens *Quæſtores*; quorum omnium eſt pecunias Regni tractare, earumque habere reddereque rationem. Ducum in Hiſpania, Marchionum, Comitumque ingens numerus. Præter Principem *Aſturiarum* & alios, Duces invenio circiter XXIII. Sunt illi *Friaenſis, Medinæ-Rivi-Sicci, Alvæ, Alcalæ, Alhuquerquæ, Eſcalonæ, Oſunæ, Avoſii, Bejari, Candiæ, Seſſæ, Infantaſgi, Medinæ-cæli Medinæ-Sidoniæ, Maquedæ, Naiaræ, Feriæ, Segorbiæ, Sonnæ, Villæ-Formoſ, Verraguæ, Paſtranæ, Francæ-villæ.* Quibus omnibus annuus cenſus eſt a XL ad C. Ducatorum millia; Ducibus *Infantaſgi* & *Medinæ-Sidoniæ* ſummam ſuperantibus; quorum hic CXXX, ille CXX habet millia. Marchiones hi fere, *Villæ-Novæ, Aſtorgiæ, Aguilaris, Daniæ, Mondeiaris, Navareſi, Pliegi, Saviæ, Villezæ, Comares, Aymontis, Altaminæ, Veladræ, Viarinæ, Carpii, Camaraſſæ, Corteſii, Montiſ-Maioris, Guardiæ, Montiſ-Clari, De las Navas, Pocæ, Steppæ, Tavaræ, Villæ-Francæ, Dradæ, Cavietis, Falcis, Fomeſiæ, Molinæ, Caralvæ, Valeſis, Vallis, Certæ, Ardalis, Alvæ, Alcalæ,* & alii: potiore parte Reditum percipiente ab X, ad LX millia Ducatorum. Comites recenſentur plus minus LXXX, quibus annuus Reditus eſt ab X, ad XXV Ducatorum millia: inter quos Principem obtinet locum *Bonavenſæ, Alvæ, Miranda* & *Orapeſac.* Longum eſſet Lectorique tædioſum, quærere hic Vicecomitum, Baronumque numerum: longum Viceregum, Gubernatorum, Provinciis marique Præfectorum: longum denique Magnorum Magiſtrorum, Equitumque variorum Ordinum. In Caſtella quidem *S. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ* & *Rhodienſium Ordinis S. Ioannis:* in Aragonia Cataloniaque ordinis *Monteſæ*: in Portugallia Ordinum, *Militum Ieſu Chriſti*, (cujus Magiſter ipſe Rex eſt ampliſſimi ſane, ut qui adnexas habet Provincias omnes in Africa, Aſia, Americaque inventas) *S. Iacobi*, ejus qui de *Avis* dicitur, itemque *Rhodienſium D. Ioannis.* Inter familias vero Hiſpaniæ, antiquitate prima eſt *Pacieca*, quum Hirtius in Commentariis nominet *L. Iunium Paciecum*, ubi de Corduba agit, ejuſque etiam mentio fiat apud Ciceronem lib. VI. Epiſt. ad Familiares Epiſtola ad Leptam. Non minus illuſtres ſunt *Meridona, Tolena, Cerdea, Cardonea, Larenſis, Valaſcea, Vimenitella, Stunica, Henritica, Oroſia, Cordubenſis, Limenſis, Guſmanea, Mondragonea.* Tamen errori venia, ſi quid contra ordinem commiſſum ſit. Primatus Hiſpaniæ antiquiſſimis temporibus in Hiſpalenſi fuit Eccleſia, inde vero Toletana, uſq; ad excidium illud Hiſpaniæ funeſtiſſimum; Toleto enim in Barbarorum poteſtatem redacto, Bracarenſis Archiepiſcopus ea dignitate eſt functus, docentibus illud Eccleſiæ Bracarenſis Archivis. Recuperato Chriſtianis Toleto, quum Toletanus amiſſam dignitatem retineret, contentio orta eſt, quemadmodum legere eſt lib. I. Decretal. adeo, ut adhuc ſub Iudice lis eſſe ſcribatur. Qui porro a temporibus Romanorum & Gothorum in Hiſpania fuerint Præſules, docet in Chronico ſuo I. Vaſæus cap. XX. Poſt ereptas rurſum Barbarorum manibus Hiſpanias, Epiſcopatus cum antiquis ſuis civitatibus ſunt reſtituti, tum quidam in nonnullis recens inſtituti, Septem hodie Archiepiſcopos Hiſpaniam habere legimus, iiſque ſubeſſe Epiſcopos circiter XL Suffraganeos. Primus eſt *Toletanus*, Cancellarius, cui poſt Regesges Regiamque prolem, nullus vel dignitate vel fortunæ amplitudine ſecundus, parent illi Epiſcopi, *Burgenſis* (cui ſedes olim fuerat Auræ, unde *Auritanus* & corrupte in quibuſdam Conciliis aliiſque Actis publicis *Auxitanus* dicebatur, tranſlatus inde *Burgos*, Caſtellæ Veteris Metropolim, ab Alphonſo VI, eo, qui Toletum Chriſtianis reſtituit, auctoritate Urbani II Pontif. Max. anno CIↃ XCVII) *Cuenæ* vel *Cunquenſis, Cinquenæ* vel *Giguntenſis: Oſmæ* vel *Oxomenſis* (perperam in Conciliis *Oxovienſis*) *Cordubenſis*, (Epiſcopatus hic antiquiſſimus & propter Oſium Epiſcopum celebratiſſimus) *Iaenenſis: Palentinenſis*, vel *Palentinus*, *Segovienſis.* Secundus *Hiſpalenſis.* Sub eo quondam XI, hodie III ſunt Epiſcopatus: *Malacitanus, Gaditanus* & *Canarienſis.* Tertius *Compoſtellanus* eſt, cujus ſedes olim fuerat *Iria Flavia*, unde *Irienſis*, opidum Galeciæ maritimum *Padron* vulgo; tranſlatus autem poſtea Compoſtellam, dici deinceps cœpit *Compoſtellanus*, vel *S. Iacobi*; ejus auſpicia ſequuntur: *Corienſis Placentinus, Aſturicenſis, Gamorenſis, Salmanticenſis, Orecenſis* (qui & *Aurienſis* & *Auriſinus, Orenſis* item) *Tujenſis* (vel *Tudenſis*, à *Tude* ſive *Tyde*, opido Galeciæ ad Minium amnem. ſito; *Tuy* vulgo) *Badajocenſis* (hodie quoque *Pacenſis*) *Mindonienſis* (cujus ſedes olim Ribadeum Galeciæ civitas tranſlata inde in Mindonienſem, vulgo *Mondonnedo*) *Lugenſis* & *civitatis Rodrigenſis.* Quartus *Granatenſis*, ad ejus nutum ſunt Præſules *Almeriæ* & *Guadicenſis* vel *Guaditanus*, olim etiam *Accitanus*; nam quæ olim *Accitana Colonia*, hodie *Guadix* nuncupatur. Quintus *Valentinus*: cui ſuffragantur *Carthaginenſis, Origuellæ, Segorbienſis* (vel *Segobricenſis* à *Segobrica*, quæ nunc *Segorbia*, & *Balearium Majoris.* Sextus eſt *Taraconenſis.* Obtemperant illi Præſules *Ilerdenſis* (vulgo Leridæ) *Derioſanus* vel *Tortoſæ, Herluæ, Barcinonenſis, Gerundenſis, Vrgellenſis* & *Vicquenſis.* Septimus denique *Cæſar-auguſtanus.* Eum in ſacris agnoſcunt *Pampilonenſis, Calagurritanus, Oſcenſis* & *Balbaſtienſis.* Nulli ſubſunt *Leonenſis* & *Ouetenſis.* Habet & tres Archiepiſcopos Portugallia, *Bracarenſem, Oliſponenſem* & *Funchalenſem*: ſubque iis Epiſcopos *Eborenſem, Viſcenſem, Guardenſem, Conimbricenſem, Portugallenſem, Lamecenſem, Silvenſem, Ceppetenſem, Lerinenſem.* De reliquis Epiſcopatibus, Abbatibus, Monaſteriiſque quanti ſint annuatim Reditus, notat curioſe Damianus à Goes, & alii. Ad ſtatum Eccleſiaſticum pertinet etiam Fidei Inquiſitores, in Sarracenos, Maranos & Iudæos primum creati, qui lapſu temporis vires ſuas & auctoritatem extendere cœperunt in omnes quibus alieniores ab Eccleſia Romana mentes. Academiæ in Hiſpania circiter viginti duæ numerantur, interque eas primi loci *Salmanticenſis, Complutenſis, Conimbricenſis, Periacanenſis, Saguntina, Oſſenſis* & *Ilerdenſis.* Hiſpani felices ingenio, infeliciter diſcunt; ſemidocti doctos ſe cenſent, Sophiſtarum aſtus plus ſatis amant. In Academiis Hiſpanice magis quam

Senatorum frequentia.

Archiepiſcopatus ſeptem.

Inquiſitio.

Gentis ingenium.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [332] - -

quam Latine loqui gaudent: voces etiam Maurorum non paucas admiſcentes. Suos fœtus Ingeniique monimenta ad poſteritatem raro, rarius ad Exteros, ob linguæ defectum, producunt. Fuerunt tamen, ſuntque hodie non vulgariter docti, qui præclara eruditione lectiſſimiſque Scriptis patriam inluſtrarunt, variiſq; operibus apud remotiſſimos etiam clariorem fecerunt. Si Theologi poſtulantur: prodibunt Vigilantius Preſbyter Barcinonenſis; Aquilius Severus, Prudentius, Epiſcopus Armentiæ, Olius Cordubenſis, Avitus Preſbyter; Marcianus, Epiſcopus item Barcinonenſis, Paulus Oroſius, Pacianus, eiuſque filius Dexter, Audentius, Iſidorus, Apocalypſeos Interpres; Iuſtinianus, Valentinæ Eccleſiæ Antiſtes, Leander Hiſpalenſis Epiſcopus; Martinus, Præſul Mandovenſis; Fulgentius, Epiſcopus Hiſpalenſis; Ioannes, Gerundenſis Præſul; Eutropius, Valentinus Antiſtes, Franciſcus Ximenes, Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus, Academiæ Complutenſis pater, qui variis linguis ſacra Biblia, Complutenſium appellatione notiſſima curavit imprimenda. Si Canonici Juris periti; Bernardus Compoſtellanus, Raymundus de Pennay Forti, Hugo Barcinonenſis. Si Juriſconſulti; Calixtus III Pontifex Max. Fortunius Garcia, Gomeſſius, Didacus Covarruvias, ſilentioque minime prætereundus Antonius Auguſtinus, domo Cæſar-auguſtanus, XII vir Romæ Stlit. Iudicandis, inde vero ex Alliſano & Ilerdenſi Epiſcopo, Tarraconenſis Archiepiſcopus, vir Romanarum antiquitatum & melioris litteraturæ peritiſſimus. Si Medici licet non patrii, ſed inſititii; aderunt Abincenna, Auerrois, Raſis Almancor, Meſſahallah. Si Hiſtorici; Trogus Pompejus, Iuſtinus & alii. Si Philoſophi; L. Annæus Seneca, ejuſque filii, Seneca, Novatus, & Mela. L. Iunius Moderatus Columella; C. Iulius Hyginus Sotion; Ioannes Vives Valentinus. Si Mathematici: Pomponius Mela; Abrahamus Cacutius, Alphonſus Rex Caſtellæ, Henricus Infans Portugalliæ, Henricus, Marchio Villenenſis, Arnoldus Villanovanus, ejuſque Diſcipulus Raimundus Lullius. Si Oratores: præter Senecam, Portius Latro & M. Fabius Quintilianus. Si denique Poëtæ in medium producendi: ſiſtent ſe Sextilius Hena, *LL.* Annæi Seneca & Lucanus, Patrueles, M. Valerius Martialis, Rufus Feſtus Avienus, Aurelius Prudentius, Damaſus Pontifex M. Iuvencus, Arator, Cælius Sedulius. Hiſpanis Natura calida eſt & ſicca: color ſubobſcurus, cui juvando feminæ collyrio plurimum ex ceruſſa minioque utuntur: duriora & bene compacta membra. Magna Mortales omnes ſuperſtitione ſuperant, ad Cerimonias, adulationes, amplos titulos Populis alii duces. Animi concepta dexteritate ſingulari tacendo, ſimulando, diſſimulandoque celare norunt, gravitatem ſervant cum affectata quadam ſeveritate: quæ facit ut odium ſuſtineant Nationum omnium graviſſimum, quemadmodum ipſe Mariana prędicat, atq; individuum magnorum Imperiorum adſeclam. Mulieres non admodum fœcundę paucos pariunt: priſcas Romanas æmulantes vino plurimum abſtinent: raro ſe conſpiciendas præbent. Advenas inhumaniter excipiunt. Apud Exteros alter alterum colit, veneratur, laudat, extollit: Nobilitatem, Plebeio etiam, ſi quo poteſt modo, concilians. Iuſtitiæ cultores maximi: Summis, Mediis, Imis æquale Ius adminiſtratur. Facit Magiſtratuum induſtria, ut pauca, imo nulla ibi ſint Latrocinia. Plebeiorum manus puræ ab cædibus, aliiſque flagitiis. Nemini impune eſt, qui vel Sacroſanctas Leges, vel quemcumque, etiam minimi loci, violare fuerit auſus. Inquieti magna ſemper moliuntur, potiſſimas Orbis Terrarum partes ſuis Regibus adquirere ſtudent; ubi duo treſve convenerint, cujuſcumque loci & conditionis, de Rep. graviſſimiſque Rebus diſſerunt, ad enervandas hoſtium vires vias quærunt, Strategemata excogitant, mille Machinas fabricant, ſuiſque Ducibus, ſi quid utiliter inventum, aperiunt. In caſtris famis, ſitis, laborum patientiſſimi, in acie conflictuque major illis ars quam ferocitas. Levi corpore, levibuſque armis induti hoſtem facile ſequuntur, facileque, quum opus, fuga ſibi conſulunt, nuſquam non, militaribus operam dantes meditationibus. In conviviis domi quidem frugales, ſobrii, pauciſque contenti, foris ciborum, præſertim delicatiorum, adpetentiores. Scitis & commodis utuntur veſtibus nec male formatis.

Virâ clariſſimi.

Eorum invicem gratulatio.

Hiſpania autem larga manu confinalibus ſuis aliiſque remotioribus populis infinita cum apud ſe nata, tum etiam aliunde advecta ſubminiſtrat, ſericum, lanas, pannos omnis generis, ſal, ſaccharum, mala, Mla medica, citrea, granata, cydoneaolivas conditas, cappares, uvas, ficus, pruna paſſa, amygdala, caſtaneas, glycyrrhizam, aniſum, cuminum, coriandrum, oryzam, crocum, oleum, ceram, alumen, ſnægma, minium, purpuram, thynnos, balenaſq; ſalitas, baccas laurinas, fructus diverſorum generum ſaccharo adſperſos, alabaſtrum, coralium, aurum, argentum, ferrum, chalybem, ſtannum, cuprum, plumbum, rubram Tinctorum, argentum vivum, goſſipium, gemmas item precioſoſq; lapides & aromata cum ab aliis, tum ab Indis accepta. Pro iis autem omnibus grata quadã commutatione certatim ab Europæis, Africanis, Aſiaticis, Americanis accipiunt eas Hiſpani merces, quas Natura cœliq; & ſoli genius ipſis negare ſolet.

Ex Hiſpania aliis regionibus quæ commodiat.

Hiſpanorũ natura.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [333] - -
PUBLIC DOMAIN

NAVARRA REGNUM.

Nominis ratio.

NAVARRAE nomen novum eſt, recenſque natum. Sic enim dicitur, ut quorundam eſt conjectura, quod *Navas* vocent Hiſpani agros arboribus purgatos, in quorum circuitu ſylvæ ſunt & dumeta. Unde NAVARRA regio, quæ complures habet *Navas*. Loca hæc olim inſedere *Vaſcones*, *Berones* ad Berum fluvium: *Sueſſitani*, *Bergiſtani*, *Caristi*. Veteribus hic notæ fuerunt urbes, Pompelon, Straboni πμπελὼν quam à Pompejo quidam nomen habere putant. Olim etiam *Athanagiam* fuiſſe nuncupatam, cujus Livius meminit, memoriæ prodit Joannes Gerundenſis Epiſcopus lib. v. Paralip. Hiſpan. *Athanagia* tamen Floriano *Manroſa* eſt, aliis *Tarrega*, nonnullis *Sanabuja*. Item *Caſcantum* cujus in nummis Tiberii mentio. Et *Iuliobriga* Cantabrorum vetus oppidum ad Iberum; & in ejuſdem ripa *Calagurris* patria Fabii Quintiliani. Hieronymus ex Chronico Euſebii: *Quinctilianus, ex Hſpania Calagurritanus, primus Romæ publicam ſcholam tenuit, & ſalarium à fiſco accepit & ciaruit.* Auſonius quoque ubi memorat Rhetores Burdigalenſes.

Primus Burdigalæ columen dicère, Minervi,
Alter Rhetoricæ Quintiliane togæ.
Adſerat uſque licet Fabium Calagurris alumnum,
Non ſit Burdigalæ dum Cathedra inferior.

Irrigat & tranſit NAVARRAM Iberus, vulgo *Ebro*, ortus in Cantabris, qui ſecundum radices Pirenæi montis rivulorum aquis creſcens, totam, quam lata eſt, Hiſpaniam dividit, niſi quod Auſtrum verſus, qua in mediterraneum mare ſe exonerat, paulo longius à montibus recedit.

NAVARRA olim ſatis ampla fuit; nam & Biſcajam & Logronum & Calahorram complectebatur. Nunc ab una parte Pyrenæo; ab altera Ibero clauditur, niſi quod Tudela cum aliquot oppidulis trans Iberum jaceat.

Diviſio. Dividitur in ſex partes, quarum capita ſunt: *Pompelona, Stella, Tudela, Olite, Sanguezza, S. Guan di Pie di Porto.* Præter quæ minime reticenda ſunt: *Aliſaro, Taſſaglia* & *Viana.* Pompolona ſita eſt haud longe à Pyrenæis montibus ad flumen Argam, in fertiliſſimis campis. Magna eſt & opulenta urbs, firmo muro cincta, & caſtellis duobus, uno intra; altero extra muros egregie munita. In toto regno inquit *Boterus*, non credo ſupra viginti millia focorum eſſe. Oppidum S. Ioannis Pedis Portus cognominatum, in altiſſimis montis jugis poſitum, cujus montis aſcenſus eſt XII mill. paſſ. undique fontibus uberrimis & multarum rerum feraciſſimus. Plurimum hic effoditur ferri. In jugo præterea montis planities eſt & campus amœnus, omnique tempore viridis. NAVARRAE appendix eſt Rioſcia provincia, ad latus Idubedæ montis ſita, cælo ſalubri & ſolo, vini, frumenti & mellis feraci. Pecori quoque eſt & agriculturæ valde commoda; & quamvis Pyrenæis oppoſita atque adeo montibus undique concluſa, finitimas tamen verſus Hiſpaniæ interiora Provincias bonitate ſuperat. Oſcia amnis haud longe à S. Dominico *de la Calzada* ortus, in Iberum deſcendit prope Haro. Ibidem eſt *Magera, Navarette. S. Dominico, Guardia, Baſtida.* Solum regni hujus magna ſui parte fertile, aërque ſalubris. *Solvunt-tas.*

Navarræ regnum quomodo ad Hiſpanum pervenerit, ex Mariana.

IOannis Arragonum regis obitu, anno CIↃ CCCC LXXIX, ut neceſſe erat & teſtamento illius cautum, diviſo imperio, Ferdinando Arragoni acceſſerunt. Eleonora Princeps materno jure Vaſconum regnum obtinuit, annum jam ſeptimum viduata viro, quod ipſi breviſſimum fuit & vix menſtruum. Quatuor filios genuit, Gaſtonem natu maximum, Joannem, Petrum, Iacobum; filias quinque Mariam, Ioannam, Margaretam, Catharinam, Eleonoram. Gaſto obiit, Franciſco Phœbo & Catharina relictis. Ioanni Narbonis auro paterno redemptæ urbis principatus fuit. Liberi Gaſto & Germana. Gaſto ad Ravennam cæſus; Germana Ferdinando Catholico poſt Eliſabethem defunctam nupſit. Petrus à Sexto Pont. Roman. Cardinalis factus. Jacobus cælebs vixit. Maria Guilielmo Montis-ferrati Marchioni: Ioanna Armeniaco Comiti Ioanni nupſerunt; Margarita Franciſco Britanniæ Duci Annam peperit, quæ Ducatum illum in regiam Gallorum familiam intulit. Catharina Gaſtoni Fuxenſi Candalæ Comiti juncta, duos filios genuit, unam filiam, quæ Ladiſlao Hungariæ Regi nupſit.

Eleoneræ itaque defunctæ ſucceſſit Franciſcus Phœbus XI annos natus, ſub tutela matris Magdalenæ, & Petri Cardinalis patrui ſui; anno demum CIↃ CCCC LXXXII

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [334] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [335] -

obiit, postquam regiis insignibus decoratus esset, nondum ducta uxore. Soror Catharina regnum suscepit, quæ Joanni Labretano nupta imperium ad Gallos transtulit. Narbonensis quidem injuriam sibi factam expostulabat, Francisco & Catharina Gastonis fratris liberis in regni successione prælatis cum Gastone ante matrem Eleonoram defuncto, ipse propinquior matri esset, quam nepotes. Sed Ferdinandus contra Narbonensem sensit. Multa vero postea sinistra de NAVARRAE Rege suspicari cœpit, quasi in Galliæ regem pronior, aliquid mali secreto ipsi machinaretur. Itaque præter Sacramentum ab arcium præfectis in verba regis Catholici universa ditione factum, Senguessam & Vianam urbes, quasi fidei pignora acceperat, quas tamen anno CIↃ IↃ reddidit, Magdalena filia Regum Navarræ unica in aula Reginæ veluti obside accepta. Verum minoris precii illud pignus factum est, prole mascula iis Regibus nata in spem paterni regni, cui Henrico nomen fuit. Magdalena dein in Hispania extincta.

Lerini comitem factiosum hominem Rex Navarræ omnibus opibus & urbibus, quas in Navarra tenebat, exuerat; illius filium Ludovicum Beaumontium fortunis paternis maximopere restituere cupiebat. Quædam hostilia tentata, sed clam & quasi privatim. Bello deinceps in Italia ardente inter Pontificem Cæsaremque & Gallum atque Confœderatos, cum Navarræ Rex, Gallorum Regi haud dubie faveret, Pontifex hac arrepta occasione, quod Ecclesiæ hostibus faveret, & Piscani Conventus partes Pontificis utique hostes complecteretur; Regem & Reginam Navarræ execratione devinctos, ditione omni spoliandos, omnibus Principibus persuadet. Suspecta (inquit Mariana) Ferdinandi Regis fraus erat & paulatim in plures manare cœpit rumor, eo annitente severum decretum prodiisse. Misit itaque Ferdinandus Legatum, qui officii admoneret & ne cum Gallo rationes miscerent, aut Ecclesiæ hostibus opem ferrent, denique filium obsidem postularent. Iniqua postulatio Regibus Navarræ visa, itaque nihil impetratum. Ex eo belli causæ quæsitæ, cujus hic exitus fuit, ut Reges tota Navarra à Ferdinando pellerentur, ipseque Navarram tanquam sequester, sed Regis titulo obtinuit. Facto species prætenta, Ioannem Regem pactis conditionibus non stetisse: armis Gallicis & regiis aliquoties repetitum, sed frustra. Ferdinandus denique Castellæ regno Navarram univit anno CIↃ IↃ XV. Ex eo constat, ait Mariana, Ferdinando destinatum prorsus animo fuisse, eam ditionem nunquam abdicare, quasi sui juris non secus ac alios Principatus; neque ulla religione moveri, ut ab ea sententia discederet. Sic variis sermonibus præ se tulit. Viribus potiori argumenta nunquam desunt, ad retinendum quæ armis occupavit. Si verum fateri licet, inquit, nonnullis Ferdinandi causa præsidiis fulciebatur, neque contemnendis nec prorsus inanibus. Primum Pontificis sententia Reges veteri fuisse ditione spoliatos; deinde Reges Castellæ translatum jus Claræ uxoris Henrici IV Castellæ Regis, ipsius voluntate & donatione, quo tempore à sævo patre ad non dubium exilium data est in Gastonis Fuxensis sororii potestatem, ejus nece oppido cupientis, quæ jure potior erat, quippe major natu, Vasconum imperium ad se trahere. Tertio Germanæ uxoris suæ jure, quod post fratrem defunctum ipsi competebat. Hæc ille.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [336] - -
PUBLIC DOMAIN

BISCAIA
&
GVIPISCOA.

Regio unde dicta.



BISCAIA Ioanni Gerundenſi Epiſcopo à Baſtulis Bæticæ antiquis cultoribus nomen trahit. Hi enim cum primum ex Libya in Hiſpaniam Bæticam conceſſiſſent, à Mauris loco pulſi in Galeciæ montes confugerunt, ibique domicilia ſtatuentes nomen gentis retinuerunt, ut *Baſtulia* ab eo tempore dicta ſit, quæ nunc *Biſcaia* nominatur. Hi proprium idioma Barbaricum à Latino non admodum diſtans effecerunt, quo etiamnum utuntur. *Biſcaja* à nonnullis *Viſcaja* appellatur, quæ vox ad Vaſconum nomen proxime accedit. Hiſpaniæ regio eſt ad Oceanum montibus obſita. Temperatius in ea clementiuſque cœlum quam in reliqua Hiſpania: magnis enim montibus circumdata nec frigore nimio infeſtatur, nec calore nimio torretur. Regio arboribus, quæ navibus fabricandis idoneæ, referta. Novit hoc præter alias provincias tota Hiſpania, cui integræ nonnumquam claſſes hinc ſubvehuntur. Caſtanearũ, nucum, pomorum, quæ *Aurea* cognominantur, reſinæ, metallorum omnis generis, præcipuè ferri, nigriq; plumbi, & aliarum rerum feraciſſima. Vino carenti potum ſubminiſtrant poma ſaporis optimi, preſſa. Animalium hic terreſtrium, marinorum, volatilium, fructuum, omniumque, quæ vitæ hominum commodius agendæ neceſſaria, ingens copia. Quam *Biſcajam* hodie dicimus, habitarunt olim *Cantabri*: latius tamen quam ipſa Biſcaia patet, occupatis etiam locis iis, ubi nunc *Guipiſcoa* & *Navarra*. Populi celeberrimi multorumque ſcriptis decantati. De Moribus illorum nonnulla tradit Strabo lib. III. Hi vitam nullam ſine armis eſſe exiſtimabant. Eleganter Silius Italicus lib. III.

Situs. Cæli Temperies. Soli fertilitas.

Majorum varietas.

Cantaber ante omnes hiemiſque, æſtuſque, famiſque
Invictus, palmamque ex omni ferre labore.
Mirus amor populo, quum pigra incanuit ætas,
Imbelles jamdudum annos prævertere ſaxo:
Nec vitam ſine Marte pati, quippe omnis in armis
Lucis cauſa ſita, & damnatum vivere paci.

Imperium Majorum.

Omnibus Hiſpaniæ populis ſubactis, & in populi Romani poteſtatem adductis; ſoli cum Aſturibus aliiſque conregionalibus vinci non potuerunt; unde Horat. lib. II. Od. VI:

Cantabrum indoctum juga ferre noſtra.

Ultra montes enim, qui à Pyrenæis perpetuo procurrunt ad Nerium uſq; promontorium, habitabant, neque, niſi cum maxima difficultate ſummoque periculo, adiri poterant. Debellavit tandem ferociſſimam gentem, bello fere quinquennali fractam & defatigatam, C. Cæſar Octavianus Auguſtus; ipſe contra eos, reliquoſque Romanis nondum parentes profectus. Horatius lib. III: Carm. Od. VIII.

Servit Hiſpana vetus hoſtis ora
Cantaber, ſera domitus catena.

Et lib. IV. Ode XIV. Auguſtum ipſum adloquens:

Te Cantaber non ante domabilis,
Medуſque & Indus: te profugus Scythes
Miratur, ô tutela præſens
Italiæ, Dominæque Romæ.

Subjugavit autem Cantabros Vipſanii Agrippæ, cæterorumque legatorum quos ſecum duxerat, induſtria & fortitudine, Horatius lib. I. Epiſtol. ad Iccium:

Cantaber Agrippæ Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit.

Cantabrorum gentes hac Hiſpaniæ parte lego & *Salenos*, quos nominat Pomponius Mela, & *Concanos*, qui apud Silium Italicum. Lib. III. Poſteriores male adfecti apud Strabonem lib. III. Ubi enim vulgatis legitur Κονιαχοὶ, emendandum Κονκανοὶ. Quidam hos populos male confundunt cum *Concis*, qui ad fretum Herculeum. De *Concanis* Horatius lib. Carm. Ode IV:

Viſam Britannos hoſpitibus feros,
Et lætum equino ſanguine Concanum.

Biſcaja leucas undecim in longitudinem & totidem in latitudinem patet. Viginti vero & unum municipia habet muris cincta cum ſuis pagis. In Biſcaia, præter alia, oppidum nobile *Bilbao* dictum, ut quidam opinantur, quaſi commutatione litterarũ Hiſpanis familiari *Bilvao*, id eſt *Bellum vadum*. Condidit Didacus Lopeus de Hazo, Cantabrorum princeps, anno ab Chriſto nato CIↃ CCC, aut circiter. Tria cum primis hoc oppidum commendant, ſitus oportunitas, annonæ copia, mirabiliſque negociorum hominumque varietas & multitudo. Situm eſt in loco plano duobus ab mari milliaribus. Panis habet genus ſingularis excellentiæ & bonitatis, quod incolis *Pan del Fuego* vel *de Arregoriaga* vocitatur. Per hoc oppidum in reliquam Hiſpaniam importatur quidquid Anglia, Callia, Belgica mittunt; per idem ipſum exportatur quidquid cum iiſdem aliiſq; regionibus communicandum cenſet Hiſpania. Reperire hic eſt cives qui ſoli quotannis ſua pecunia tres quatuorq; naves ædificari curant. Ab altera parte, oppidulum habet in ora maritima, *Portugalette* vulgò nuncupatum, à quo rivus quidam, maris ingens brachium, non ſolum in hanc urbem uſque: ſed in ipſas etiam domos influit. Hoc importari atque exportari parvo negocio, vilique precio, varia mercium aliarumque rerum genera indies videre eſt. Sunt etiam in Biſcaia portus nobiliſſimi. Nec eſt curpiſcium ullum genus requirat, cum & optimos habeat, & quantos fere velit, eoſque recentes. Margaritas item marinæ non negant conchæ, ſed quæ ignobiliores. Inter montes quibus cingitur, mons eſt *S. Hadriani*, in quo antrum apparet, via qua in Galliam tenditur, per quod viatores ultro citroque commeant, haud aliter, ut per Pauſilippum in Italia prope Neapolim. Hic enim in Biſcaia via lapidea per antrum hujus *S. Hadriani* montis rectà ducit, incipiendo à pago *Galerota*, qui quinque millia paſſuum ab oppido Victoria diſtat, ubi ob aſperrimam itineris difficultatem, incommodus equorum uſus, qui proinde manu ducendi ſunt, & quia ſumma montium juga abrupta & impervia, glacies niveſque perennes nulla profectione ſuperari poſſunt: nam glacie & perpetuis nivibus candent, imo horrent ſemper. Infra ſaltus ac ſcopuli valde difficiles, ut ipſa neceſſitas, & quam hæc excitare ſolet induſtria, artem modumque invenerit, quo montem pervium faceret, & in eo antrum ſeu cryptam perfoderet, mediocriter quidem latam, longam vero, in quantum ſagittæ jactus extendere ſe queat. In ingreſſu, ab Hiſpaniæ latere, ſubobſcura eſt, aliquantulũ deorſum ducit, & in medio ad ſiniſtram vergit; ubi deinde, ad exitum veluti ſtella, gratuiti lucis beneficium affulgere incipit, &, qua parte Galliam reſpicit, muro & porta clauditur. Hujus cryptæ tanta eſt commoditas & compendium, ut non im-

Oppida.

Maris commoditas.

Morel.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [336] -

merito alterum πανσίλυπον, quasi molestiarum & laboris ademptorem hunc montem appellandum existimem. Exuperata hac crypta lætum se offert hospitiũ, in quo peregrinis jucundæ & gratæ refectiones præbentur. Iuxtà est sacellum *D. Adriano* sacrum, unde monti & crypti nomen; unde mons in clivum se paulatim subducere incipit, unius milliaris itinere, & via, Appianæ similis, lapidibus strata, Romanorum opus creditur. Hac transeuntes, ut plurimum nomina sua scopulis & cautibus, quæ hic veluti Marpesiæ ac magnæ non desunt, ferro insculpere solent, unde infinita nomina, insignia & annorum numeri ibi conspiciuntur, ab iis notati, qui per salebrosas & horridas Pyrenæi cautes iter fecêre. Gens affabilis, hilaris, elegans. Virginibus Biscainis mos quamdiu innuptæ sunt, nec capillos alere, nec velari. Statim ubi nupserint, caput velant, & vitta tegunt in modum galeæ composita ex linteo coloris aurei, quam eum in modum involvunt, ut in fronte, veluti cornu aliquantulum extet. Magna hic Hispanis, cum Gallis, Belgis, Anglis, aliisque populis commercia. Lana præcipuè facit, ut omnia fora, locaque ab emtore venditoreque ferveant.

Commercia.

GUIPISCOA.

Regio. Nomina.

Situs.

Cæli temperies.

Soli qualitas

Fluvius Chalybs.

Portus.

Mores.

GVipiscoa Cantabrorum etiam olim erat regio. Nonnulli *Lipuscoam* & *Lepuiscam* vocant, corruptè, ut notat Stephanus Garibayus ejus incola. Unde autem hæc appellationem habeat, non facile dixerim, nisi forte ab *Opuscua* antiqua civitate nomen trahat. Concluditur ad Ortum amne *Vidosone* (qui & *Vidorso*, *Alduida*, *Huria*, & *Beoyvia*, medius inter Galliam & Hispaniam) Pyrenæisque montibus; ad meridiem Navarræ regno; ad Occasum Biscaia, de qua modo dixi; ad Septemtrionem mari Cantabrico. Circuitus ejus triginta sex milliarium. Temperata autem maxime hæc regio est; neq; enim sentit frigoris molestias, neq; solis vehementes ardores, cœlo autem utitur humido & inconstanti. Cum verò omnis sit montosa & aspera, non est usque adeo culta: quæ tamen coluntur, valde sunt fertilia. Vineta non habet nisi pauca in parte maritima. Cæterum regio ubique ferri & chalybis ferax, adeò ut nusquam terrarum ferri major sit abundantia aut præstantia: tantumque ejus materiæ hic effoditur, ut multis regionibus sufficiat. Vulcani officina, Martisque armamentarium ab natura videntur hic collocata: tantam ibi videre est non solum ferri, & chalybis, sed & factorum inde armorum (ut sunt bombardæ, arcubalistæ, sclopeti, loricæ, enses aliaque) copiam; ut non immerito *Murus* sive *Propugnaculum regnorum Castellæ* & *Legionis* in quibusdam regionis Archivis cognominetur, Scribit Navagierus hoc tractu tantum ferri chalybisque effodi, ut singulis annis XXC millium ducatorum inde quæstus fiat. Non igitur sine causa montem ibi scribit Plinius lib. XXXIV. Cap. XLV. totum ex ferro: *Cantabria*, inquit, *maritimæ parte, monspræruptè altus, incredibile dictu, totus ex ea materia est.* Collocantur hic à Ptolemæo, Pomponio, Plinio, aliisque, populi *Oregeviones*, *Autrigones* & *Varduli*. Primorum memoria videtur etiamnum servari in oppidis *Orendain*, *Oresa* & *Orio*, cujus appellationis ibidem etiam fluvius est non ignobilis. Metropolis est *Tolosa* ad confluentes sita Araxin & Orian. Sunt & alia oppida; *Placentia*, ubi fabrorum ferrariorum incredibilis copia: *Matrico*, vel ut alii scribendum censent, *Monte de Trico*, ab scopulo cognomine, qui oppido imminet: *Fuentarabia*, Ptolemæo φλασιόβριγα: *Fanum D. Sebastiani*, olim *Hicuru*, posteà *Don Bastia*, & corrupte hodie *Donastien*, idem sonans quod *Divus Sebastianus*. *Don* enim Cantabris nihil aliud, quam quod Latinis SANCTUS, Castellanis SANTO. Loca namque in Cantabrorum agris varia plerumque habent nomina ob linguarum differentias. Aliter ipsi Cantabri, aliter Hispani reliqui, aliter Galli, qui ipsis confinales, vocant. Situm est hoc oppidum ad ostium fluminis, quod *Menascus* Pomponio Melæ, Ptolemæo μηνόσκα hodie *Rio Gurumea*, vel *Vramea*. *Chalybs* fluvius in regionibus oritur, cujus aqua ad ferri temperamentum plurimum valet; adeò ut Hispani non alia arma, nisi quę hujus liquore temperata, approbent. Ab hoc flumine populos *Chalybes* Iustinus lib. XLV. ait appellatos. Fanum *D. Sebastiani* portum habet amplissimum, non arte humana, sed sagacis naturæ providentia factum, in quo naves ab sævientibus undis ventisq; parum faventibus securam & tutissimam inveniunt stationem. Ingressus patet inter duo castella; quorum quod ad Orientem, in edito monte exstructum, Occidentaliore, quod in rupe est eminentius; sunt & alii. Incolæ iisdem cum Biscainis sunt moribus eademque utuntur lingua. Natura sunt ingenioſi, politici, satis exculti, ad alliciendum faciles, & qui difficulter cogi possunt, honoris cupidi, suorum privilegiorum defensores acerrimi, agiles, animosi, ad tractanda omnis generis arma dexterrimi, & ad militiam proclives. Sunt & mulieres admodum robustæ, planeque viragines, corpore bene habito, forma bona, licet laboribus assuetę, ac idcirco minus arrogantes. Maris adcolæ navigationi piscibusque, cum aliis, tum quos *Baccalos* appellant, capiundis, magno lucro, dant operam. Ex quibus balenis magnam adipis copiam in ahenis decoctam exprimunt liquefactamque & cadis impositam longe lateque distrahunt. Quem liquorem vulgo *Traan* vocant. Sal quoque hic coquitur in loco, quas Salinas appellant, illud cum avena aut lini semine miscent.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [339] - -
PUBLIC DOMAIN

LEGIO ET ASTVRIA.

Quo titulo Legio ab Hiſpano teneatur.



Itulo CASTELLÆ tenentur ab Hiſpaniarum Rege *LEGIO & ASTVRIA*. Legio Septima Germanica, Nervæ, ut videtur, Imperatoris Principatu ſtativa ſua habuit ea in Hiſpaniæ regione, quę nunc Legio dicitur, vulgo *Leon*; habetque ad Ortum & Meridiem Caſtellam; ad Occidentem Galleciam; ad Boream, Aſturiam. Coluere hæc loca initio Vettones, quos Ptolemæus Οὐέττωνας vocat, à quibus *Emerita* Prudentia vocatur *Clara Vettoniæ Colonia*. Porro Vettones, poſtquam primùm in Romanorum veniſſent poteſtatem, prout refert Ælianus lib. VII variar. cap. V, conſpicati quoſdam Centuriones, qui exercendi ſui cauſa deambulabant, confectoque uno ſpatio, redibant autem quaſi linea idque faciebant identidem; primùm rem novam in admirationem traxerunt; poſtea re expenſa judicarunt eos inſanire, neque enim eſſe eorum qui ſaperent, eandem viam toties ire & redire: itaque ſe ipſis obtulere, qui eos in tabernacula deducerent, rati militis eſſe pugnare, vel iter facere, vel à labore quieſcere.

Oppida.

Oppida habet Legionẽ, Aſtorgam, Palentiam Zamorram, Salamancam & civitatem Cuidad Rodrigo. Metropolis regni eſt Legio, quæ Ptolemęo dicitur λεγίων γερμανική; Antonino *Legio Gemina*. Legionenſis urbs, inquit *Nonius*, hoc ævo nobiliſſima & templo pulcherrimo conſpicua, auguſtum ſacrarium habet, in quo XXXVII Reges & unus Hiſpanię Imperator ſepulti ſunt. Sic enim de eo ſcribit Marinæus Siculus: *Etſi templum quod ætate noſtra civitas Hiſpalenſis ædificat, aliis omnibus magnitudine præſtat; etſi Toletanum cunctis aliis divitiis, ornamentis & ſpecularibus feneſtris eſt illuſtrius; etſi denique Compoſtellanum fortioribus ædificiis, & S. Iacobi miraculis & rebus aliis memorabilius eſt. Legionenſe tamen artificio mirabili meo quidẽ judicio omnibus eſt anteponendum, in cujus clauſtro ſacellum eſt, in quo jacent Reges ſeptem & triginta, & unus Hiſpaniæ Imperator.* Vrbs nullius pene rei indiga eſt.

Aſtorga parvum oppidum, ſed munitiſſimum natura. Agrum illius perlabitur fluvius Torto, optimas trutas nutriens. Aſtorgæ vicinus eſt Sanabriæ lacus, unam leucam longus, vix dimidiam latus, quem permeat fluvius Ter. Vndas volvit inſtar maris exigui, piſcoſus admodum. Comes Beneventanus in medio lacus magnificas habet ſuper rupem conditas.

Palentia oppidum ad ripam fluminis Carracon, antiquum & nobile, Epiſcopatu illuſtre, quod ditiſſimis Hiſpanię accenſetur.

Zamorra urbs ad ripam fluminis Durii, pontem habet magnificum & agrum ſupra modum fertilem. Vrbs egregie munita eſt, totuſque tractus Zamorenſis ſcatet divite vena lapidis Zyanei, vulgo *Turqueſa*. In ditione illius eſt Sagiago, multis exiguis pagis habitata à gente ruſtica & invenuſta, tam in ſermone, quam in corporis cultu atque veſtitu.

Salamantica Academia toto orbe celebris Caſtellæ Veteri nunc accenſetur, fluvio Tormis appoſita, qui ſe in Durium amnem exonerat, non ſolum læto agrorum proventu felix, ſed & Epiſcopali dignitate & Equitum frequentia conſpicua. *Marinæus* hic ſuo tempore ſeptem millia ſtudioſorum recenſita ſcribit.

Cuidad Rodrigo à Ferraneo Rege Legionis condita, eo loco, ubi quondam fuit Mirobriga, ut munimentum eſſet adverſus Portugallos. Sunt præterea hic multa municipia, inter quæ maximi momenti, Villa Franca, Cacabelos, Ponferrada, Vierzi agri copioſiſſimi caput, *Ponte della Reina*, *Orzanaga*, *Ledeſma* natura loci admodum munita, & annonæ copia dives. Sub ſe trecentos octuaginta habet vicos, qui circiter ſedecim millia focorum continent: Betanzos, Manſilla, Villalpando, Beneventum, Saldegna, *Medina de Rio ſicco*, *Tordes-illas*, *Toro*, vino & fructibus abundans.

Methymna cognomento Campus, etſi ſæpius incendium paſſa, ſoli tamen ubertate, nundinis & mercatorum commerciis ditiſſima, honorificis privilegiis à tributis & vectigalibus, immunibus. In qua neque Rex habet officium, neque Pontifex Sacerdotium, quę res potius mali, quam boni cauſa eſt: propterea quod in ſacerdotiis & Magiſtratibus conferendis incolæ plerumque crudeliſſimè digladiantur.

ASTVRIA ad Oceanum Cantabricum Galleciam ſequitur; montoſa & ſiticuloſa regio, ſed metallis dives. Silius Italicus de iſtis;

—— —— Aſtur avarus
Viſceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effoſſo concolor auro.

Huic populo metropolis eſt *Oviedum*, ex qua



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111.2, [341] - -

originem ducunt *Idalgi*. Ptolemæus *Lucum* vocat *Asturum*. Hic Astorgam quidam locant, quam Plinius & Antoninus Asturicam nominant. Atque ab hac sive urbe, sive Provincia Asturcones equi nomen habent & pretium. Ptolemæo vocatur Ἀστέρικα Αυγοῦστα. Asturia inquit *Boterus*, à flumine Ribadeo se extendit ad Santandrum. Hoc ævo, inquit *Nonius*, divisa est in duas partes, *Asturiam d'Ovieido*, & de Santillana dictas. Metropolis Oviedo refugium quondam fuit Hispanorum & Gothorum, cum Arabes Hispaniam invaderent. Illud autem memoria dignissimum est, quod à Legione urbe recuperatio Hispaniæ initium sumserit, circa annum Christi 716; postquam totam fere Maurorum & Saracenorum gens occupasset. Pelagius enim ex regio Gothorum sanguine, Fafilæ Cantabriæ Ducis filius, à Christianorum, qui in montosa loca Austriæ confugerant, reliquiis Rex salutatus, magna strage Maurorum edita, vix regnum orsus, hosti Legionem eripuit, ac ibidem sedem sui Principatus figens, novum Castellum, quasi propugnaculum, adversus Barbarorum vim & incursiones exstruxit. Vnde Comites deinde Castellæ dicti. Rejectis autem & spretis Gothorum Regum insignibus Leonem sumsit rubrum in albo campo sævientem, quo insigni hodieque Legionenses Reges utuntur. Pelagio successit in regno Fafila filius. Huic improli Alphonsus Catholicus, Petri Cantabriæ Ducis filius, ex stirpe Ricaredi Catholici Gothorum Regis oriundus, qui uxorem duxerat Ormisendam Fafilæ sororem unicam & hæredem. In Alphonsi familia posterisque Legionis Principatus mansit usque ad Veremundum Regem Legionis XXIV, qui anna 1020 sine successore defuncto Sanctia Soror, Ferdinando Navarreo, Castellæ Regi nupta, Legionense Regnum ad Castellanum transtulit. Huic cum tres essent filii, Sanctium quidem testamento Castellæ Regem; Alphonsum Legionis & Asturum; Garciam denique Galleciæ (quę à conjugis Majoribus acquisita, Comitatus ad illud usque tempus fuerat) & Portugalliæ nominavit. Sanctius, divisionis paternæ impatiens, fratres, Alphonsū regno exuit, Garciam necavit. Cum jam sexennium circiter regnasset Sanctius, & à Vellido fraude esset interemptus, Alphonsus, qui Toleti apud Maurorum Regem exul vixerat, non solum Legionis, quod ex patris voluntate obtinebat, recuperavit, sed & Castellæ, Galæciæ Portugalliæque regna est consequutus Hunc secutus est Alphonsus VII, Hispaniæ Imperator vocari meritus.

Imperium Majorum.



GALECIA.

Nomen.

GALLECIA à Calliacis nomen habet. Ad Septentrionem est Oceanus; ad Meridiem Portugallia, à qua Durio flumine sejungitur; ad Ortum sunt Asturia & Legio. Ab his devictis nomen Calliaci emeruit D. Iunius Brutus Cos. Anno ab urbe condita DCXVI. Gallecia aëre gaudet temperatissimo. Fructus profert magna copia, inprimis mala citria, quę totius Hispaniæ optima habentur. Vina nobilissima & præstantissima hic nascuntur, præsertim prope Auriam & *Ribadaviam*, quare etiam ad multas Hispaniæ Provincias transferuntur. *Galleciæ Regio*, ait Trogus, vel ex Trogo Iustinus; *æris ac plumbi uberrima, auro quoque ditissima adeo, ut etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant* agricolæ. Commemorat & hic *Sacrum* in ejusdem finibus esse *Montem*, eum ferro violare, nefas haberi. si quando fulgure terra prosciss est (hoc autem in his terris frequens esse) detectum aurum, velut Deûm munus, colligi. Eandem Galleciam, Asturiam & Lusitaniam æque omnium metallorum fœcundam prædicat Plinius. Inter auri ramenta selibras aliquando glebas fuisse inventas scriptum reliquit Strabo. Vicena millia pondo argenti annis singulis Asturiam, Galleciam, & Lusitaniam præstitisse, tradit ex aliorum fide Plinius. Scribit etiam Niger Artabris solum auri, æris ac plumbi uberrimum esse adeo, ut aureæ glebæ sæpe aratro exscindantur. Gallecia licet ob montes nimis sit aspera, armento, pecore, nec non venatu dives. Equis abundat, piscibus supra modum affluit, salmonibus præcipuè, congris, ejusque generis, quos vulgo *Pescadas* appellant: aliis item multis lautissimis, qui sale conditi varias in Hispaniæ partes distrahuntur. Novembri Decembrique mensibus infinita piscium, quos vulgus *Besugos* nominat, vis capitur, duarum aut circiter librarum: recentes in totam Castiliam venum exportantur: facit enim adstringens frigus, ut facile serventur: saporis sunt gratissimi; gratioris tamen qui in Oceano, quam qui in Mediterraneo mari capiuntur. Algor enim Oceani pisces impinguat; ideoque quo propiores sunt Septemtrionibus, eo solent esse meliores. Floruerunt hic olim triginta, ut Strabo refert, populi, quorum præcipui nominantur *Calleci* multis & *Gallæci*, supra à nobis recitati. *Calaicum Oceanum* facit hinc Martialis. De *Callaicorum* origine & nomine (quidam enim ab *Galatis* Græciæ populis; nonnulli ab *Galathe* herculis filio derivant) videat Lector, si otium, lo. Gerundensem Episcopum Paralipom. Hispaniæ lib. II: & alios. Sed *Callaicos* sive *Gallæcos* latius habitasse vel ex eo constat, quod Numantiam, quæ nunc Castellæ veteri accensetur, Paulus Orosius dicat fuisse in capite *Galleciæ*. Sed & Ortum versus se extendebat usque ad Pyrenæos. Nunc int er mare & Aviam concluditur & Regno Portugallię & Legionis. Hæc loca insedêre præter *Gallaicos* veteres, *Ampheilochi*, *Cilii*, *Celtici*, *Tammarici* ad fluvium Tammarim, *Cæpori*, *Arotrebæ*, *Lucentes* & *Zeelæ*. Callaicorum & Lusitanorum ad Oceanum usque Domitor: quo tempore, quum exercitus fluvium mali ominis Oblivionem, transire nollet, ereptum signifero signũ ipse transportavit, militesque ut sequerentur animoso stratagemate incitavit. Legendus Livius lib. LV & sequenti. Ab hoc Bruto Templum Romæ in IX. Urbis Regione, *Bruti Callaici*. cujus meminerunt Victor & Plinius lib. nat. hist. XXXVI. cap. V. qui notat in eo fuisse Colossum Martis & statuam Veneris Gnidiæ nudæ. *Callaicos* nihil de diis sensisse, sunt qui scribunt apud Strabonem. De iisdem & Silius lib. III.

Termini.

Cœli temperies.

Soli fertilitas.

Animalium varietas

Fibrarum & Pennæ, Divinarumque sagacem
Flammarum, misit dives Gallecia pubem:
Barbara nunc patriis ululantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percussa verbere terra
Ad numerum resonans gaudentem plaudere Cetras:
Hæc requies, luduſque viris, ea sacra voluptas.
Cætera femineus peragit labor: addere sulco
Semina, & impresso tellurem vertere aratro;
Segne Viris, quidquid duro sive Marte gerendum est,
Callaici conjux obit inrequieta Mariti.

Galecia Regni titulum adepta est circa annum ab Christo nato CIↃ LX. Eo enim *Ferdinandus Sanctii Majoris* Regis Navarræ filius Rex Castellæ, quum Uxorẽ duxisset *Sanctiam* Alphonsi V filiam, Veremundi III, Legionis Regis sororem & hæredem: sicque Regna duo Castellanum & Legionense uniisset, tres habens filios, *Sanctium* quidem Testamento Castellæ Regem, *Alphonsum* Legionis & Asturum: *Garciam* denique Galeciæ (quæ ab Conjugis majoribus adquisita Comitatus ad illud usque tempus fuerat) & Portugalliæ nominavit. At *Sanctius*, divisionis paternæ impatiens, fratres, *Alphonsum* quidem Regno deturbavit, *Garciam* autem occidit. Quum jam *Sanctius* circiter sex annos regnasset, & ab Vellido per fraudem esset obtruncatus, *Alphonsus* qui Toleti apud Maurorum Regem exul vixerat, non solum Legionis, quod ex Patris voluntate obtinebat, recuperavit, sed & Castellæ, Galeciæ, Portugalliæque regna est consequutus. Alphonso tres liberi fuerunt legitimi ex totidem conjugibus: ex Isabella quidem Franciæ Regina, *Sanctia*, nupta Roderico Comiti, qui novas Colonias duxit in Civitatem, quæ vulgo *Ciudad Rodrigo*: ex Zaida Maura, Siviliæ Regis filia, *Sanctius* qui acie adversus Saracenos cecidit: ex Constantia denique *Vraca*, quæ Sancto Sanctiæque inprolibus superstes, post Raimundum Berengarium Tolosæ Comitem, nupsit Alphonso Aragoniæ Regi, Hæredemque ex se reliquit *Alphonsum* VII, Regem omnium, qui ante ipsum fuerant, potentissimum, Hispaniæque Imperatorem nuncupari meritum. Ab eo tempore Galecia unũ semper habuit cum Castella Legioneque Regem & Principem. Sunt autem in Galecia præter alia minorum gentium oppida, urbes, una quidem Archiepiscopatus, quatuor autem Episcopatus dignitate nobiles. Archiepiscopalis quæ & Metropolis Galeciæ *Compostella*: ubi corpus D. Iacobi quiescere dicitur, à quo ipsa urbs, nonnullam etiam ab Academia sua celebritatem habens, hodie Sant Jago, *Brigantium* veteres vocavere. Archiepiscopatus superbit dignitate, cujus sedes olim fuerat *Iria Flavia*, unde *Irienses*. Translatus autem cum omnibus, quæ Irienses Ecclesiæ fuerant, Dalmachii Episcopi precibus, ab Urbano II anno CIↃ XCIV Compostellam, dici deinceps cœpit *Compostellanus*, vel *S. Iacobi*, ab Apostoli corpore, quod ibi quiescere scribitur, ac religiose colitur. Extat Salmanticæ in Bibliotheca Collegii S. Salvatoris Historia Compostellana, in duos libros digesta jussu Didaci primi Archiepiscopi Cõpostellani, in quibus primordia, successus, incrementa Ecclesiæ Compostellanæ latè describuntur. Focos numerat bis mille. Minius eam præterlabitur, multorum jam fluminum accessione auctior. *Lugo* magnum fuisse oppidum, murorum ambitus ostendit. Non desunt Galleciæ aquæ calidæ, multis infirmitatibus admodum salutiferæ. Orensis urbs sita ad amnis Minii ripas agro non amœno solùm sed & felici, sapidissimis undique fructibus egregie ornatur, præter generosissimi & nobilissimi vini copiam. Templum habet Cathedrale, sed præcipuè ad urbis decus commodumque faciunt, non uno loco erumpentes fontes calidi, quorum nonnulli ita sunt moderati caloris, ut corpus innoxiè illum queat perferre; alii verò tam intense fervent, ut tactus calorem aspernetur, & ova in illis coqui possint, & in quos sues immersi facile depilentur. Episcopum habet cujus reditus sunt 3000 ducat.

Imperium Majorum.

Urbium nomina.

Minora opida sunt *Tui* & *Mondogneto*, cœlo tamen salubri soloque perfœcundo gaudentia. *Minora oppida.*



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [344] - -

Municipia. Cætera municipia aut ad oram maris sita sunt, ut *Bajona*, cui objacent *Islas de Bajona*, olim Insulæ Deorum, *Vigo*, *Pontefedra* bis mille quingentos focos numerans, *Padro*, *Noja*, *Muros*, *Cea*, *Finis terræ*, *Mongia*, *Corunna*, *Pontedeaume*, *Portus Galleciæ*, *Ferrol*. *S. Maria*, *Bivero*, *Ribadeo*; aut ad ripas fluminum, ut *Sarria*, *Botancos*, *Rivadavia*, *Viana*.

Coronç, Hispanis *Corunnæ*, duplex oppidum est. Alterum superius in declivi montis positum, arce & mœnibus firmatum, cui inferius (*Pescariam* vulgo vocant) ab ima parte mœnibus conjungitur, à ceteris partibus mari peninsulæ specie alluitur. Portum habet maximę classis capacem, non longe ab hoc oppido præstantissimæ jaspidis sunt fodinæ. Marinæus ad Durii ripā commemorat *Taurum* civitatem in alto planoque loco sitam, & rubeo vino, frugibus ac arborum fructibus abundantem.

Oppida maritima. Oppida Galleciæ maritima hoc ordine jacent: *Avila*, à quo oppidulo ad Luarcam sex numerantur miliaria; à *Luarca* ad *Ribadeo* decem; à Ribadeo ad *Vivero*, à *Vivero* ad oppidum *S. Marci* unum; ab oppidulo S. Marci ad promontorium *Ortegal* sex, pone quod Castellū visitur; ab hoc promontorio ad *Sedeiram* 4; à Sedeira ad *Ferrol* sex; à Ferrol ad Coronnam tria; à *Coronna* ad insulam Cysargum sex, à *Cysarga* ad *Queres* duo; à Cysarga itidem ad promontorium *Bellem*, novem aut decem; à promontorio Bellem ad promontorium Corianæ itidem duo; inter utrumq; autem promontoriū sinus est, ad cujus dextrum latus oppidum *Mongia* situ est. Deniq; à promontorio Corianæ ad promontorium *Finis terræ* duo sunt miliaria; à promontorio hoc ad *Sechem* sive *Corconiam*, unum: ab eodem ad *Pontevedra* septem, oppidum hoc longius abest à mari in interiori sinu, cujus ori insula objacet, à qua ad Bajonam quatuor sunt miliaria. Intermedio autem spatio jacent *Cannas* & *Vigo*. A Bajona ad Caminam sunt tria; à *Camina* denique ad Vianam quinque, ubi ora Galeciæ terminatur.

Flumina. Apud Gallæcos nascitur *Astura*, amnis non obscuri nominis: à quo *Astures* nominati. Mentio apud Orosium lib. VI. cap. II. Romanæ Historiæ. Sunt præterea *Minius*, *Eume*, *Bravio*, *Mandeu*, *Mero*, *Iuvia* & alia. Portus habet hæc Regio non paucos, inter quos celeberrimus, qui *Brigantinus* dicebatur; *Coruna* hodie: *Magnus* Veteribus, ut qui amplissimus, tutissimaque navium statio sit. Per hunc in mare se exonerant hæc flumina: *Eumo*, *Bravio*, *Mandeu*, *Mero*. Haud procul hinc distat Portus *Ferol*, alias *Pharus*, per quem in mare influit fluvius *Iuvia*. Sequitur *Vivero*, per quem in Mare exit *Lambrone*, *Ribadeo*, per hunc *Eu* aut *de miranda*, qui forte Antiquorum est *Navia*, mari miscetur. *Sancta Maria in finibus Terræ*, sic dictus ab oppido hujus nominis, *Novium* Ptolomæo, *Noela* Plinio. Hodie *Noia* Carolo Clusio, diciturque etiam *Ria de Muros* ab oppidulo haud longè inde distante. Atque hic flumen *Tambre*, quod Veterum *Tamaria* creditur, in mare delabitur. *Ria de Padron*, sic dictus ab oppido *Padron* quod nonnulli Irim Flaviam esse existimant. Hic Flumen *Vlla*, multis rivulis jam auctum se in mare exonerat, tribus primum ibi parvis, *Arocca*, *Grave*, & *Salicora* salutatis Insulis. *Ria de Ponte vedra*, sic dictus ab oppido *Ponte vedra*, atque hic *Leris* in mare decurrit. *Ria di Vigo* ubi fluviolus *Galdelas* se exonerat. Ac denique *Portus Baionæ*, ab oppido Baiona, quod *de Gallizia* vulgo cognominatur, ad differentiā alterius Baionæ quæ *Francica* dicitur & in Vasconia reperitur. In hunc Gallicianæ Baionæ portum Anglicanę naves mercibus onustę appellunt, cum mercatores Angli hic pannorum suorum stapulam, uti vocant, habeant. Regio montibus aspera, qui magnam lignorum copiam navibus ædificandis suppeditant. Ac potissima hujus Regni incolarum pars in montibus degit, in quibus domicilia satis commoda passim visuntur exstructa. Inter templa autem hujus Regionis omnium celeberrimum D. Iacobi compostellani. Condidit hoc Alphonsus Castus in honorem Apostoli Iacobi, eo in loco ubi ejusdem reliquiæ opera Episcopi Theodomiri inventæ fuerant. Id ex privilegio ejusdem Regis huic Ecclesiæ concesso, constat, accidisse anno IↃ CCC XXXV. sed anno centesimo vigesimo primo post jam cœptam Hispaniarum recuperationem, cum earum invasio & vastatio in annum IↃ CCXIV regnante Roderico, incidisset. Post hujus templi ædificationem, variis ajunt miraculis inclarescere cœpisse D. Iacobi nomen, utpote qui sæpius visus sit Hispanis contra Mauros in acie subsidio venisse, maxime Regi Raimero. Quare Hispani *Montes.* eum in præliis inclamare solent, sub nomine *Santiago*, atque sibi eum tota Hispania tutelarem divum elegit; habentque Hispani insignes ordines militares sub nomine D. Iacobi, vulgo *Santiago*, in quos nemo adscribi potest nisi claris prognatus fuerit parentibus: Post hęc Alphonsus III, cognomento Magnus, templum hoc longe augustius ædificari curavit, omnesque consequenter Reges, miris illud modis semper exornarunt ditaruntque. Quin & Pontifices Romani Ecclesiam *Opera Publica.* hanc variis donis, privilegiis ac immunitatibus donarunt. Ioannes enim octavus Brevi suo concessit ut consecraretur. Vrbanus II sedem Episcopalem Iris Flaviæ in hanc transtulit, eamque à Metropolitano Bracarensi exemit. Paschalis eandem libertatem ei confirmavit, & insuper hac Compostellanam Ecclesiam prærogativa donavit, ut Cardinales XII in ea crearentur. Eliguntur hi Cardinales ex aliis hujus Ecclesiæ Canonicis. Idem Pontifex Episcopo Compostellano pallium, quo soli solent uti Archiepiscopi, concessit. Tandem Calixtus II Ecclesiam Compostellanam ad Archiepiscopalem dignitatem evexit, Emeritanamque ei attribuit Metropolim. Solet valde à peregrinis ex toto Christiano Orbe, voti ergo frequentari hæc Ecclesia: atque hæc vota à Pontificibus in suis indultis, excipi cœperunt, uti vota Urbis Hierosolymitanæ. Usque ad tempora Alphonsi VI, qui Toletum à Mauris recepit, corpus S. Apostoli in arca marmorea in qua inventum fuerat, sub altari ita collocatum erat ut à Regibus aliisque Principibus semper conspici posset: verum cum D. Diego Celmires, primus hujus Ecclesiæ Archiepiscopus, jam templum in eam qua nunc cernitur amplitudinem, decoremque perduxisset, testudini subter altare in eadem Arca marmorea reliquias S. Apostoli ita includi curavit, ut ab eo tempore amplius nemini earum patuerit aspectus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [345] - -
PUBLIC DOMAIN

PORTVGALLIA.

Regio. Nomina & unde deducta.



PORTVGALLIÆ nomen recens est, quod quidam sic nuncupatum volunt à *Portu Gallorum*. Quasi à *Cale portu*, qui olim piscationis gratia frequentari solitus, postea in civitatem opulentissimam evasit, totique regno nomen & appellationem dedit. Lusitaniam Veteres dixere, à Luso & Lusa Bacchi Comitibus, ut ex Varronis sententia referunt Plinius & Martianus. Circumscribitur inquit Thuanus à Septentrione Durio flumine; inde ab ipsius ostio ad eum usque pontem qui Septimancis adjacet; ab Occasu ea Atlantici maris parte, quæ Anæ & Durii ostia intrat; à Meridie Bætica; ab Ortu Tarraconensi clauditur, linea ab Oretanis ad eum pontem ducta, cujus è regione Septimancæ sunt. Hæc secundum Thuanum. Cæterum *Portugallia* hodie, si terræ latitudinem ab Meridie Septemtrionem versus spectemus, major est quam *Vetus Lusitania*; sin ab Occasu in Ortum, longitudinem, minor. *Lusitania* olim ad Boream terminabatur Durio Flumine, & alio minore, quod hodie *Thormis*, in ripa dextra urbem gestans Salamanticam; ductaque ad faciendum limitem Orientalem ab hujus fonte per Solerium montem saltumq; Manlianum ad Anam (ubi Castra quondam Vicelliana) linea: Anæque porro progressu per emeritam Augustam ad mare. Paullo sequiores Lusitaniæ terminos tribuit Strabo lib. III. *Portugallia* verò hoc ævo versùs Boream excurrit supra confluentes Minium Aviamque ad oppidum usque Ribadaniam, in Aviæ ripa positum, qua parte Galeciam spectat, ductaque hinc in ortum linea ad Mirandam usque ad Durium collocatam, inde verò Meridiem versus recto fere progressu facto ad ostia Anæ fluvii; quo latere Castellæ, Extremaduræ & Andaluziæ est confinalis: ad Notum & Occidentem Atlanticum respicit Oceanum, adeò ut ambitus ejus censeatur esse IↃ CCC XXC milliarium. Optima in hac regione aëris temperie, ac cœli serenitate atque ubertate præstat. Abundat vino, oleo, malis aureis, citreis, amygdalis, melle, cera. Ac fructus quos hæc regio producit bonitate antecellunt fere omnibus, qui in locis finitimis nascuntur. Et quamvis incolæ non tantùm frumenti ex agris suis colligant, ut ipsis ad victum sufficiat, tamen ex Gallia & Germania quantum opus habent, advehitur. Plurima alit hæc regio animalia, equos inprimis magno numero, tantæ velocitatis agilitatisq;, ut vento conceptos crederent Veteres. De his scribit Varro cap. I. lib. II. de R. R. *In fœtura*, inquit, *res est incredibilis in Hispania, sed vera: quod in Lusitania ad Oceanum, in ea regione ubi est oppidum Olisippo, monte Sacro quædam è vento certo tempore concipiunt equæ, ut hic gallinæ quoque solent, quarum ova hypenemia appellant: sed ex his equis nati pulli, non plus triennium vivunt.* Eadem scribunt Columella, Plinius, & alii. In Lusitania *Sus quum esset occisus* inquit idem Varro cap. IV. ejusdem libri de R. R. *Attilius Hispaniensis, minimè mendax, & multarum rerum peritus in Doctrina, dicebat L. Volumnio Senatori missam esse effulam cum duabus costis, quæ penderet* III *& XX pondo; ejusque Suis à cute ad os pedem & tres digitos fuisse.* Portugalliæ Regnũ primum circa annum IↃ C initium habuit; ad id enim usque tempus sub Hispaniæ nomine censebatur. Legendus præter alios Ioannes Bar. cap. I. Asiati. Dec. Primum regum Lusitanorum progenitorem Fasti commemorant *Henricum* Ducem Lotharingiæ, comitem Limburgium, virum animo magnum manuque promptum; qui Iaribus in Hispaniam translatis, Tyresiam duxit Alphonsi VI. Castellæ Legionisque regis filiam, accepta in dotem ea Galleciæ Lusitaniæque parte, quæ nunc Portugallia: quam non ita pridem ipsemet sua virtute ex Saracenorum & Maurorum servitute vindicarat. Defuncto circa annum IↃ CXII patri successit Alphonsus I, qui Portugalliæ se ducem appellans, regis titulum ab exercitu accepit anno IↃ CXXXIX, victoriam consequutus in Agro Orichiensi contra Ismarium, & alios quatuor Saracenorum Maurorumque reges, quinque scutorum insignia facti monimentum posteris relinquens. Successerunt huic recta fere linea Sanctius, Alphonsus II, Sanctius II, Alphonsus III, Dionysius, qui primus Algarbiorum regis titulum usurpare cœpit, Alphonsus IV, Petrus, Ferdinandus, Ioannes, Eduardus, Alphonsus V *Africanus* cognomine, Ioannes II, Emanuel, Ioannes III, Sebastianus in Africa interfectus, *Henricus* primò Cardinalis & *Antonius*: quo, quod nothus diceretur, pulso, ut proximus hæres regnum occupavit *Philippus* II Hispaniarum rex, Emanuelis per Isabellam primogenitam nepos: cujus filius *Philippus* III; & post hunc *Philippus* IV, feliciter Hispaniæ quanta quanta est, imperat. De Portugalliæ regibus eorumque ortu & Genealogia, rebusque gestis adeundi Rodericus Toletanus lib. VII. de rebus Hispaniæ cap. V. Rodericus Sanctius, Marinæus Siculus, & alii. Portugalliæ metropolis est *Olisippo*, hodie *Lisboa*. Emporium est, reliquis orbis terrarum nobilissimis concensendum: divitiis supra modum adfluens: mercium peregrinarum, quæ ex Asia, Africa, America adferuntur promptuarium celebre: situm ad Tagi fere ostium amœnissimi commodissimique: amplum, quodque sua magnitudine montes septem, totidemque valles complectitur. Primus mons est S. Vincentii ad Orientem qui Maurorum temporibus extra civitatem fuit. Secundus mons ad Occidentem est prioris, ad portam S. Andreæ ascendens. Tertius qui altissimus & undique præceps, munitissimum habet castellum, altis turribus & muris cinctum. Quartus dicitur S. Annæ estque triangularis formæ, & medius inter Castelli montem & S. Rochi. Quintus est S. Rochi, qui à porta *Do Ouro* secundum vallem, quæ media est inter ipsum & montem Castelli sensim ad S. Rochum ascendit, rursusque per angustam vallẽ ad ripam fluminis descendit. Sextus dicitur, vulgo *das Chagas*, id est, quinque plagarum Domini, propter Ecclesiam, quam hic nautici homines ædificarunt, qui nempe in Indiam navigant. Septimus est S. Catharinæ montis Sinai, qui versus Occidentem à Sexto amplissima valle divisus. Horum quinque firmo muro cincti sunt, in quo septuaginta septem editæ turres assurgunt, portæ verò sunt ad ripam fluminis viginti duæ, adversus Mediterranea septemdecim. Maxima hujus civitatis vis est in maritimis expeditionibus ob navium multitudinem & robur. Fidem facit quod anno 1588 in formidabili illa classe, qua Angliam invadere decreverat Philippus Hispaniarum Rex, tredecim fuere Portugallicæ, qua Zabræ, qua Galeones, inter quas eminebat galeon S. Martini, qua Dux Medinæ vehebatur & milites mille; & S. Ioannis, qua octingenti milites; & deniq; S. Matthæi, qua sexcenti. Armamentaria habet plurima, omni bellico apparatu instructa. Portu claret famosissimo, quem Tagus efficit, qui quindecim aut viginti miliaribus, maximis navibus navigabilis est. Ex parte qua mari adluitur, portis distinguitur XXII, qua continentem respicit XVI. Turribus per murorũ gyrum LXXVII munitur. Templa, quæ Græcis parochiæ, XXV numerantur: præter hæc plurima sunt quæ Monachis, Anachoretis, Vestalibusque sunt attributa. *Olisipponem*, ut matrem agnoscunt Transtaganæ: *Ebora* sita est loco campestri, situ plane amœno, lata & porrecta planitie, quæ impendentibus undique montibus clauditur. *Begia* vulgò *Beja* vel *Bexa* & *Almada*. Cis Tagum haud procul Olisippone Aquilonem versus *Cascale* oppidum est situ, ubi naves onerariæ, jactis anchoris, ventum æstumque,

Situs.

Cæli Temperies. Solis fertilitas.

Imperium Majorum.

Vbes.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111-2, [347] - -

que, ut flumĕ aſcendant, operiuntur. Propius ad urbĕ accedenti *Bethleem* occurrit, oppidulum. Sunt ibidem *Leiria, Tomar, Guardia*, non ignobilia, neq; obſcuri nominis oppida. Prope *Leiriam* urbs fuit Pl. *Colippo*, ejus ruinæ *S. Sebaſtiani* Varrerio. Haud procul Tomare viſitur *Ceice Celium* Antonini eidem. *Alanqueram* ad flu. Tagum patriam ſuam Damianus Goeſius, ſic dictam putat, tanquam *Alankerke*, *Alanorum Fanum* ingenioſe & verè. Inter Mondam & Durium *Conimbrica*, hodie *Coimbra*, olim caput regni Portugalliæ in rupe ſita conſpicitur, undique olivarum ſylvis, vinetiſque cincta. *Viſeum* vulgò *Viſenſis civitas* in opere conciliorum. Quod oppidum hodie *Ponte Vouga*. Inter Durium denique & Minium *Braga* ſuperbit: ſic hodie dicitur, quam ab Gallis *Braccatis* conditam fama refert, anno ante Chriſtum natum CCXC. Auguſtæ cognomen addiderunt Romani victores. Tam olim celebris, ut conventus hic fuerit ex ſeptem Citerioris Hiſpaniæ unus, unde urbes XXIV, auctore Plinio, jus petere conſueverant. Auſonius hanc urbem tali nobilitat Elogio:

Quæque ſinu pelagi jactat ſe Bracara dives.

Sita eſt ad Aleſten fluvium, cujus fontes in Spino monte quatuor ab urbe milliaribus diſtant. Vallem amœniſſimam urbi adjacentem irrigat; multis hortis, pomariis, pratis & viridariis excultam: Urbem adluit, atq; in Avum majoris famæ fluvium prope antiquum oppidum *Villam Comitis* influit. Quidam falſò *Sethem* vocant. Totius Hiſpaniæ Primatum antiquiſſimo jure ſibi vindicat: qua de re cum Toletana ſede vetus ei lis eſt & contentio. Quod porro *Calem* Antonino, nunc *Gaia* cenſetur. Sex milliaribus à Bracara Auguſta verſus Euronotum locus eſt, *Sitania* Incolis, habitatore carens, ubi olim *Cinninia* fuiſſe perhibetur, nobilis Luſitaniæ urbs. Ad Tammagum flumen vicus eſt, non ultimi tamen nominis, *Chaves* vulgò appellatus, olim *Aquiflavia* nobilis Luſitaniæ civitas, & alia oppida.

Flumina. Fluvii ſunt *Anas* ſive *Guadiana*, *Tagus*, *Mondegus*, *Durius* & *Minius*: Horum duo celeberrimi, *Tagus* & *Durius*: ille mœnia Oliſipponis alluit, & VI, aut VII inde milliaribus in mare influit: Hic prope urbem *portum* præterfluens duobus infra eandem milliaribus itidem in Oceanum ſe exonerat. Portugallia ab Occaſu & Meridie Atlanticum reſpicit Oceanum, qui præter piſces quos abunde ſuppeditat, plurimas eaſque maximas commoditates præbet. Huic copias ſuas omnes, *Maris Commoditas* ut debet, ita & acceptas fert, ac grata memorque beneficia immortalia agnoſcit, illum meliore ratione aurifluum quam Nilum ſuum Vetuſtas dignatur, quod hujus ope & merito merces undecunq; terrarum importatas accipiat, eo pacto nullius indiga, rurſuſque quibus ipſa copiis abundat, per navigia exportet, commercii cauſa terras quaſcunque non acceſſas petens; quo dum pervio uti licebit, licebit autem dum rerum univerſi ordo ſuis conſtabit legibus) non defuturas ſibi opes, ſed perennaturas confidit. *Montes.* Montes hic pauci, iique non magni, ut ſunt quos incolæ vocant *Sierra de Mochiquo*, *de Chaldecatao*, *de Sordedas*, olim dicti *Montes Lunæ*, &c. Sunt & hi plerique lucis nemoribuſque conſiti. *Sylvæ.* Sunt etiam ſylvæ & denſa nemora, in quibus Hiſpaniæ principes venari ſolent. Ad Meridionalem urbis Bragæ partem *ſilva* eſt *Primatialis*, perdicum ac leporum abundantia celebris, in cujus fere medio fons eſt amœniſſimus. *Opera publica.* In oppidulo *Bethleem*, templum eſt D. Virgini dicatum, ſumptuque incredibili exſtructum: Emanuelis Luſitaniæ regis monimentum, quod dum viveret, ſibi ipſe deſignavit. Magna tamen operi acceſſio facta ab Ioanne III Emanuelis filio; quod indicat inſcriptum arcui Tetraſtichon litteris beſſalibus:

Vaſta moles ſacrum divinæ in littore Matri
Rex poſuit, regum maximus, Emanuel.
Auxit opus hæres Regni & pietatis, uterque
Structura certant, Religione pares.

Suntq; in Interamni Portugallia, ut ſcribit Vaſæus, præter Eccleſiam Bracarenſem metropolitanam, & Portugallenſem cathedralem, atque alias quinq; Collegiatas, pluſquam centum triginta Monaſteria, quorum pleraque reditus habent ampliſſimos: præterea plus minus MCCCCLX Parochiales, ut ſcribit quidam. Certè in parte quæ Bracarenſem agnoſcit Eccleſiam octingentæ recenſentur. Ex qua re fertilitatem & religionem antiquam gentis facile agnoſcas. Sunt & pontes quadrato lapide elegantiſſimè conſtructi, eodem teſte, prope ducenti. Taceo Xenodochia, Noſocomia, Orphanotrophia, turres ediliores, pulcherrimas ædes, hortos amœniſſimos, & ejuſmodi.

Academiæ. Academias habent in hoc regno *Ebora* & *Coimbra*: Prior ab Henrico Cardinale Luſitaniæ, ejuſdemq; civitatis præſule, nuper inſtituta. De ea Iacobus Payva, *Quid ſit Academiarum*, inquit, *gloria magis literarum & virtutum ſplendore, quã antiquitate conſtat: hæc, certe paullo ante conſtituta cum antiquiſſimis & toto orbe celeberrimis jure certare poterit. Satis enim illa præfert ſpecimen integritatis, prudentiæ, pietatis, fidei & religionis, quibus mirum in modum excellit Henricus princeps clariſſimus, qui illam egregiè fundatam, mirifice auctam, omnibus neceſſariis rebus munitam, nobis & poſteritati exædificavit.* Altera etiam inſtituta nuper à Ioanne II Portugalliæ Rege.

Mores. Sunt Luſitani omnium Hiſpanorum fortiſſimi, veloces, agiles, mobili corpore levique, ut facile & fugiant hoſtem & inſequantur: prompti, laboris patientiſſimi. Sunt & eo ingenio, ut magnificè de ſe & rebus ſuis ſentiant: atque ipſi dictitant ſe vivere ex opinione, hoc eſt, ſe ſuſtentari potius eo, quod ſe eſſe putant, quàm eo quod revera ſunt. Rei Navalis ſunt peritiſſimi, ac navigationibus ad incompertas regiones toto Orbe notiſſimi; *Mercimonia.* mercatorum commerciis ditiſſimi. Maximè autem mercaturę Luſitani ſtudent, ad quam loci commoditas ipſos non parum invitat. Nam facie verſus Occidentem converſa, habet à dextra hoc regnum Galeciam, Biſcaiam, Galliam, Angliam, Germaniam, & reliqua regna Septemtrionalia: à fronte inſulas Accipitrum, quæ alias *Tercerę* nominantur: inſulas Fortunatas, unà cum Indiis Occidentalibus. A ſiniſtra Andaluſiam & fretum Herculeum, per quod in mare Mediterraneum, & inde in Italiam & Græciam navigatur. Relicto verò freto, ſi à ſiniſtra Africam circumnaviges plurimę inveniuntur regiones, & plurimi populi, ut conſtat, antiquitati incogniti.

ALGARBIA. ALgarbia ab Arabibus nomen accepit, ſignificatque campum arvumque felix & uber, in quo omnia ad commutationem neceſſaria. *Termini.* Linea autem cujus initium ab Ana fluvio inter amnes qui vulgò *Vataon* & *Careivas*: finis autem ad oppidulũ *Odeſeixa*, id eſt ab Oriente verſus Occidentẽ protracta, ſeparat *Algarbiæ* regnum ab ipſa Portugallia, omnium Hiſpaniæ regnorum minimum & ignobiliſſimum. Comportantur eo ex variis Hiſpaniæ partibus ſecundo Anæ decurſu vina omnis generis, Sicca, Baſtarda, Romana, & ejus *Oppida.* claſſis alia, quæ porro navibus impoſita in Galliam, inferiorem Germaniam, alioque avehuntur. Oppida habet *Balſam* Ptolemæo, Plinio, Antonino & Pomponio Melæ, quæ hodie *Tavila* ut Coquus opinatur: *Oſſonobam* Plinio & Antonino: quorum ille *Luſturiam* cognominat, Οσσόνοβα eſt Ptolemæo, putaturque quæ nunc *Siluis*. Fuit etiam ibidem ad Sacrum promontorium urbs *Lacobriga* Pomponio, cujus etiamnum ruinę ruderaq; viſuntur prope *Lagos* oppidum maritimum, in vico, qui Luſitanica lingua *Lagoa* vocatur, uti ſcribit *Imperium Majorum.* Vaſæus. Ejus incolæ Ἀγγοβρίται Plutarcho, Sertorium depingenti. *Algarbia* comitatus initio in dotem ab Alphonſo X, Legionis rege, ut priſci referunt Annales, datus fuit Alphonſo III Portugalliæ regi, quum filiam ipſius Beatricem, quam ex pellice genuerat, uxorem duceret. Natus ex eo conjugio *Dionyſius*: qui primus Algarbiorum regis titulum uſurpare cœpit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [348] - -
PUBLIC DOMAIN

CASTILIA VETVS
ET
NOVA.



Origo Nominis.

CASTILIA ſive Caſtella (nomen illi à Caſtello quod Pelagius Rex, recuperata à Mauris Legione, tanquam propugnaculum adverſus hoſtium incurſus condiderat) quondam *Bardulia* dicta fuit, ab Hiſpanorum Geographis in Novam & Veterem diſtincta. Caſtilia Vetus reſpicit ad Septentrionem Aſturiam, & ad Meridiem Portugalliam; ad Occidentem Caſtellam Novam; & (intercurrentibus montibus per totam Hiſpaniam pene ſe fundentibus) Orientem verſus Aragoniam & Navarram regna. Regio omnino fertilis eſt frugum, vini, croci & omne genus animalium.

Termini Veteris Caſtiliæ.

Imperium Majorum.

Eſt autem hujus regni origo iſta. Pelagius Regis Roderici patruus, quum in Cantabriâ profugiſſet, eo tempore quo Theoberto fratri à Vitiſa oculi eruti fuerant, ibi tam diu latuit, dum recrudeſceret bellum Saracenicum, victoreſque Chriſtianis rerum poteſtatem eriperent, eoſque per univerſam Hiſpaniam occiderent. Pelagius igitur ad Aſtures profectus cum reliquis Chriſtianorum, Rex illius omnis tractus factus eſt, ut & Galleciæ & Legionis, ubi etiam annos totos viginti regnavit. Has ſedes poſteri Caſtellam Novam vocavere. Ab hoc ergo frequentes Reges orti ſunt. Faſilla primùm filius ipſi fuit & ſucceſſor. Eum ſequutus eſt Alphonſus, Petri Cantabrum Ducis filius, Faſellæ gener. Hic ob extirpatam hæreſim Arrianorum primus Catholici nomen habuit. Succeſſit Veremundus Alphonſi nepos, qui ex Diacono Rex, ex Rege monachus factus eſt & locum Alphonſo ſecundo prioris filio reliquit. Hunc ferunt ab uxore abſtinuiſſe, Saracenos magna internecione trucidaſſe, duas ſedes Epiſcopales erexiſſe, Aſturicenſe & Onetenſem. Is fuit *συγχρον@* Caroli Magni. Alphonſo ſecundo ſucceſſit Ramirus, huic Ordonius, Ordonio Alphonſus III, qui fratres tres excæcavit. Hunc ſequuti ſunt Garſias, Froila, & Alphonſus IV, quem regio cultu depoſito ferunt in Monaſterium conceſſiſſe, inde quum regnum iterum peteret, à fratre Ramiro excæcatum. Ramiro ſucceſſit frater Sanctius homo obeſus, qui ad ſaginam illam corporis minuendam adhibuit hoſtis ſui Regis Saraceni Medicos. Hi non ſanarunt ipſum, ſed entoxicarunt. obiit anno Domini 1428. Hunc ſequuti ſunt Ramirus, Alphonſus V, Veremundus, Ferdinandus primus Sanctii Caſtellæ Comitis filius, qui anno 1017 Caſtellam Novam ex comitatu Regnum fecit, quum antea per Comites fuiſſet adminiſtrata. Poſt hunc fuere Sanctius & frater Alphonſus VI, poſt hos Alphonſus VII, Sanctius, Alphonſus VIII, Alphonſus IX, Henricus, Ferdinandus, Alphonſus decimus.

Metropolis Caſt. Vet. Burgos.

Metropolis Caſtiliæ Veteris eſt *Burgos*, quæ Ptolemæo (uti opinantur) Branum eſſe volunt, ſua ætate veneranda & ob multarum rerum varietatem, plurimum commendabilis, quare merito inter præcipuas Hiſpaniæ urbes habenda, ſub ſe centum & quinquaginta caſas habet. Platearum in primis & ædificiorum, pontium & templorum non modo dives, ſed & incolarum varia negotiatione celebris. Epiſcopali inſuper gaudet ſede ab anno 1098. Caſtellum habet à natura magis quam arte munitum. Inter ædificia excellit amplitudine & ſplendore Palatium Comitis ſtabuli.

Præter hanc ſunt in Caſtella Veteri, Siguenza (licet ab aliis Novæ attribuatur) Segovia, Avila, Oſma, Valladolid. *Siguenza.* Siguenza urbs ſita in clivo muris egregiè vallata & adjuncta arce. Collis pedem flumen *Henares* alluit. Epiſcopali dignitate ornata eſt, ſeptingentas numerat caſas inquit Boterus & Academiâ habet. In illius Diœceſi eſt Molina municipium octingentarum caſarum.

Segovia. Segovia urbs in editiori loco ſita, turribus undique & propugnaculis munita, lanificio præcipue clara; nec nobilior tota Hiſpania pannus, quam hic texitur, unde incolis magnæ opes. Atrium hic conſpicitur, in quo omnium pene Hiſpaniæ Regum effigies conſpiciuntur. Præcipuum vero urbis ornamentum aquæductus mirandi operis. Hic noſtra memoria Germanorum ope & aquarum, inventa ratio cudendæ monetæ, non malleis colliſo, ſed fuſo ac liquato demumque impreſſo, ductili ære, auro argentoque. Solum fœcundum. Epiſcopatus ſplendidus & opimus.

Avila. Avila oppidum in media planitie ſitum, montibus cingitur, vini præſtantioris fructuumque feracibus. Secatur à flumine Algerbe.

Oſma. Oſma urbs trecentarum tantum caſarum, Academiam habet cujuſvis pretii.

Valladolid. Valladolid nobiliſſimum Hiſpaniæ oppidum ad ripam Piſurgæ fluminis, ædificiis tam ſacris quam profanis, publicis ac privatis ornatiſſimum, omnium ſcientiarum nobiliſſimo Lycæo honeſtatur; aere ſaluberrimo, niſi interdum obſcuris Piſurgæ amnis nebulis fœdaretur. Reges illam, tanquam placidiſſimum domicilium frequentant habentque hic plurimi Hiſpaniæ Principes ædes proprias.

Municipia Caſtellæ Vet. Præter hæc oppida ſunt in Caſtella Veteri municipia multa, Frias, Birbieſca, S. Domingo de Silos, quæ Joanni de Velaſco Comiti ſtabuli Caſtellæ parent: Miranda, Lerma, nunc famoſi Ducatus caput: Soria, Almazzan, Barlanga, Aranda vaſtum municipium. Pægna-fiel, id eſt, penna fidelis, cum caſtello in vertice montis & belliſſimo ad radices palatio Ducis Oſeunæ: Roa, Olmedo, Martimugnoz, Arenalo, Sepulveda, ſitu à natura munito, quippe excelſo loco condita & aſperis rupibus & flumine circumdata. Pars Caſtellæ appellatur Terra de Campos, in qua ſunt Medina, Aguilar, Carnon, Palenza, aliaque. Ad Oceanum habet Santander & Laredum, magna & opulenta oppida, cum ſuis portubus ſatis commodis, & ſinu totius hujus plagæ piſcoſiſſimo. Fuit in eodem quoque tractu olim *Numantia*, ſummum (ut inquit Florus) Hiſpaniæ decus, quippe quæ ſine muro & turribus modice edito in tumulo ſituata ad flumen Durium, quadraginta millium exercitum per annos XIV ſola ſuſtinuit. Fuere & *Graccuris* & *Turiaſo* & *Clunia*, quarum hodie vix rudera exſtant.

Situs. CASTELLAM NOVAM à Veteri dividunt montium juga, qui à finibus Navarræ orti totam Hiſpaniam ad mare uſque Mediterraneum pervagantur. Novæ caput eſt Toletum, urbs in totius pene Hiſpaniæ umbilico ſita, loco aſpero & clivoſo, majorique ex parte amne Tago ambitur; à reliqua vero parte muris validiſſimis & centũ quinquaginta propugnaculis egregie munita. *Metropolis Toletum.* Cœli ſolique laudabili felicitate fruitur, lanificii ſericique commercio opulenta. Aquæ ductus hic mirandi operis. Auguſtiſſimo & ſplendidiſſimo templo nobilitatur, nec non Academia literarum & ſapientiæ officina. Porro inter hæc & alia permulta Toletanę urbis memorabilia eminet palatium illud celeberrimũ reſtaura-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: GM 7 8111:2, [350] - -

tum à Carolo V, multiſque novis ſtructuris auctum exornatumque. Jn hoc machina eſt Cochleata ex Tago flumine aquam in ſummam arcem attollens, quæ inde tubis & fiſtulis per univerſam non modo arcem, verum etiam urbem diffunditur in hortos, balnea, culinas, officinas, fullonias aliaque aquis deſtituta. Proximus urbi pons eſt ſupra Tagum; inde reliqua ad Orientem & Occaſum utraque in amnis ripa hortis arboribuſque plena ſunt, jucundo admodum ſpectaculo. Agri ſolum leve & arenoſum. Raræ hic pluviæ, rari quoque fontes atque rivuli; quà Tagus fluit; Vallis admodum læta & fertilis, licet anguſtior.

Diviſio Caſtellæ Novæ. Dividitur Regnum hoc in Sierram, Algarriam & Manciam; Sierræ caput eſt Cuença, quæ rupes eſt aſpera inter duo flumina & montes ædificiis optimis ornata multiſq; fontium ſcaturiginibus. Algaria à flumine Tago dividitur, frumenti, olei, vini, cannabis, croci, mellis, fructuum dives, Tajuna amne ſecatur. Marchionatum habet Mondegiar & Ducatus Paſtranæ & Infantatus, multaque ampla & ſplendida municipia, quorum caput eſt Quadalaicara: Mancia à Tago irrigatur, illius caput eſt civitas regalis, Marchionatum habet Viglienę & Prioratum Caſtellæ, plureſq; alias regiones & municipia.

Madritum. Primaria civitas eſt Madritum, oppidum totius Toletanę Diœceſeos feliciſſimum, ſitum in editiori clivo & Septentrioni maxima ex parte expoſito, cujus radices alluit modicus amnis, vulgo Guadarana dictus, qui ſaxeo ponte tranſitur; ſitus amœnitate, aëris ſalubritate, ſoli fœcunditate inter primas numerandum. Pyritæ lapidis toto territorio largus proventus. Frequens hic receſſus & habitatio Regum.

Templum Eſcuriacum, Miraculum Mundi. Sexto hinc lapide abeſt Eſcuriacum, ubi magnificentiſſimum illud Sancti Laurentii monaſterium viſitur, *Eſcurial* vulgo; Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis opus, quod Veterum profecto miraculis ſeptem annumerari poteſt. Frontiſpicium, Occaſum verſus, tribus ſuperbit portis, quarum quę media eſt, in templum auguſtiſſimum, cœnobium, collegiumque ducit: quæ vero ad dextram in officinas Monaſterio ſacratas; quæ ad ſiniſtram, in domos Scholæ deſtinatas. Quatuor operis totius angulos exornant quatuor turres arte mirabiles, quas etiam duæ ſuperant ad ipſius Templi pedem, hinc inde faſtu quodam aſſurgentes. Supra oſtium templi magnificæ ſtylobatæ ſtatuas ſuſtentant ex marmore, tophoque ſex Iſraëlis Regum, pedes altas ſeptendecim. Ad Septentrionę palatium templo vicinum ſpectatur, Regi regioque comitatui commodiſſime excipiendo paratum. Ad Meridiem variæ ſunt porticus, hortus amœniſſimus, omniſque generis herbis floribuſque inſtructus; pomarium gratiſſimis conſitum fructibus; item Noſocomium, Pharmacopolium & alia.

Alcana de Henares. Alcana de Henares, olim Complutum, urbs eſt in planitie ſita, figurâ ovali, concinnis ædificiis, agro feraciſſimo: plateam habet inſignem in longitudinem porrectam, porticibus utrinque ornatum, ſub quibus frequentes diteſque mercatorum tabernæ. Academia denique hic nobilis habetur, qua nobilitatum eſt Complutum à Franciſco Ximenio Cardinali, Archiepiſcopo Toletano.

Modina. Modina Cœli olim ampla civitas & nunc Ducatus caput, ad quem octoginta circiter pagi pertinent.

Arangivez. Arangivez locus delitioſus, à Tago & Xanama fluvio rigatur. Hipes agricolis ſedulis frequens oppidum. Ocanna, bellum municipium, focos numerat ſupra ter mille. Talavera ad Tagi ripas, ſalubri aëre & ſolo fœcundo poſita eſt; ab hac in Prioratum Caſtellæ itur.

In Prioratu Caſtellæ tredecim magna municipia numerantur, quorum præcipua, Tembleque, Conjuegra, Alcaſſar.

Sequitur deinceps Viglienę Marchionatus antiquiſſimus, in quo ſunt Rueda, Albacete, Cinciglia, Villar, S. Clemente, Vigliena.

Caſtella Veteris & Novæ Caſtellæ. Caſtella Nova Veteri præſtat & bonitate cœli atque ſoli & fructuum omnimodorum copia. Nam inter alios fructus, excellentibus olivis abundat, quibus Vetus fere deſtituitur. Pars tamen illa Veteris, quæ vulgo terra de Campos appellatur, inter Hiſpaniæ fertiliſſimas numerari poteſt. Nova Tagum flumen habet & fontes Anæ, ſicut Vetus Duriam. Reliqua montoſa ſunt & ſatis ſterilia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [351] - -
PUBLIC DOMAIN

ANDALVSIA

Continens

SEVILLAM & CORDVBAM.

Nomen.



ANDALVSIA Hiſpaniæ Bæticæ pars, complectitur Granadam & Extremaduram. Andaluſia, quam quidam *Vandaliam*, Vandalorum domum *VVendenhuys* vocant. Marius Aretius *Andaluſiam* vocatam auguratur, quaſi *ante Luſitaniam*, mutatis nonnihil litteris. Ad Ortum habet Granatam, ad Septemtrionem Caſtellam Novam, ad Occaſum Pacenſi Silvenſique Diœceſibus & Ana Flumine terminatur, ad Meridiem Atlanticum ſpectat Mare. Hujus præcipua pars *Conventus Hiſpalenſis*, qui omnium regionum & conventuum Hiſpaniæ, tum populorum frequentia & humanitate, tum divitiis, & beata rerum omnium copia feliciſſimo jure cenſetur. Longe lateque patet hoc territorium in ducenta ferme egregia oppida vicis quamplurimis non annumeratis, ut unus hic conventus pluribus oppidis juridicus ſit unus, quam omnes quatuor ſimul in ea provincia fuere, quas auctore Plinio 175 tantum jura dediſſe conſtat; nam quota pars hæc fuerit, ſi centum pagorum millia accenſeantur, quæ à Divo Ferdinando rege in Hiſpalenſi agro, quem *Axaráfium* Arabes vocarunt, cum ipſa urbe in fidem recepta ſunt? ſed ea expulſis Barbaris magna ex parte deſolata ſunt? limites autem, ut ab antiqua conventuum deſcriptione multum receſſere, ita ut Vambæ Regis formulam cunctis Hiſpaniæ Eccleſiis præſcriptam propius accedunt. Hæc Diœceſis ab Ortu Cordubenſe territorium, ab Occaſu Algarbiorum fines habet; qua Septemtrionē ſpectat, eam Luſitaniæ ditionem attingit, quæ Magiſtratus S. Iacobi vocatur. Cætera vero Meridiem verſus Gaditano Conventu, & Oceano claduntur. Cælum hic indulgens & felici quadam hilaritate & temperie ridens: terraque in univerſo hoc tractu ad miraculum uſque frumenti, vini, olei & omnis generis frugum feraciſſima eſt, quibus longinquas & tranſmarinas Provincias replet. Secundum Plinium Hiſpania, quacunque ambitur mari Italiæ laudibus proxima: quod de ea Bæticæ parte potiſſimum intelligendum putamus, quæ ad Hiſpalenſem Conventum ſpectat; eſt enim Oceano & Zephyri lenibus flabris expoſita. Hæc igitur Regio inſigni rerum omnium fertilitate luxuriat, eo nomine univerſi Orbis provincias longe ſuperans: eamque merito Plinius ante Italiæ laudes poſuiſſet, niſi homo Italus patriam anteferre voluiſſet. Poëtæ quo felicitatem atque inſignem hujus regionis ubertatem denotarent, campos Elyſios in ea conſtituerunt: quo figmento excellentem præ omnibus aliis terræ fertilitatem efferre voluerunt, ac indicare, ei nihil deeſſe quod ad vitam lautè beateq; tranſigendam optari poſſit; cum aliæ vel fertiliſſimæ Provinciæ, alicujus tamen rei plerumque laborent inopia. Hic etiam pecorum omnis generis magna copia, ſed præcipue cuniculorum, quos plerique lepuſculos vocant, quorum frequens exercetur venatio; ne malum latius ſerpat: plantis enim vaſtitatem inferunt, & ſata depopulantur. *Andaluziam* nomen à Vandalis habere ſupra diximus, quod hi à Gothis pulſi hoc loco ſedes ſuas fixerint, à quibus poſtea etiam ejecti in Africam conceſſerunt.

Situs.

Soli fœcunditas.

Imperium Majorum.

Rodericus viceſimus quintus Gothorum Rex, in quo etiam Regium Gothorum nomen defecit, Comitem quendam Iulianum præfectum conſtituerat Mauritaniæ Tingitanæ, ejuſque abſentis interea filiæ ſtuprum intulit. Quo pater audito Saracenos ex Africa evocavit juſtiſſimum dolorem ſuum Regis vindicta ſatiaturus. Hi Anno ſalutis ıɔ ccxıv Duce Muza miſſo per anguſtias freti Herculei ingreſſi, biennii ſpatio totam fere Hiſpaniam occuparunt, præter Aſtures naturâ loci munitos. Periêre tantillo tempore utrimque ſeptingenta hominum millia. Saraceni potiti Imperio Chriſtianorumque (quantum fieri potuit) religione extirpata, regna inter ſe variè partiti ſunt. Primum fecere Cordubæ, quod ipſi vocavere *Abenalibeticum*; alterum apud Hiſpalem; tertium apud Carthaginē novam: donec à Ferdinando II his locis pulſi Granatam conceſſerunt Anno ɔıɔ ccxvı & à Ferdinando VI penitus ejecti ſunt Anno ɔıɔ ccɔc xcıv. Metropolis eſt quæ Hiſpalis Plinio; Ἱσπάλις Ptolomæo; *Hiſpal* Silio; *Spalis* Gratiano; hodie *Sevilla*. Arias Montanus putat *Hiſpalim* nomen eſſe Pœnicum, ex *Spila* vel *Spala* deflexum, quod planiciem ſeu virentem regionem ſignificat. Alii, inter quos F. Taraphа ad *Hiſpalem* Herculis Libyci filium, nomen conditionemq; referūt. Ridiculus hic, ut in multis, Iſidorus, qui quum ab Julio Cæſare conditam, exque ipſius & Romæ Vrbis vocabulo *Iuliam Romulam* notaſſet appellatam, à *Palis* ſuffixis in loco paluſtri ſic dictam memorat. Ioannes Gerundenſis Epiſcopus non improbans Iſidori etymon adſcribit videri vocatam Hiſpalim à *Palude* quæ maxima urbem circumdat. Urbs ad Bætim ſitu amœniſſimo excellens, ambitu magna, forma fere rotunda, viſu pulchra, templis celebris, ędium pulcherrimarum frequentia exculta. Tam multa de hac Urbe præclara commemorari poſſent, ut natum ſit inde & tritum vetuſtate Proverbium, *Qui no ha viſto Sevilla, no ha viſto Maravilla*. Cum aliis felicis ingenii alumnis gaudet, tum Benedicto Aria Montano, nobiliſſimo & ſummo Theologo, plurimarum linguarum cognitione ſtudendo. Teſtantur id opera ab ipſo edita, quæ ſummam ejus admirationem apud omnes excitant. Ager urbi vicinus, planus & lætiſſimus, ſummumq; hic Liberi & Cereris certamen, ſed præcipuus olei proventus. Huc ex univerſi Orbis plagis, maxime vero ex India Occidentali incredibiles opes advehuntur; unde adeo opibus pollet, ut regi ſuo cogatur annuatim ſeſquimillionem aureorum obſequii & vectigalium ergò pendere. Offert ſe quinta ab Hiſpali leuca *Palatium* vel *Palantia*, quod vulgo *Palacios*, ſic dictum ab arce perantiqua, quam lateri habet adhærentem, via ſitum, quæ ad S. Lucæ Fanum fretumque Gaditanum ducit. Huic ſuccedunt *Cabecæ*, oppidulum in Montium, qui in Meridiem Malagam verſus ſe extendunt aditu ſitum: & Cabecis verſus Libonotum ad tertiam leucam oppidum quod vulgo *Lebrixa*. Situm fuit olim inter Bætis Æſtuaria, hodie octo paſſuum millia ab flumine, oblimato ſiniſteriore alveo. Oppidulum eſt peramœnum & pulchrum cum arce perveteri, agro undique beatiſſimo cinctum. Cive nobilitatum eſt Ælio Antonio Hiſpaniæ totius ornamento. Quæ *Carmona*, vulgo *Marchena* hodie, *Colonia* quondam, inquit Onuphrius, ex antiqua baſi *Marcia*. Situm eſt hoc oppidum in Colliculo quodam, ubique planicies ſpectante. Sunt & Andaluziæ oppida *Lora* ad dextram Bætis ripam: *Axalita* veteſtis lapidibus, teſte Cluſio: *Flavium Axalitanum* Ambroſio Morali ex antiqua item inſcriptione, inter Hiſpalim eſt & Cordubam. *Moron*, olim Cluſio *Arrucci*, notantibus Plinio, Antonino & priſco Lapide. *Oſſuna*, Ὀσσώνη Appiano, Οὐρσών Strabeni, *Vrſo* Plinio, cui & *Genua* (forte *Gemina*) *Vrbanorū*, *Vrſaon* in antiquis hujus loci inſcriptionibus, *Vrſao* Hirtio. *Ecela* ad Singulim fluv. hodie *Xenil* vel *Chenil*, Pt. cluit Αἴγλης, *Auguſta*

Vrbes.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111.2, [353] - -

Firmæ cognominatur à Plinio. Quod oppidum non adeo magnum, hodie tredecim ab Hiſpali leucis viſitur, inter eandem Hiſpalim & Cordubam medio fere itinere, ad dexteram Bætis oram. *Pena Flor.* in mediterraneis Turdulorum conſpicitur. Decimo hinc Miliari ad ejuſdem fluvii ripam eſt *Corduba*, *Cordova* vulgo; *Corduba* tanquam *Cor Bætis* dicitur Ioanni Gerundenſi. Pomarium ejus ampliſſimum eſt, ſed domicilia ob multitudinem hortorum rariora. Quadratæ eſt figuræ, oblongior tamen, quàm latior. Suburbana illius ſpatioſa, ita ut aliud oppidum videantur, maximè id, quod Orientem ſpectat. Ad Occidentem palatio regio ſuperbit, quod ſuis muris cinctum eſt. Habet & ſub ſe Lorenam cum aliis 550 habitationibus. Maximam hæc urbs jacturam paſſa eſt anno 1589, à terræ motu, qui multa eaque magnifica ædificia proſtravit. Alumnos habuit rei militaris gloria doctrinæque ſtudiis præcellentes. Beata hodie eſt *Corduba*, præter alia multa bona, fertiliſſimis agris, hortis amœniſſimis, aquis ſaluberrimis. Solum Cordubæ vocat aureum Silius Italicus lib. III.

Nec decus auriferæ ceſſavit Corduba terræ.

Quinque Leucis ab Corduba verſus Meridiem *Mons* eſt *Major*, vulgo *Monte Major*. Decem ab Corduba milliaribus *Mons Aureus* eſt, *Montoro* vocatur vulgo. Hiſpalim recurro, hincque per Palatium, Alcantarillæ Pontem, oppidaque Cabecas & Nubriſſam, *Luciferi* peto *Fanum*. Sic Latini videntur nominaſſe, quod Strab. lib. III. Φωσφόρου ἱερὸν interpretatur, quodque appellatum etiam addit, *Lucem Dubiam*, hodie eſt *S. Lucar de Barrameda*. Haud procul hinc quarta fere Leuca verſus Vulturnum, oppidũ eſt, quod Hiſpanis *Xeres de la Frontera* dicitur, quaſi Hiſpaniæ ex hac ora vel initium vel terminus. *Aſtam* Marinæus ſcribit adhuc nomen retinere vel locum illum eſſe, circa Gaudeleten Amnem, qui vulgo *Maſa de Aſta*. Abrahamus Ortelius haud multum abeſt, quin ſubmerſum putet cum Inſula Terteſſo in Bætis oſtio. Centum ſtadiis à Bætis oſtio diſtat *Chipiona* oppidum, Strab. lib. III. *Capionis Turris*. Ad oſtium Lethes fluminis, quod hodie *Guadelete*, vel Arabice *Bedelac*, oppidum eſt, cui nomen *Portus S. Mariæ*, vulgo *El puerto de S. Maria*. Lethen trangreſſis occurrit cum aliis *Medina Sidonia*. Meridionaliora verſus fretum petentibus offert ſe *Conilum*, non ignobile Hiſpaniæ oppidum, ſex Leucis diſtans ab Gadium Urbe: illuſtriſſimo S. Lucæ, qui & Medinæ Sidoniæ, Duci parens *Conilum*, habetur ab Georgio Auſtriaco apud Ortelium. *Carteia* Ptolomæo; *Carteia* non ſemel meminit M. Tul. cum aliis locis, tum in Epiſt. ad Atticum; eamque ab Corduba abeſſe millia paſſuum CLXX perhibet Auctor Commentarii Hiſpanienſis: cujus verba ſi ſint vera, ſatis arguunt, non bene Cluſium aſſerere *Carthaeam* hodie eſſe *Carthagenam*: quod videret hanc ab illa non prorſus abludere. *Tarifſam*, quam *Carteiam* quidam opinantur: ex Terteſſo corruptam ſi quis dixerit non admodum pugnandum videtur. Non procul inde *Vegelium* eſt, vulgo *Vegel*, oppidum exiguum quidem ſed ſitu opereque clarum, colli quem latiſſima undique planicies cingit, impoſitum adeo, ut inde circumquaque proſpectus pateat, quouſque oculorum acies extendere ſe poteſt, tam in lætam laxamque planiciem locaque compaſcua verſus Solis ortum, quam in Africæ montes & oram circa Meridiem, nec non in vaſtum & tumultuoſum Oceanum verſus Septemtrionem & Occidentem. Hincin Caurum iter flectentes obviam habent *Mondam*. Sic nominant oppidum Plinius, aliique Latini ſcriptores quod hodie vulgo *Munda*. Putant tamen alii antiquam Mundam eſſe, quæ hodie *Ronda Veia*: *Mondam* autem cujus antea memini, duobus inde milliaribus exſtructam fuiſſe ab Arabibus, priſco retento nomine, ut mos illis. Videndus Didacus Mendoſius de bello ultimo Granatenſi, Ioannes Gerundenſis Epiſcopus lib. I & IX Paralip. Hiſpaniæ procul hinc amotam Mundam, eandem ſcribit eſſe cum *Coimbra* Portugalliæ oppido. De Conflictu porro ad Mundam inter C. Iulium Cæſarem & Cn. Pompei Magni liberos Cn. Sextumque, conſulendi Plutarchus in Cæſare, Appianus lib. II. Bellorum Civil. Auctor Commentarii de Bello Hiſpanienſi, Strabo lib. III, Suetonius in Cæſare cap. XXXVI & in Octaviano Auguſto cap. XCVI, Valer. Maximus lib. VII. cap. VI, & alii. Lucanus lib. I;

Vltima funeſta concurrat prælia Munda.

Silius Ital. lib. III. Belli Punici:

Et Munda Emathios Italis paritura Labores.

Inter fluvios quibus hæc regio irrigatur, Bætis eſt Iſidoro dictus quaſi βαθὺ, quod humili ſolo decurrat. Hic nobilis auro veteribus eſt & olivetis. De Auro Ariſtoteles in Admirand. Auditi. & Stephanus de Vrbibus, ubi de Γάδειρα, de Olivetis in Epigrammat. *Fluvius.*

Bætis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis Vellera tingis aquis.

Piſcoſum Mare illis eſt, unde quæſtus haud exiguus, & præter alios piſces frequens eſt Thynnus, qui quercea glande laginatur, quæ ad Mare illic abunde naſcitur. Portus etiam commodiſſimos & opportuniſſimos habet. Sunt autem in diœceſi Hiſpalenſi innumera Monachorum & Virginum veſtalium Monaſteria. Multa ex his ſena aureorum millia annui reditus ferunt. Unum certe Carthuſianorum quod ad Bætim in ipſo Hiſpalis proſpectu magnificentiſſime exſtructum eſt, ſupra viginti quinque millia refert. Longum ſit etiam Xenodochia recenſere, cum in una Hiſpali tantum ultra centum viginti numerantur egregie dotata: ut multa octo millibus aureorum, nonnulla quindecim millibus annuis locupletata ſint. Eſt vero Hiſpalis ædificiis ſacris & templis omnium Hiſpaniæ urbium ornatiſſima, inter quæ templum Mariæ ſacrum, quo nullum habet Chriſtianus Orbis excellentius, ſi operis amplitudinem & majeſtatem ſacra quadam hilaritate & pulchritudine venerabilem, & turrim ſummæ celſitudinis, è qua ad ſtatas horas ſignum datur, editiſſimo & operoſiſſimo faſtigio admirabilem ſpectes, unde in univerſam urbem & latiſſime circumjacentes campos jucundiſſimus proſpectus eſt. Quid Regiæ arcis ornamenta vere Regia deſcribam? qua nullam elegantioris ſtructuræ, aut gratioris voluptatis Hiſpani Reges habent. Quid ſumptuoſa Ducum, Comitum & illuſtrium Procerum palatia: quid amœniſſimis fontibus & viretis ornatas civium ædes memorem? Prætereo antiquos aquarum rivos longe per arcus in varias urbis regiones derivatos, & recentiores S. P. Q. H. ingenti ſumptu & induſtria ad Herculanas vulgo dictas Columnas deductos, & publicæ voluptati dicatos, paluſtri & uliginoſa vaſtiſſimæ amplitudinis area conſitis arboribus, in pulcherrimum viridarium reformata, & latiſſimis ſpatiis in circi ſpeciem ad decurſiones & voluptuarias inambulationes relictis. Iam vero ſuburbanos hortos omnibus delitiis & amœnitatibus refertiſſimos totque per agros & ad Bætis ripas magnificentiſſime extructa prætoria quis dignis laudibus proſequatur? è quibus naves commeantes, & ex utroque Orbe redeuntes quotidie ſpectare licet. Bonarum artium in ea ſtudia, & nobilitatis exercitamenta apprime florent. Et ut nihil de artibus mechanicis quibus adornata eſt, dicam, mercatorum commerciis opulentiſſima eſt. Huc enim ex variis mundi plagis, potiſſimum vero ex India Occidentali mercimonia adferunt. Nulla enim in India navis ex Hiſpania tranſmittitur, quæ non hic mercibus oneretur, machinis tormentiſque bellicis, reliquoque idoneo apparatu nautico inſtruatur: ac naves reverſæ hic exonerantur. Eſtque in eam rem ampla & magnifica Domus, quæ gubernatores & conſules habet duodecim & à mercimoniis Indicis vocatur *La caſa de la contraction de las Indias*. Unde fit ut hæc urbs omnes totius Orbis civitates, ſola vetere Roma excepta, divitiis ſuperet. Reſtat ut de *Gadibus* Inſula quæ hac etiam Tabula comprehenditur, pauca ſubjungamus. Hæc *Gades* Pomponio, Γάδειρα Ptolomæo & Apollodoro: *Erythia* Pherecydi, ut Strabo tradit, *Gadir* Pœnis auctore Solino & Plinio, qui *Sepem* eorum linguâ ſignificare ait. Pavimentum lapidibus ſtratum interpretatur Tzetza: Hiſpani *Cadiz*. Nautæ noſtrates *Calis Malis* vocant. Hæc à continenti anguſto ſpatio, & veluti flumine abſciſſa eſt. Et nuncin ea urbs cognominis; *Gadiz* enim ut Inſulam Hiſpani nuncupant. Urbs hæc quæ Cæſari lib. II de bello civili *Gades* pluraliter nominatur, *Iulia Gaditana Auguſta* nomen habet apud Plinium. Eam Phœnices primi condiderunt. Incolæ navigandi peritia jam olim claruere, neque ab avita virtute adhuc degenerant. Præcipuus autem eorum quæſtus ex ſalis confectione & Thynnotum conſtat piſcatione; eorum enim ſolemnis hic eſt captura. Fretum quod inter Hiſpaniam & Mauritaniam eſt, ab his Gadibus dicitur *Gaditanum*, ab Hercule *Herculeum*; vicini vocant *Eſtrecho de Gibraltar*, vel de *Marocco*. Nautæ noſtrates *De Strate* indigitant. *Portus.* *Opera Publica.* *Gades.* *Nomina.* *Pyrhi.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [354] - -
PUBLIC DOMAIN

VALENTIA.

Nomen.



VALENTIA appellationem à ſua Metropoli aſſumpſit, Emporio nobiliſſimo, venerandæque antiquitatis. Ad Meridiem Murciam reſpicit; ad Occaſum utramque Caſtellam; ad Septentrionem Aragoniam; ad Ortum littora ejus pulſat Mare Internum. Fruitur aëre temperatiore ac clementiore cœlo, atque beatiore quam ulla alia Hiſpaniæ pars: imo tanta cœli temperie ac Zephyri lenitate Regnum Valentiæ gaudere tradunt, ut quocunque tempore, etiam Nativitatis Ieſu Chriſti feſto, & Januario florum manipulos incolæ manibus geſtent, ſicut aliis in locis Aprili & Majo fieri videmus. Cui ſuffragatur Claudianus in laudibus Sirenæ

Cœli Temperies, Soliferitas.

Floribus & roſeis formoſus Duria ripis.

Magna hujus regionis præſtantia, omniumque rerum ut ſacchari, vini, olei; item tritici, orizæ variorumque fructuum fertilitas, & copia. Habet & argenti fodinas, in loco quem *Buriel* dicunt, inter Valentiam & Dertoſam. Reperiuntur & lapides aureis venis lineoliſque interſtincti in loco qui *Aioder* nominatur. Ad Promontorium *Finiſtratum* ſunt ferri minera: circa *Segorbiam* lapidicinæ veſtigia, è quibus Romam devecta olim marmora. In *Piacento* alabaſtrum effoditur & paſſim alumen, rubia, calx, gypſum. Valentiam vrbem diu Mauri tenuere longa Ducum ſerie: oppugnatam ſæpe ab Aragonum Regibus, donec Rex Iames poſt longam obſidionem tandem ejus potitus eſt, ducemque *Zaen Maure* cum quinquaginta Maurorum millibus coëgit urbe cedere & *Deniam* confugere, auro, argento, armis aliaque ſupellectile eodem aſportata. Deſertam hoc modo Valentiam Rex Iacobus colonia miſſa colere iterum cœpit. Coloni fuere Cataloni & Aragones, ductoribus *D. Berengario Palatiol* Epiſcopo Barcelonenſi; *D. Vidalo Cavelia* Epiſcopo Hueſcano; *D. Petro Ferdinandes d'Acagra & D. Simone d'Vrrea* Equitibus. Hi totam urbem inter colonos novos diſtribuerunt habita cujuſque ratione. Legibus etiam novis Rempublicam ornarunt. Inſcripta eo tempore trecenta octoginta quatuor capita familiarum. Cæterum Regni titulum hæc Regio accepit circa annum ſalutis ſeptingeteſimum & octuageſimum octavum, ut Ortelius ex Petro Metinenſi, & Petro Antonino Beutero ſcribit. Hiſtoria ſic habet: *Hiſen* Rege Cordubæ mortuo ei filius Alca nomine ſub annum Chriſti Io CC LXXXVIII ſucceſſit, cujus patruus Aodala Valentiæ Dominus ex Taviar ad ſe vocavit alium ſuum fratrem, cui nomen Culema exhæredatuſque fuerat. Hi duo fratres magnis copiis adunatis profecti Cordubam, Nepotem Regno expellere conati ſunt; prælio autem victi, Aodala fuga ſibi conſuluit, Valentiamque reverſus eſt. Maurorum autem præcipui ſeſe inter Patruos Nepotemque interponentes eo rem deduxerunt ut inter ipſos convenerit, ut Aodala ſe Valentiæ Regem inſcriberet: Culemæ autem quolibet menſe ex reditibus Valentiæ, mille Moradini (pecuniæ genus erat) inſtruendæ menſæ, & adhuc quinque Moradinorum millia ad res neceſſarias parandas deciderentur. Quibus pactis cum Aodala aſſenſiſſet, primus ſe Valentiæ Regem compellavit. Valentia his verbis celebratur à Iulio Scaligero:

Imperium Majorum.

Vna tibi ante oculos populi ponatur imago
Cætera jam ex illo natio tota patet.
Ægra Ceres, regio torrenti infamis ab æſtu,
Arida Cerbeream colligit aura ſitim.
Nuſquam tutus ibi rapido latrone viatur,
Nam probus & pius eſt tollere ludus opes.

Valentiam habitaſſe quondam præter alios deprehenduntur *Hedetani* Ptolemæo forte non aliis ab *Sedentanis. Biſcargitani*: ſic ex membranis legitur apud Plinium: Metropolis ipſorum *Biſcargis* cujus mentio in Nummo Germanici Cæſaris, teſte H. Goltzio: videntur pars fuiſſe Heditanorum, quum in iis *Biſcargin* nominet Ptolemæus, *Leonicenſes* Plinio: quorum Metropolis *Leonica* etiam à Ptolemæo in Heditanis collocatur. Mentio ejus in Huberti Goltzii Theſauro, *Conteſtani* Ptol. à quibus *Conteſtania* Hiſpaniæ Tarraconenſis Regio apud Plinium: horum memoria ſervatur hodieque in Oppido *Contayna*, vel ut aliis effertur *Contentaina*, ad fontem ejus amnis, cujus oſtio adpoſitum videtur oppidum *Oliva* contra Pytiuſas Inſulas. *Luſones*, quos ad Iberum fluvium ponit Appianus in Ibericis Numantinis vicinos; ad Tagi fontes pertingere ſcribit Strabo. *Lobetani*, quorum Metropolis *Lobetum* Ptolemæo; quam Beuterus ſcribit antea *Turiam*, poſtea *Averaſin*, tandemque, ut hodieque, *Albarrazin* dictam. *Torboleta* Appiano in Ibericis, Saguntinis vicini, à quibus *Turbula* Ptolemæo, *Torres* hodie fortean. *Celtiberos*, ut eos appellant Plinius lib. III. cap. III, Pompejus Mela lib III. cap. I. cæterique Latini, qui *Celtiberes* Ptolemæo, quidam Caſtellæ Veteri adſcribunt, plerique Valentiæ. Illud ſatis conſtat Celtiberorum Pomeria huc illuc longè lateque ſe extendiſſe. *Clunia Celtiberiæ* finis Plinio vocatur. Poſidonius apud Strabonem lib III. auctor eſt M. Claudium Marcellum tributum ex Celtiberia exegiſſe Talentûm Ioc: ex quo conjecturam facere licet, inquit, quod Celtiberorum natio frequentiſſima fuerit, & auri atque argenti copia excellens, tametſi agrum incolerent ſterilem. Nomen compoſitum ex *Celtis* & *Iberis*. Lucanus lib. IV:

——— *Profugique à gente vetuſta*
Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Sic Silius Italicus lib. III Belli Pœnici II:

Venere & Celtæ, ſociati nomen Iberis,
Hiſpugna cecidiſſe decus, corpuſque cremari:
Tale neſas cælo credunt Superiſque referri,
Impaſtus carpat ſi membra jacentia vultur.

Celtiberi, apud eundem Strabonem, & confinales ipſis verſus Boream habitantes Deo cuipiam, cujus nomen ignoratur, plena Luna, tempore nocturno Pervigilium celebrant, choreas ducendo. In Celtiberis vicinos urbi Segedæ ponit Appianus in Ibericis *Titthos* populos. Inter Regni hujus urbes *Valentia*, *Valencia* vulgo; Hanc Conteſtanis Ptolemæus (cui Οὐαλεντία) Heditanis autem adſcribit Plinius. In Nummo quodam æreo apud Goltzium eſt COL. IVL. VAL. id eſt COLONIA IVLIA VALENTIA. Habet etiam Nummum Surita in cujus una facie Mercurii videtur eſſe *Caput* cum inſcriptione C. LVCIEN. C. MVN. I. Q; altera vero *Cornucopiæ* figura, fulmine tranſverſo; & infra cornu, VALENTIA. Mirum eſt Strabonem nullam facere hujus Vrbis mentionem, quum *Cherroneſſi*, *Oleaſtri*, *Dertoſæ* ad Iberi tranſitum meminerit, eaque celebertima fuerit bello Sertoriano, conflictu, quo. Cn. Pompejus juxta eandem Vrbem Herennium & Perpennam, magnos Sertorii Duces, devicit. Vrbs primaria eſt, ac ſedes Epiſcopalis. Regi Romo primordia ſua fert accepta, ut ſcribit Vaſæus atque alii, quam ab ea Romam appellatam, Romani multo poſterius amplificatam & nobilitatam Valentiam appellaverunt, vocabulo idem ſignificante. At Reſendio hæc fabula videtur, qui eam à Luſitanis cæteriſque Viriati militibus conditam & nominatam tradit. Sita eſt intimo Sinus Sucronenſis receſſu ad dextram fluvii Turiæ ripam: à mari remotam tribus paſſuum millibus tradit Plinius. Hæc moribus & inſtitutis clara, diſciplinis liberalibus exculta: mechanicis artibus nobilis, magnis ingeniis felix: pacis concordiæque cives inter ſe ſervandæ ſtudioſiſſima: multorum equitum ſplendore illuſtris: mercatorum commerciis dives. Silentio non prætereundum quod de Valentinis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [355] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [356] - -

notat L. Marineus Siculus: iis in more positum esse singulis annis festo D. Matthiæ, fusis precibus factisque obtestationibus, ad locum suppliciis destinatum ire, ibique damnatorum corpora, sive suspensa sint, sive humi jaceant, suscipere, ossaque sparsa colligere, mox autem omnia feretris imposita ad commune civibus omnibus sepulchrum devecta honorificè, sacrificiis orationibusque peractis, terræ mandare. Memoriæ prodit Petrus Medinensis esse in hac urbe supra decem millia puteorum aquæ vivæ. Tritum est apud Hispanos proverbium, quo *Barcino* fertur dives, *Cæsar-augusta* satura, *Valentia* formosa. Exacta ejus descriptio lausque apud Marianam lib. XII. cap. XIX & Marineum Siculum lib. III. extremo. Stetit olim ad ripam Turiæ sinistram, haud procul Valentia. Strabo lib. III Plinius que lib. III. cap. III, mille passibus ab Mari separant. *Saguntum*; Heditanorum, urbs hodie putatur à plerisque *Morvedre*, sic dictum, ut quidam censent, ab *Muris Veteribus*. Situm describit Silius Italicus lib. I. Sagunti muris cæmenta tribuit Livius lib. XXX; quæ calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. Constat ex Plinio Saguntinos olim coluisse Dianam, ab Zacynthiis ipsorum progenitoribus, advectam, annis ducentis ante excidium Trojæ. *Saguntus*, fide & ærumnis incluta, Pomponio Melæ. De expugnatione urbis nobilissimæ cladeque, quæ ob admirabilem constantiam, & egregiam in Romanos fidem incidit in annum ab V. C. IↃXXXV M. Livio Salinatore, L. Aemilio Paullo Coss. consulendi Livius lib. XXI, Polybius lib. III. Orosius lib. IV. cap. XIV, Eutropius lib. III. Florus lib. II. Histor. Rom. cap. VI. Silius Ital. lib. I. Valerius Maximus lib. VI, cap. VI. Augustinus lib. III de Civit. Dei, cap. XX. Auctor de W. Jnlust. cap. XLII. Aemilius Probus in Annibale, Cicero in Philippicis. Supereſt memoria *Senatus populique Saguntini*; quo loco Vrbs fuit, in muro veteri, his verbis:

SENATVS. ET. POPVLVS. SAGVNTINORVM
CLAVDIO. JNVICTO. PIO. FELICI, IMP. CAES.
PONT. MAX. TRIB. POT. P. P. PROCOS.

Non ignobilis in Valentia loci sunt hodieque *Segorbia*, *Segobriga* Ptolemæo & Straboni, uti placet Vasæo, Clusio, Taraphę, Emanueli Enrico, & aliis: *Segrobiam* habent Nummi Augusti. Incolæ Plinio *Segobricenses*; eos in capite Celtiberiæ ponenti. *Segobricæ* meminit antiquum marmor, quod Tarracone.

L. ANNIO. L. F. GAL.
CANTABRO
FLAM. ROMAE. ET. DIVOR.
AVGVST. P. H. C.
OMNIBVS. HONORIBVS.
GESTIS. SEGOBRICÆ
DECRETO. ORDINIS. PECV
NIA PVBLICA SEGOBRICENSES.

Morviedre olim Saguntus. Ad ripam Turiæ sinistram stetit olim *Saguntus* Zacynthorum colonia; hodie à muris veteribus *Morviedre*, oppidum duobus millib. pass. à mari remotum.

Xativa. *Xativa* urbs regni Valentiæ non procul ab ipsa Valentia. Sita est in editiore colle, & flumine Sucrone alluitur; fontibus salubernimis, arborum fructibus & præsertim malis Punicis abundat; laudatissimi quoque & tenuissimi lini proventu celebris.

Denia. *Denia* oppidum ad rem maritimam oportunum; cum enim in colle positum sit, speculam etiam habet mari imminentem, quæ longinquum navigantibus prospectum præbet. Habet Marchionem & arcem loci situ & arte munitissimam. Duos insuper portus, qui multum à mercatoribus frequentantur.

Biar. *Biar* optimi & candidissimi mellis copia nobilis est. Juxta maritimam regni oram Carolus V. Imp. circiter viginti septem turres, locis oportunis fabricari curavit, in quibus duo pedites & unus eques jugiter excubant, ut piratarum aut hostium adventum speculentur & incolis denuncient. Fluvios habet hæc regio multos, imprimis vero *Turiam* quem Pomponius *Duriam*, *Doriam* *Flumina.* Ptol. nominat. Incolę Arabicam vocem *Guetalabiar* servarunt, quæ vox aquam puram significat. Magnas hic fluvius commoditates, locis per quæ fluit adfert. Non est admodum profundus, nec ejus ripæ multum attolluntur, sed terræ fere æqualis fluit: omnes alios hujus regni fluvios pulchritudine excellit, ultra modum, ob semper virentes ripas, rosis varioque genere florum coloratas, amœnus. Nemoribus hic à fonte (qui in Aragonia haud procul Oppido *Tervelo*) usque ad ostia utrimque à natura pulcherrimo adspectu vestitur: ubique vites, platanus, pinus, aliæque numquam fronde carentes arbores. Est & *Suero* fluvius *Xucar* novo nomine dictus. E montibus hic oritur Orospedanis. Habet Valentia duos montes, quibus nomen *Mariola* & *Penna goloſa* *Montes.* (Rupem cupedinariam Latine diceres) in quos, quum stirpibus rarioribus herbisque variis abundent, quotidie magnus Medicorum & Herbariorum numerus ex diversis Hispaniæ partibus confluit. Nunquam non rari quid ibi se offert. Valentia urbs antiquitate venerabilis est, ibique ad nostram ętatem multa perdurant antiqua *Opera Publica.* marmora, Romanis inscriptionibus insculpta, quarum quædam videri apud Beuterum, Ambrosium, Moralem, Hotomannum in Cæsaris Ephemerides, & alios, possunt. In urbe Sagunto nunc *Morvedre* Theatrum & Scena, aliaque multa antiquitatis vestigia, ut sepulchra Sergiorum, L. Galbę, Sergii Galbę, & aliorum ejus gentis, ex quorum lapidibus constructum est cœnobium fratrum Trinitatis. Academiam habet Valentia celebrem, in qua S. Dominicus, Ordinis prædicatorum au- *Schola.* ctor, bonis artibus Sacræque Theologiæ operam dedisse scribitur. Prętet hanc in regno Valentiæ est & Academia *Gandiana*, quam non ita pridem erexit Illustrissimus Gandiæ Dux, ut ibi præcipuè Patres Societatis Iesu, ad quam seipsum quoque contulisse fertur, philosopharentur. Valentia quod ad administrationem Reipublicæ attinet, facile omnes antecedit Hispaniæ civitates. Ager hujus urbis maxima ex parte à gente è Mauris *Mores.* oriunda, & paternum sive avitum sermonem ac fere vitæ morem adhuc retinente, colitur. Illud autem non omittendum quod M. Tullius in Valentiæ laudem protulit oratione in Verrem ultima: *Valentinorum* (inquit) *Opificia.* *hominum honestissimorum testimonio.* Multum byssi hoc in regno paratur: & (ut de lanificio & pannis cæteris totius Hispaniæ melioribus taceam) vascula etiam porcellana conficiuntur æmula Italicorum. *Valet & Valentia commercio* (ut scribit Olivarius Valentinus) *mercato-* *rum maximo. Nam inde exportantur variæ & multæ merces,* *Mercimo-* *inprimis holoſericæ telæ fere omnium colorum & fila ſerica ex* *nia.* *vermibus, panni optimi in Insulas Baleares, & Siciliam & Sardiniam, & iipanni vocantur contracti: exportantur inde oriza, ſaccharum albedine admirabili, uvæ paſſæ & ficus, nec non & fructus ſaccharo conditi: tum oleum dulciſſimum, ſi videris diceres aquam eſſe alicujus fontis, tam eſt clarum: adhæc coria ſunt ibi omnium colorum à Valentinis homimbus, & his quidem præclaris artificibus parata.* Petrus Antonius Beuterus Theologus Valentinus res Hispaniæ memorabiles tribus Tomis se complexum profitetur: cujus præcipuus videtur fuisse scopus, ut Valentiam Patriam suam quam maximè illustraret.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [357] - -
PUBLIC DOMAIN

GRANATA
ET
MVRCIA,
REGNA.

GRANATAM uti & MURCIAM, Caſtellæ titulo poſſidet Hiſpanus. Nomen habet ab urbe primaria Granata; urbs à forma; nam ſicuti Granatum malum Punicum granoſum eſt, cortice ob maturitatem fiſſo, ita urbs ipſa denſas habet domos & parte una dehiſcit. Sedes hæc fuit Baſtulorum, qui & Pœni. A Meridie mare Ibericum ſpectat, à Septentrione Andaluziæ partem, uti & ab Occidente; ab Oriente Murcia jacet. Regnum omne Granatenſe in longitudinem patet LX leucarum; in latitudinem XXV, in ambitu CCXXX, à finibus Murciæ Andaluziam uſque. Cum Mauri hoc regno potirentur, incolis frequentiſſimum erat, quatuordecim continebat civitates, municipia muris cincta nonaginta ſeptem. Regibuſque quotannis ſeptingenta millia coronatorum pendebat. Hodie neque tam incolis eſt frequens, neque locuples. Secatur à duobus fluminibus Xenil & Darro.

Metropolis hujus Regni eſt Granata, Ptolemæo ἰλλίπυλα μεγάλα; nam Illiberis in eo colle fuit, qui nunc Elvire, & ab ea porta una Granatenſis dicitur *Elveria*. Omnium Hiſpaniæ urbium maxima eſt, multis collibus diſtincta, inter quos gemini ceteris altiores conſurgunt, quos amnis Darrus per mediam vallem fluens interſecat. In quatuor regiones, ſive urbes quaſi ſeparatas diſpeſcitur. Prima peculiariter vocatur *Granata*, in qua ampliſſimum eſt templum, in quo ſepulti ſunt Ferdinandus & Iſabella. Eſt & hic Meſquita Maurorum, judicum Tribunal, forum rerum venalium & domus Alcaceria. Secunda *Alhambra* dicitur, in qua regium palatium. vetus vermiculato opere & immenſis ſumptibus exſtructum. Novum hic Hiſpaniarum Reges palatium exſtruxerunt, magnificentiſſimum & amœniſſimo undequaque proſpectu. Tertia eſt *Alveſin*, duobus collibus ornata, in qua ædium frequentia. Solis olim Mauris incolebatur, qui agricultura & ſerici textrina victitabant. *Maſmoros* aliis dicitur. In hac eſt porta illa, quam *Cluſam* vocant, quod poſtquam per eam Rex ultimus Maurorum egreſſus eſt, nunquam deinceps patuit. Quarta eſt *Antiquerula*, ædium multitudine & ſtructura cæteris non inferior, ſitu plano. Tota urbs ambitu ſuo circiter XII mille paſſus complectitur, tota undique muris cincta & propugnaculis mille triginta munita. Aëris temperies hic ſaluberrima, Opificum frequentia, qui ſerico texendo victitant, quanta ſit copia vel ex eo colligi poteſt, quod è ſolis mori arboris foliis, quibus bombyces veſcuntur, præter multas ſerici libras, Regibus triginta millia aureorum quotannis in vectigal cedant. Archiepiſcopali dignitate inſignita eſt, ex qua ad Archiepiſcopum quotannis redeunt 10000 ducat. Academia inſuper claret.

Præter Granatam habet hoc regnum in mediterraneis Guadix, & ad oram maris Almeriam & Mallagam. *Guadix* novem leucis à Granata in ſpatioſa planitie ſita, undique aſperrimis montibus cincta eſt, quam quatuor amniculi ſecant, pecoris, vini, frumenti & fructuum feracem, ſed ob frigus neque aurantia mala fert, nec oleum. *Guadix.*

Almeria loco commodo ſita haud longe à Charidemi promontorio in fertili territorio, ſalubribus aquis, fructibus oleoque abundanti, ad Cæſiam Granatam reſpicit; ad Cauram, Almancoram & Bacam; ad Ortum Carthaginem, ad Murgim poſitam; ad Occaſum denique Alumecanam & Veleſium Malaccæ.

Malaga emporium ſatis frequens, agro undique felici & amœniſſimo cinctum. Huc ſtatis temporibus undique mercatores confluunt, ut ſapidiſſimos & paſſos autumnales fructus auferant. Vini & olei copia maxima. Turribus & propugnaculis egregie munita eſt. Armamentarium habet omni telorum & machinarum genere longe inſtructiſſimum. Epiſcopalis urbs à multis annis, cujus Epiſcopus reditus habet 10000 ducat. Duas ſibi invicem imminentes arces, à quarum una ad alteram deſcenditur inter duos muros. Superius appellatur Giblalfarro, inferius Alcazzava.

Præter civitates municipia habet plura, quorum præcipua Bacca & Ronda. Baca quondam caput Baſteranorum, firmo muro & caſtello munita, circiter quatuor millia focorum continet. Ronda in monte ſita, undique flumine cincta eſt: ab oppido ad flumen deſcenditur quadringentis gradibus è rupe operâ Maurorum exciſis. Munda oppidum ſitum eſt quinque milliaribus à Malaga. Amniculum habet, qui ſe per planitiem ſpargit eamque irriguam & amœnam reddit. Nulla totius Hiſpaniæ loca habet natura ac arte munitiora, inter quæ merito memoranda Alhama, diſtans à Granata ſeptem milliaribus, immenſis undique præcipitiis & rupibus aſperrimis tuta. Salubres hic & uberrimi ebul-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [358] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [359] · ·

liunt fontes tam temperato calore, ut nudo corpori nulla inde sit noxa. Epotam aquam variis morbis & præsertim nervorum affectibus conferre ferunt, præsertim Martio & Septembri. Thermæ hic excitatæ magnis impensis. Præterea *Comil*, *Settenil*, *Lazza* cannabe dives; *Calera* super rupem posita; *Orgina*, *Marbella* ad mare cum commodo portu. Ad oram maris sunt duo munitissima castella, in quorum uno Reges Mauri thesauros suos; in altero filios & fratres veluti in custodia asservabant. Hoc *Almuguecar*, illud *Salubregna* dicitur. *Zahara* sita est super rupem grandem, unico aditu & difficili, è rupe exciso & castello in vertice rupis. *Antiquera* castellum in medio regni, inter Granatam & Rondam, loco edito situm & aspero, portas habens ferratas. Despicit pulcherrimam regionem, campos, fontes, rivos & montes, in quibus optimæ Salinæ reperiuntur; quia aqua fontana & pluvia humilioribus locis collecta, ardore solis in perfectissimũ salem cogitur. *Alpuxara* id monti nomen, qui ad Occasum XVII Leucarum spatio porrigitur, X leucas latus, asper ac fere sterilis, nisi quibus locis miti jugo in planitiem descendit. Mauriscorum cura & industria excultus ita, ut fruges producat, armentis & pecoribus abundet & serici maximam copiam præbeat. *Cartama* amœnum oppidum non procul à Malaga ad maximi montis radices situm, qui quantum ad Aquilonem patet, sterilis est & aspretis sylvisque horridus; sed adversa parte culturæ patiens, & passim vinetis consitus, amygdala ficusque sapidissimas magna copia producit, quæ in Boreales regiones magno incolarum emolumento asportantur.

Aëris & soli ratio.

Granatæ, inquit *Boterus*, temperatissima provincia est, & licet montosa, tamen omnium rerum copia abundat. Cum Mauri hoc regno potirentur, omnibus rebus affluebat. hodie hominum inopia & defectu agricultura defecit & tamen locupletissimis provinciis accensetur; quippe solo est fœcundissimo & quod levi cultura indigeat. Vix exprimi verbis potest multitudo herbarum odoriferarum, esculentarum & medicinalium, quibus montes & campi passim scatent, nec non fructuum varietas, sacchari copia, serici abundantia, denique omnis generis animalium multitudo. Fontes passim scaturiunt totque rivulorum sectu ris & decursibus solum rigant, ut amœniorem vix mente concipias, vix penicillo pingas.

Incolarum indoles.

Sunt autem Granatenses humani, dextri in rebus gerendis, armis habiles & in civili conversatione facile. Iunioribus vino interdicunt, majores mares pauco, fœminæ pauciſſimo utuntur.

MVRCIA.

MVRCIA Granatæ ad Ortum objecta, ab urbe metropoli nomen habet. Extenditur secundum sinum Virgitanum, à promontorio *de Palos* ad promontorium *de Cates*. Secatur à duobus fluviis, Segura & Guadalentino. Ad ripam Seguræ sita est Murcia regni caput, supra Guadalentinum Lorca municipium grande. Murcia in planitie jacet, regione amœnissima, quam Staberum amnis interfluit, alii Setabin vocant, & derivatis hinc inde rivulis agros irriguos facit. malis citreis consiti campi; sed bombycum præcipuus proventus & sericæ vestis copia. In hac sepultus jacet Alphonsus ille Regum decus. Murcenses ob receptum Regem, coronas septem in insignibus gestant.

Cartagena.

Cartagena (olim Carthago nova) urbs quondam ampliſſima, nunc neque grandis nec bella. Portum tamen habet ampliſſimum & tutiſsimum. Ibidem & scambrorum piscatio opulenta, à quibus insula objecta, quæ portum concludit, Scombraria dicitur. In ditione illius maxima copia sparti nascitur. Sex Leucis à Cartagena versus Occidentem sita est arx *Almacaron*, ubi ingens aluminis copia reperitur, è qua Dux Escalonæ & Marchio Volæ maximum capiunt emolumentum. Reliqua nobiliora loca sunt; Guardamar, Portilla, Vera, olim Virgi, unde sinui nomen; & Mussacra.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [360] - -
PUBLIC DOMAIN

ARAGONIA.

Regio unde dicta.

ARAGONIA vel ab *Autrigonibus* Hiſpaniæ populis, teſte Laurentio Valla, vel a *Tarracone* antiqua civitate, ut Antonio Nebriſſenſi & Vaſæo placet, nomen accepit. Alii ab *Aragone* fluvio qui illic ortus Iberum influere perhibetur. Nonnulli ab Herculis, *Ara Agonalibuſque Ludis*

Termini.

derivant: quod ſi verum ſit, miror equidem tam altum apud veteres ſcriptores de *Aragonia* eſſe ſilentium. Hoc regnum ad ortum terminatur fluvio Cingia; ad Occidentem montibus Cauno & Molina, quos ferri fodinæ nobilitant; ad Septemtrionem fluvio Ibero; ad Meridiem Brabanzæ jugis. Regio ut plurimum aſpera & ſicca eſt,

Soli qualitas.

maxime verſus Pyrenæum, unde ad multum itineris ſpatium nullæ habitationes reperiuntur: ſunt tamen hic valles nonnullæ feraciſſimæ optimi frumenti & fructuum, quæ mirum in modum ab aquis adjuvantur.

Imperium Majorum.

Hujus Regni primum Regem omnium ſcriptorum calculi *Ranimirum* faciunt. Hic factus eſt Rex Aragoniæ anno Chriſti CIↃXVI. Huic ſucceſſit filius *Sanctius*: Sancio *Petrus* qui nonnulla oppida Aragonenſi adjecit imperio. Mortuo autem eo & fratre Alphonſo ſine prole maſcula tertium fratrem *Ranimirum* Monachum in cœnobio agentem regem conſtituunt, qui unicam filiam in Regno ſuſceptam Urracâ nomine Raimondo Barcinonis Comiti locavit. Hic poſtea ſocero in Regno ſucceſſit, adjecitque ei civitatem Barcinonenſem. Deinde ex ſucceſſione *Iacobus* circiter annum CIↃCCL, annis XI, id regnum tenuit, qui Alfonſi X Caſtellæ Regis ſocer fuit & Baleares Inſulas expugnavit ac Valentiam civitatem regno ſuo adjecit. *Petrus* huic filius deinde ſucceſſit, cui Nicolaus III Pontifex conceſſit regnum Neapolitanum: quique navali prælio cum Gallis decertans, ex vulnere occubuit. Cui multi ex ordine Reges ſucceſſerunt. Sed de Origine Regni Regumque Aragoniæ, Valentiæ & Cataloniæ, a quibus & quomodo initium habuerint deque unione eorum, legendi Rodericus Sanctius Hiſtoriæ Hiſpanicæ parte I cap. XIII. Lucius Marineus Siculus lib. VIII de regibus Hiſpan. & alii. Metropolis & Regni caput *Cæſar-Auguſta* Plinio aliiſque; *Cæſarea Auguſta* Pto. Nominatur ſæpe in Nummis Veterum. In duobus æneis Auguſti vexillum erectum viſitur, haſta in baſi adfixa quod ſignum erat deducendæ Coloniæ: in uno eorum apparet Auguſti effigies & hic titulus, DIVI F. AUGUSTUS: in averſa parte: qua vexillum eſt, CÆSAR-AUGUSTA L. CASSIO CN. II VIR. In altero circum Auguſti effigiem AUGUSTUS DIVI F. & averſa parte CÆSAR-AUGUSTAM. POR. CN. F. A. II VIR. Sic Prudentius de Martyribus Cæſar-Auguſtanis: *Cæſar Auguſtam vocitamus Vrbem.*

Urbes.

Hodie *Carragoça*: academia nobilis. Conditorem ejus ferunt Iubam Mauritaniæ Regem & ab eo *Saldybam* appellatam, quaſi *Iubæ domum*: poſtea vero, priore repudiato nomine, *Cæſaris Auguſti* nomen illi fuiſſe inditum. Sita eſt in ripa fluminis Iberi, loco plano, ex quo Iberus inſigni ponte lapideo longoque (cujus etiam Strabo facit mentionem lib. III) trajicitur. Urbis autem ſitus ſoleæ calcei formam refert, portas habet quatuor ad totidem Mundi partes ſpectantes, validiſſimis muris cincta, crebriſque turribus probe munita. In hac urbe Reges Aragoniæ ab ejus Archiepiſcopo, qui Primus Regni, Diadema ſoliti accipere. Civitates reliquæ, *Oſca* Latinis; Ὄσκα Ptol. & Plutarcho in Sertorio, hodie *Hueſca*. Cives ejus *Oſenſes* Cæſari nominantur: *Oſcenſis Argenti* meminit Livius lib. XXV. Plutarchus auctor, Sertorium hanc urbem delegiſſe, in quam filii principum virorum Hiſpaniarum obſides, ſtudiorum ſpecie, accitis diſciplinarum Magiſtris, mitterentur. Eſt ibi hodieque non ignobilis Academia: *Eteoſca* mendoſe vocatur Velleio Paterculo, ubi Sertorium interemtum ſcribit: in Vetuſtis Nummis *Vrbs Victrix* videtur cognominari; ſi ita notas VV. *OSCA*, licet cum Antonio Auguſtino interpretari. *Tyriaſſona* civitas apud montem Caci quam a Tyriis & Auſoniis conditam fuiſſe nonnulli opinantur. *Iacca*, jacens in convallibus, Iacetanorum quondam ſedes. *Calaiuta*, Campeſtri loco, ex ruinis nata Bilbilitanis, quæ cum multis aliis Antiquitatum monimentis, medio Milliari Hiſpanico ab hoc oppido hodie viſuntur in colle, qui vulgo *Bambola* vel *Baubola*. Cingitur Mons ille in orbem fere ab *Salone* flumine, quem ſitum *Bilbili* tribuit alumnus ejus & cives (vide lib. I, Epigr. LXII) Valerius Martialis lib. X. Epigram. CIII:

Municipes Auguſta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis.

Sic Paullinus ad Auſonium, *Bilbilim* acutis ſcopulis pendentem, prodit. Quod autem in monte, altam vocat idem Martialis ſcribens ad Licinianum lib. I. Epigram. I.

Vir Celtiberis non tacende Gentibus
Noſtraque laus Hiſpaniæ,
Videbis altam Liciniane Bilbilim,
Equis & Armis nobilem.

Inter Bilbilim & Segobrigam (quæ hodie *Segorbia* putatur) Sertorius & Metellus memorabili prælio conflixerunt ut apud Appianum & alios eſt legere. Βίλβις Ptol. corruptè, *Auguſta Bilbilis* cognominatur Martiali, ut jam vidimus, quemadmodum & in multis Veterum Numiſmatum inſcriptionibus. Sunt & alia Aragoniæ Oppida *Barbaſtrum*, arcubus ferreis nobile: Βαρβίνα Ptolomæo, *Bortina* Antonino, ut nonnulli cenſent. *Monſonium* in Regni ſitum umbiculo, ad Cingæ ripam, cui collis imminet, a quo nomen oppido: conventibus regnorum Aragoniæ, Valentiæque & Principatus Cataloniæ celebris ſedes: vulgo *Moncon*, fertilis agri & apricifitus. *Fraga*, inter Ilerdam & Cæſar-auguſtam; Γάλλικα Φλαυία Ptolomæo; *Gallicum* Antonino ut Varrerius cenſet: Alii *Gallicum* locant, ubi nunc *Sueera*, in cujus agro vetuſtorum pavimentorum veſtigia viſuntur. *Guerrea* olim *Forum Gallorum*, Antonino inter *Cæſar-Auguſtam* & Pyrenæos. *Ajerbium*, in cujus ſolo quondam ſtetiſſe creditur *Ebellinum*, Antonino cum aliis nominatum. *Virgella*, *Orgellum* Aimonio, Ὄργια forte Ptolomæo, oppidum haud procul Sicoris fonte. Fuerunt & alia oppida, ſed quæ diruta, quorumque nulla hodie veſtigia. Inter illa non ignobilis *Calagurris Naſica*, alia ab ea quæ in Navarra. Hanc Iuliæ cognomine decoratam fuiſſe loquuntur Veteres Nummi. In æreo quodam effigies eſt Iuvenis Auguſti, cum hac Inſcriptione NASSICA, in averſa facie, Taurus eſt ſculptus, inſigne Municipiorum, cum Inſcriptionibus, ſupra quidem Taurum CALAG, infra vero IULIA: in alio Auguſti imagine AUGUSTUS. MV. CAL. IULIA, in averſa parte ſupra Tauri effigiem, L. BAEB. PRISCOC. CRAV, BROC. II VIR: in tertio cum Auguſti effigie MUNCAL. IUL. in averſa facie ſupra Taurum II VIR. L. CRAVIO, infra alterius Duumviri nomen eſt vetuſtate extritum. Poſteriores nummi docent hanc Calagurrim Municipii nomen obtinuiſſe. Cives ejus *Callagurritani* nominantur ab Cæſare I belli Civilis Commentario: eoſque corporis ſui cuſtodes habuiſſe Auguſtum, notat Suetonius in ejus vita cap. XLIX. Plinius *Naſicos* cognominat. Fluvii hic ſunt *Iberus* de quo in generali deſcriptione diximus. Item Fluvius qui *Gallego* nominatur: cui jure Vetuſtas *Gallici* nomen tribuit, quod ſummo tranſcenſo Pyrenæo ſupra oppidum cui *Salientis* nomen, impoſitum, in ipſa terra Gallia oriatur: & alii. Eſtque hic fons Sicoris qui ſe Ibero commiſcet, & aureas deſert are-

Flumina.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [361] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [362] - -

nas. Potus valde salubris, Σίνοεις Græcis. Notat Beuterus Catalonica lingua vocari *Aguanaval*. Extra muros priores Cæsar-augustæ quam plurimæ sunt domus, & quasi altera civitas, quas Cæsar-augustani *Populationes* appellant. Duo sunt ibi memoratu dignissima: *Zenodochium* inter alia Christiani orbis opera loci non postremi, alia item *Domus* pro[illegible] urbem in campo amœnissimo satis grandis & insignis, quæ vulgo *Aliapharia* nuncupatur.

Opera publica.

Incolarum Regimen politicum.

Aragonum, ante ereptam illis à Philippo II Hispaniarum rege libertatem, magna fuere jura, privilegia ac immunitates, quas ipsi sui juris effecti sibi dixerunt, instituto supremo magistratu, cui Iustitiæ nomen impositum, qui secundum eas jus diceret. Postea reges elegerunt, qui genibus flexis & capite aperto tactis SS. Evangeliis coram Magistratu eas se servaturos religioso Sacramento obstringebant, antequam iis proceres ac Magistratus obedientiæ jusjurandum præstarent. Electio Regis usque ad Petrum *ab Acinace* mansit, qui in comitiis obtinuit, ut, electione sublata, Reges à gente peterētur. Inde nomen sortitus, quod caput de electione Ordinum consensu obolitum Acinace publice discidisset. Cæterum obolita electione, libertatis leges denuò confirmatæ sunt, lege Unionis ob id condita cujus, hæc duo capita recensentur, quibus jus est Ordinibus; Si Rex patrias leges violet, novum in ejus locum creare & citra crimen Majestatis ad tuendam libertatem fœderationes inter se & cum vicinis Principibus inire. Id cum durum Castellensibus videretur, qui legibus Reges solutos colunt; Ferdinando Arigonio qui Isabellam Castiliensem in uxorem duxerat, persuadere voluerunt, ut eas leges tanquam regiæ dignitati contrarias antiquaret. Verum ille insita seu modestia seu dissimulatione, prudentissime respondit, fide religiose data se prohiberi quo minus id faceret & alioqui sic existimare; æquilibrio potētiæ regni regisque salutem publicam contineri; & si contingeret aliquando alterum alteri præponderare, procul dubio alterius aut utriusque ruinam ex eo sequuturam. Præterea Tribunal in regno ab initio institutum, cui summus ille Magistratus cum XVII viris præsset, Manifestationis nomine vulgo indigitatum ad quod ex aliis reliquis subselliis supremis, necnon etiam Ecclesiasticis provocatio est, & in quo Rex partis tantum vice fungeretur, non autem Iudicis aut Magistratus partes sustineret. Verum Philippi II Hispaniarum Regis non eadem mens fuit, quæ Ferdinandi. Nam cum Secretarius illius Antonius Perezius è carcere in Castellæ regno elapsus ad urbem Cæsar-augustanam perfugisset & se in confessu illo Iustitiæ supremæ purgare vellet & in illum finem defensionem ad objecta crimina scripto esset complexus; Regii ministri eum ad Inquisitiones revocarunt quod est judicium in Aragonia, ut Visitationis in Castella, ad enervanda patriæ libertatis jura, à regibus in eos qui publica gesserunt munera excogitatum. Post varias turbas Perezii causa excitatas, Aragoniis acriter pro libertate avita contendentibus, Rex privilegiorum civitatis Cæsar-augustanæ, in qua hæc contentio agebatur, imminuendorum (quibus jam pridem Reges infidiabantur) occasionem avide arripuit & exercitum summa celeritate conscripsit, eique Alfonsum Vergam præfecit à quo & Cæsar-augusta capta & Ioannes Nuca, Iustitia Aragonum, ut vocant, securi percussus. Urbs ex eo, diu militari præsidio vexata, quod non nisi post biennium inde deductum fuit, & primum firmato Sacræ Inquisitionis, Palatio quod extra muros erat & tanquam arce urbi cum idoneo præsidio imposita. Ita tandem libertas Aragonum sensim labefactata fuit. Ut autem appareat, quibus illa libertas legibus innexa fuerit, Leges, quas ante Inaugurationem Regi jurejurando primum confirmandas dixerunt, hæ sunt: In pace & justicia regnum regito, nobis foros meliores (*Fori* illis leges sunt) irrogato. E Mauris vindicabunda dividuntor, inter Ricos homines non modo, sed etiam inter milites ac infantiones: peregrinus autem homo nihil inde capito. Jura dicere regi nefas esto, nisi adhibito subditorum consilio. Bellum aggredi, pacem inire, inducias agere, remve aliam Magni monenti pertractare caveto Rex, præterquam Seniorum annuente consensu. Ne quid autem damni detrimentive leges, aut libertates nostræ patiantur. Iudex quidam Medius adesto, ad quem à rege provocare, si aliquem læserit, injuriasque arcere, si quas forte reipub. intulerit, jus fasque esto. Porro medius hic Magistratus primum Justitia major, deinde justitia Aragonum est appellatus, cujus hoc munus erat, inter principem & subditos suos judicare. Cumque jam nimia hujus Magistratus authoritas videretur anno CIↃ CCCCLXVII in comitiis Cæsar-augustæ est constitutum, ut quotannis semel Magistratus, hic censorio septendecim virorum judicio ex quatuor regni Ordinibus conflato subjaceret. Inquisitionem vocant hunc actum: vulgo *Enquesta*.

Senatus Iustitiæ.

Reges.

Aragoniē. sibus vetere libertatē eripit.

Leges primæ Aragonum in electione Regū

Senatus Manifestationis supremus.

Philippus II, Hispaniarū Rex

In comitiis Aragonum, nisi ad unum consenserint, omnes dissentire censentur. Comitia autem à quoquam alio præterquam ab ipsis Regibus haberi non possunt. Ab iis vero tribus potissimum de causis indici consueverunt. I, suppetiarum ferendarum, exigendique (ut vulgo loguuntur) *servitii* causa, dum eos magna aliqua premit necessitas, regiumque ærarium, bellorum sumptibus est exhaustum. II, in nova cujusque regis successione. III ut pro temporum varietate leges dentur Reipub. consentaneæ; nam apud Aragones publica lex neque rogari neque abrogari nisi de Regis ac regni simul consensu potest. Porro Comitia hæc tribus tantum Ordinibus constabant, Nobilium, Equestrium & Civicorum sive municipatium; anno demum CIↃCCC quartus Ecclesiasticus accessit. Hos quatuor ordines, vulgo *Los quatro Bracos del Reyno* vocant. Evocantur per literas quas appellant *Cartas de Lamiento*. Non possunt autem ultra quadraginta dies differri. Præterea in singulis civitatibus & oppidis per ipsum Regem *Iustitiæ* constituuntur, qui de causis habitantium in istis civitatibus & oppidis atque eorum terminis cognoscant & judicent. In quibusdam autem locis sunt judices, in quibusdam *Alcados*. In singulis item locis officiales à Rege constituuntur, quorum alii *Zavalmedinæ*, id est, vicedomini civitatum dicuntur; alii *Bajuli*, alii *Merihni* qui omnes & compulsiones facere, & mandata regis & sententias judicum executioni mandare & pignora capere tenentur, secundum juris formam.

Aragonū comitia.

Subalternum Magistratus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [363] - -
PUBLIC DOMAIN

CATALONIA.



Catalonia, vulgo *Catalunna*, alicubi citerior Hiſpania, Tarraconenſis conventus, alibi Aquitania ac Hiſpaniarum limes aut finis, Marchia Hiſpanica, Comitatus Barcinoniæ, ac Hiſpaniarũ Marchionatus olim nuncupabatur. Nomen illi impoſitum putat Volaterranus ab Gothis, & Alanis, ſcribendamque eſſe *Gothalaniam*. Beatus Rhenanus li. 1. Rer. Germanic. *Cattalaniam* arbitratur appellatam ab Cattis & Alanis, qui junctim in eam Hiſpaniæ portionem proruperunt. Alii ab Caſtellanis, antiquis Hiſpaniæ populis, qui hiſce locis ſua habuerunt domicilia, denominatam judicant. Sunt etiam, qui nuncupatam *Cathaloniam* tradunt ab Othogerico Cathalone; de quo multa, præter alios, Marinæus Siculus lib. IX de Reb. Hiſpan. & L. Valla de Ferdinando Arag. Rege li. 1. Hæc Pyrenæis montibus, Mari Mediterraneo, fluminibuſque Ibero & Cinga terminatur. habet in circuitu pluſquam milliaria Italica octingenta: in longitudine à Salſulæ lacu uſque ad Valentinos ducenta & quinquaginta: in latitudine verò à Carolitana valle, ſeu à Coronata Abiete ad Barcinonenſe uſque littus nonaginta quatuor. Aërem habet ubique commodum, hyeme temperatũ in litorali præſertim, quæ Auſtralis eſt ſui parte. Nam in ea quæ ad Septemtrionem vergit, frigidum ſatis & nivoſum habet illum. Tota eſt plurimum montoſa præterquam in nonnullis ſuis regionibus planities quaſdam habentibus, quarum celebriores ſunt, quæ Urgelli, Pœnitenſis, Tarraconæ, Auſoniæ, Gerundæ, Roſſellionis & Cerretaniæ ſortiuntur nomina; Montes etenim & colles paſſim in ipſa, illiq; excelſi, non nudi, ſed ita & viridibus ſemper herbis ac arbuſtis & vario multiplicique arborum genere conſiti, ut fere omnes ſint nemoroſi, ſilvis nemoribusq; referti. Fagus in eis plurima, multiplex pinus, numeroſa quercus, ilex non pauca, abies innumera; corylus ac caſtanea abundans, infinitumq; propemodum ſuber, cujus cortex præcraſſus & renaſcens. Sed cum adeo pulchri ſint montes & colles, qualia prata erunt, qualesque quæ inter omnes ſunt valles? prata profecto herbida, paſcua latè florea, gratæque ſupra modum convalles; nonnullæ earũ ſcaturientibus fontibus, nonnullæ verò fluviis ſunt irriguæ. Rivis enim Catalonia affluit ac abundat cum quinquaginta ferme per ipſam decurrant, illique omnes piſcoſi quidam parvi, ſed ſpectabiles, quidam mediocres & quidam celebres, veluti Tethis qui & *Ruſcion*; Techum qui & *Tetrum*, Fluvianus qui & *Clovianus* & *Plumialbus*; Ticer, Tordera qui & *Tarnum*, Beſotium qui & *Biſoctho* & *Betulo*; Rubricatus, Cinga, Sicoris & Iberus, qui omnes in mare influunt præter Cingam & Sicorim, quorum ille in Sicorim; hic vero in Iberum, qui & horum & aliorum bibens aquas unus è majoribus efficitur Hiſpaniæ amnibus. Qualis ergo tota regio erit ejuſque tellus, nonne olei, vini, frumenti, totiuſque leguminis pomique generis adeo ferax ut horum proventu nulli alteri regioni cedat? Deſuntne ei auri, argenti, reliquorumque metallorum fodinæ: illud aſſerant tibi horum ramenta, quæ Sicoris fluvius, nonnullaque alia Cataloniæ flumina ex locis per quæ fluunt, cum inundant, abradunt. Ferrum in ſuo genere optimum magna cum copia in hoc Principatu effoditur, licet non in tanta æs, ſtannum & plumbum. Nuper inventa eſt apud Signimontem vena ferax Gemmæ violaceo perlucentis colore, Amethyſti nomen ſortitæ, quod ad vini colorem accedens, prius quam eum deguſtet, in violam deſinat. Fulgor quidam in illa eſt purpuræ, non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. Metropolin habet hodie *Barcelonam*, Urbem pulcherrimam quę in Maris Mediterranei littore ſita meram redolet antiquitatem, complures ſervans rei probandæ lapides vetuſtos; Conditor ejus fertur à pleriſque Hiſpaniarum Illuſtratoribus Amilcar Barcha cognomine, filius Annibalis Carthaginienſium Ducis: qui, victa claſſe, à militibus in crucem fuit ſublatus: pater autem Annibalis magni iſtius Imperatoris, Βαρκίνων Ptol. *Barcinus* Paullino in epiſtolis, *Barcilona* Iornandi, Faventia etiam quondam, teſte Plinio. Laudat hanc urbem multis verbis Marineus Siculus Rer. Hiſp. lib. XIII, qui & Situm ejus deſcribit lib. XV. Fuit olim multo minor, quã hodie ab littore maris uno fere ſtadio remota. Habebat portas quatuor quæ totidem Mundi plagas ſpectabant, æquo fere omnes ſpatio inter ſe diſtantes, quæ adhuc in ipſo pene umbilico urbis viſuntur, cælata gerentes capita bubula, altæ pacis, ut nonnulli volunt & quietæ agriculturæ ſymbola. Lapſu temporis bis prævalidis muris ſuperbiſque turribus eſt cincta; inq; tantam paullatim magnificentiam excrevit, ut merito caput hodie cenſeatur Cataloniæ. Sequuntur hanc *Tarraco* Ταῤῥακὼν Ptolomæo & Straboni, *Tarragona* hodie, *Colonia Terraconenſis* apud Tacitum, lib. I. Annal. Urbs olim tam celebris, ut potiori Hiſpaniæ parti nomen dederit. Maritimarum opulentiſſima Melæ lib. II. *Viqua*, *Vicque* vulgo, vel *Vich*, Ἀ'υσὼ Ptol. Authetanorum urbs *Girona*; *Gerunda* Plin. & Antonino: Γερόνδα Ptol. *Gerundenſes* etiã Plinio noti. *Tortoſa*, quæ Δέρτωσα Ptol. *Dertoſa* vetuſto Lapidi, qui ibi extat: *Derdoſa* Antonino Δέρτοσσα Strab. *Dertoſani* (ſic enim legendum) populi ſunt apud Plin. *Lerida*, quæ Ptolemæo, Stephano & aliis Ἰλέρδα Ilergetum Urbs. Situs ſta delineatur ab Lucano lib. IV. Belli Pharſalici:

Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue ſolum tumulo: ſuper hunc fundata vetuſtã
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Heſperios inter Sicoris non ultimus amnes.
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hibernas paſſurus aquas.

Et quæ alia ibi de devictis ad Ilerdam ab. C. Cæſare Cn. Pompei legatis, M. Petreio & L. Afranio: qua de re plene Cæſar. lib. I. Belli Civilis, qui etiam Oppidum in monte poſitum notat, pontis item faciens mentionem. *Emporiæ* Silio lib. III. Polybio lib. III. & Ptol. Ἐμπόριον Stephano *Empurias* vel *Ampurias* vulgo. *Blanda* Pomponio & Ptol. *Blanes*, vulgo, ut volunt Beuterus, Florianus & Navagierus. *Manreſa*, quam Florianus *Athanagiam* ab Livio vocari cenſet. *Roſæ*, *Roſes* vulgo; *Rhodã* Livio, Ῥόδη Stephano, Ῥοδόεσσα Strab. Ῥοδόπολις Ptol. *Colibra*, Κόλιβρα Ptol. *Iliberis* Livio & Plin. Ἰλίβερις Strab. *Eliberri* Pomponio, vicus magnæ quondam urbis, & tenue magnarum opum addentis veſtigium: *Cliberrã* Tabulæ Peutingeraniæ, alii tamen *Iliberum* non *Colibram*, ſed aliud oppidum volunt: *Salsulas* Poldus. *Eunã* Olivarius; *Illam* Mercator. Prope ſalſas ſane ſub Pyrenæis montibus fuerunt, quarum meminerunt Mela & Antoninus. *Salſulæ*, lacus prope Narbonẽ Galliæ. Is eſt, quem Strabo juxta Ruſcinonem locat, paullum ſupra mare, Salinis nobilem & mugiles foſſiles habentem; cujus rei Ælianus ex Polybio facit mentionem. Fuit & ubi nunc Catalonia quondã *Iulia Lybica*, cujus rudera putantur eſſe haud procul *Linca* Oppido. Item apud Pyrenæos *Cinniana* Antonino; *Deciano* Ptol. Hiſpaniæ ſub Catalonia adcenſeri *Terram Ruſcilionis* in Pyrenæis montibus diſputat variè Io. Gerundenſis lib. I. Paralipom. Hiſp. ſic dictam ab Oppido, quod Plin. *Ruscino*, Strab. Ῥουσκινών, Ptol: Ῥουσινών: *Ruscinus* Avienno. Urbis veſtigia extant haud procul oppido Perpigniano juxta Turrim, quæ nomen ejus retinet. Vocant enim *Turrim Roscilionis*. Gymnaſiis omnium ſcientiarum litterariis ſex eſt inſignis, quorum omnium celebertima eſt illa *Ilerdæ* quæ inſignis antiquitatis nomine gaudet, quam etiam Horatius intellexit lib. I. epiſt ult.

Aut fugies Vticam aut unctus mitteris Ilerdam,

Ubi Calixtus III, Pontifex maximus Iuriſprudentiam docuit teſte Platina. Præterea Linificio, artiumque cunctarũ opificiis ſcatet. Splendet hominum robore, prudentiaque mirabili, rerum geſtarum memoria ac victoriis multarum gentium altercantibus. Bella autẽ quæ mox Barcinonenſium Comitum filii Reges Aragonum

Rotunda ditio.

Sita.

Aëris Temperies.

Vbi.

Schola.





GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111.2, [365] - -

gonum nationibus exteris intulerunt, victoriasq; magna cum omnium admiratione partas quis valebit referre? Majorca, Minorca, Ebusa, Murcia, Valentia, Sardinia, Sicilia, Neapolis, ac in Græcia Athenæ, Neopatriaque indicare id possunt.

Religio. Præterire integerrimam ejus Christianam fidem eamq; laudibus satis efferre non possum: summâ quippe ejusdem pietatem indicant abunde tot per ipsam sparsæ Ecclesiæ, tot & ubique clara Cœnobia. Plures peperit viros & feminas sanctitate fulgentes, Eulaliam nempe Barcinonensem virginem & martyrem, Severum Episcopum Barcinonensem & martyrem, Emiteriam, Anastasium, Vincentium, Caucoliberitanum, Lucianum & Marcianum martyres, Otonem & Ermengaldum Vrgellenses Episcopos, Bernardum Calvonem Episcopum Vicensem, Ollegarium Episcopũ Barcenonensem ac simul Tarraconensem Archiepiscopum, Raymundum à Pennaforti Ordinis Prædicatorum, ac plures alios quos hoc in loco recensere longum esset.

Miracula. Nec pigebit etiam mirabilia seu miracula naturæ & gratiæ aliquam regionem condecorantia, quæ in Catalonia pene sunt innumera, referre. Specus enim est mirabilis & intra ipsum constructa S. Michaëlis à Fago Ecclesia & pervetustum Benedictinum cœnobium, super cujus tectum fluvius quidam non parvus, quem incolæ *Tanex* vocant, decurrit, indeq; statim delabitur ac præceps ruit & præcipitatione sua & aura inde consurgente plurimum oblectat adstantes. Stuporem excitat in Rossellionis comitatu quidam in Pyrenæi vertice mons altissimus, Canus, ni fallor, à navium canitie quibus est hyeme ac æstate opertus, nuncupatus. In ejus cacumine lacus est magnus, immense profundus, multis illisq; miræ magnitudinis abundans Tructis, in quem si quis conjiciat lapidem, tumultuantur illico aquæ vaporesque mittunt in altum, quibus in formidabiles nubes conversis, continuo tempestas adest, fulgurat, tonat ac grandinat. In Episcopatu Grundensi, ad Austrum collis est albæ tenuisque arenæ, quæ, sicut in Lybia, vento hinc inde magno cũ itinerantium periculo, circumfertur. Hoc vero jam mirabitur quispiam ut est profecto admiratione dignum, inveniri in Cardone Oppido quod est Ducatus titulo clarum nativi saluberrimiq; salis multicolorem montem contra Solem varie refulgentem, in quo sicut de Oromeno monte in India refert Plinius, lapicidinarum modo cæditur renascens. Renasci enim omnibus est perspicuum, imo & eo amplius in altum crescere montem quo magis sal in ejus foditur fodinis. Aliud etiã in eo mirabile, quod cum locus in quo reperitur sal, sterilis sit nihilque gignat, prunas tamẽ ac vites plurimas habeat hic mons. Magnum pervenit ex eo Ducibus vectigal. Hoc autem in loco qui fieri poterit, ut *Montem Serratum* oblivioni dem, ad occasum VII. leucis à Barcinonia distantẽ. Editissimus est ac scopulosus undique in modum serrę, saxis eminentibus quasi jaspideis plenus, ex quibus in Pyrenæos ac Insulæ Majoricæ remotissimos montes patet prospectus. Undecim millia passuum in circuitu habet: nonnulli in eo scaturiunt fontes: multas profert medicinales herbas, Rubricatoque fluvio ad Septemtrionem alluitur & tandem sicut *Soractis* in Italia, & in Galilæa *Tabor* solus ibi consurgit. Quapropter suo aspectu non parum delectat. Idola colebantur olim in ipso, nunc vero Deiparæ virginis devota imago in antro quodã miraculose ibi reperta à tot retro annis, ut negari nequaquam valeat, Barcinonæ comitem Guifredum hujus nominis secundum, Sanctæ Ceciliç Abbatiã ac alias hujus montis Ecclesias (quarum præcipua quæ Deiparæ continet imaginem, erat) tulisse de Agarenorum manibus circa annum 875. Quæ vero ad Sanctissimæ suæ Matris preces Deus operatur in hoc monte miracula, quis enarrare poterit? Siquidem ex toto orbe numerosa hominum multitudo ad ipsum quotidie confluit. Apud Rossellionem in S. Felicis superioris Ecclesia, quolibet anno Annuntiationis Dominicæ, nocte in altaris ara quæ Lucellei, hoc est, atri marmoris est, valde tenues oriuntur characteres nonnulli, incrementum postea susçipientes paulatim, sed à nullo quoad significatũ plene comprehensi huc usque. Iam verò fontem habet Balneolensis ager aurei coloris quicquid in ipsum projicitur ostendentem. Cur enim hoc non enarrabo in Catalonia naturæ miraculũ, cum fontiũ miracula enarrans Plinius, fontem proferat in Carrinensi Hispaniæ agro, aurei coloris omnes ostendentem pisces, nihil extra aquam ceteris differentes? Sed quid, si tandem dicam, omnia Mundi elementa quasi perennes fontes mirabiliter scaturire? De aqua negabit nullus, cui quẽ Sanctus Dei Athleta Maginus in arido, montoso saxeoq; loco, fusis prius ad Deum devotis precibus, baculo suo aperuit, notus est salutifer ille fons, cujus potus passim etiã ac abunde sumptus nõ solum non est stomacho gravis, verum & multiplici languore detentis hominibus miraculose medetur. Non minus aliquem mirari facit fons ille parvus apud Arelatũ Rossellionis Comitatus oppidum, in lapideo quodam emanans Benedictini Cœnobii magno sepulchro, à templi pariete aliquantulũ; à terra autem super saxeas columnas, illasque non fistulosas, separato satis, licet non ruat inde aqua ni per foramen parvũ immisso prius linteolo & deinde extracto. De terra etiam quid clarius esse valet? Quis enim illam apud Prædicatorũ Ecclesiã Virgini & Martyri Catharinæ dicatam, mirabiliter Barcenonæ scaturire negabit in illo terreo Sarcophago, in quo D. Raymundus à Pennaforti ejusdem Ordinis tertius olim Generalis Magister fuerat primũ humatus, cum ab antiquo ultra annos trecentos tempore, tam ingẽs pulveris seu terrę tenuis mirabiles prę-stantis sanitatum fructus, abita exiguo loco extracta sit moles, ut plura profunda antra alteque defossi scrobes vix ipsam capere potuissent? De aere res est explicatu facilis: contra Aulotum namque oppidum quod alluit Fluvianus, duodecim ferme sunt aërei fontes noctibus ac diebus, hyeme & æstate tenuemsemper spirantes aërem, hyeme calidum, æstate verò ita gelidũ ut vix parvo etiã temporis spatio quis possit illum ferre, & aquæ hydrias ibi in antris quibusdam, data opera, ab incolis constitutas, frigidas ac pene nivosas reddat, deliciosũ contra stomachi æstum præbentis potum. De igne autem qua ratione, quod de reliquis jam ostendi elementis, suadere potero? Assignabo montem aliquem noctibus semper ardentem quemadmodum in Sicilia insula ardet mons Ætna? Nequaquam. proferam tamen fontes non paucos aquarum & noctibus & diebus semper calidarum, quę ignem ibi indicant latentem in terræ viscеribus, plures enim quam quatuor sunt hi calidi fontes in Catalonia, illique omnes non parum uberes & multas auxiliandi generibus præstantes; qua de causa plures undique ad eos confluunt infirmi.

Catalonia in *Veterem* & *Novam* dividitur: Veterem appellant, quæ à Pyrenæis montibus incipit & versus Occasum in Rubricatum partim atq; in Cardonerium ex parte definit fluvios: Novam, quæ inde ad Valentinos usque ad Aragonenses decurrit. Complectitur Metropolim *Archiepiscopatumve* Tarraconæ: *Episcopatus* octo, Barcinonæ, Gerundæ, Urgelli, Vici, Ilerdæ, Dertusæ, Helenæ ac Celsonæ: plures magnas Benedictinas Cistercienses que *Abbatias*: *Principatum* Tarraconæ: *Ducatus* duos Montis albi & Cardonæ: *Marchionatus* quinque, Herdensem, Dertusensem, Palleariensem, Camarasensem & Itonensem: *Comitatus* decem & octo. Barcinonæ (hic autem omnes alias longe superat Cataloniæ dignitates) Gerundæ, Urgelli, Cerretaniæ, Bisuldini, Rossellionis, Emporiarũ, Ausonię, Minoriçę, Pratarũ, Palamosii, Petrelatæ, S. Columbæ à Queralto S. Columbæ à Scintillis, Savallanii, Vallis Fogonæ, Guimerani & Montis-acuti: *Vicecomitatus* XIV, Barcinonæ, Gerundæ (hoc enim istæ duę civitates etiam decorabantur olim titulo) Caprariæ, Basti, Rocabertini, Caneti, Insulæ, Castriboni, Erilii, Querforati, Villamuri, Ageris, Scornalbonis & Iochi: *Baronias*, Montis-Catheni (cujus Baro erat olim totius Cataloniæ Seneschallus) Pinosii, Cervilionis, Erilii, Ripellorum, Angulariæ, Cervariæ, Mataplanæ, Alemani, Lacunæ, Enteniæ alioru mque multorum oppidorum.

Catalonia vetus & nova.

Archiepiscopatus.

Episcopatus.

Abbatiæ.

Marchionatus.

Comitatus.

Vicecomitatus.

Baroniæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [366] - -
PUBLIC DOMAIN

INSVLÆ
BALEARIDES
ET
PITIVSÆ.

Baleares.



Nſularũ Hiſpaniis adjacentiũ celebriores ſunt, Baleares duæ; item Pitiuſæ, Ebuſus & Ophiuſa. Baleares vulgo Majorica & Minorica appellantur. Sitę ſunt ex adverſo Tarraconenſis Hiſpanię nec longo à ſe invicem intervallo. A magnitudine Majores Minoreſq; plurali numero, unde & nomen traxiſſe putantur, quaſi ἀπὸ τοῦ βάλλειν, id eſt, à jaculando. Græcis Gymnaſiæ dictæ, ἀπὸ τῆς γυμνότητος, id eſt, à nuditate, quod incolæ aliquamdiu nudi vitam egiſſe dicantur. Nunc vulgo *Majorca* & *Minorca*. Pyraticâ olim incolæ maxime vivebant, Carthaginenſibus iidē contra Romanos ſtipendiarii, donec Hiſpanis debellatis, à Romanis ſubigerentur. Mauri poſtea ex Africa occuparunt, cum Hiſpanias diriperent, regnumque adjecta Ebuſo in inſula in iis condiderunt, quos tandem Iacobus Arragoniæ Rex ejecit. Majoris Balearis inſulæ forma quadrata eſt, quatuorque angulis totidem cœli plagas ſpectat. Palumbariæ portus, cui Columbaria inſula objecta eſt, ad Occaſum pertinet. Promontorium Salinarum ad Meridiem. Medio fere intervallo *Majorica* urbs, inſulæ caput, interjacet. Petræ & S. Vincentii promontoria ad Orientem vergunt & Septentriones. A Petræ promontorio Polentia haud remota eſt, olim Romanorum Colonia, nunc modicum oppidum, ſed portu inſigne. Palumbariæ portus triginta millibus paſſuum ab urbe diſſitus eſt. Sanctæ Pontiæ portus paulo ulterius eſt verſus Meridiem & Occaſum. Capta urbs *Majorica* à Iacobo Arragonum Rege anno 1230. Sedes Epiſcopi ac Domicilium in hac urbe conſtitutum eſt. Eſt inſuper ferax valde atque omni rerum copia affluens, neque facile ullibi tam anguſti ſpatii inſulam reperias, (centum millibus paſſuum in longitudinem, in circuitu vero 480 millibus patet) quæ tam variam tamque eximiam fructuum atque animalium, non ad uſum modo & alimentum, ſed etiam ad delitias mortalium, abundantiam ſuppeditet. Nam præterquam, quod tribus urbibus, tum oppidis ac pagis multis & portubus undique frequens eſt; frumento etiam, ſale, oleo, vino, caſeoque, pecude & armentis atque ferina carne tantopere abundat, ut non ſolum incolis, verum exteris copioſe ſufficiat; nam & Balearica vina, auctore Plinio, Italis nota ſatis atque approbata fuere, & oleum caſeumque non modo proximis Valentiæ, Cataloniæque regnis, ſed Galliciæ quoque ac Liguſticæ oræ ſufficit. Præterea cuniculorum, cervorum atque damarum tanta hic eſt multitudo, tam certa venatio, ut hæc una profecto poſſit, quantum ſatis eſt carnium incolis ſubminiſtrare, præter porcinas, quarum tanta quoque hic eſt copia, ut etiam ad exteros ſectæ & conditæ tranſmittantur. Atq; his addi poteſt, delitiarum loco, perutilis, ſalutaris atque delitioſa mirtus, è cujus flore liquor omni thure Sabæo odoratior elicitur. Vniverſam inſulam, cum ab Arragoniis occuparetur, quindecim oppidis conſtitiſſe refert R. Iacobi hiſtoria, quorum nomina præter urbem majorem, tum Pontiam & Polentiam, Romanorum colonias, barbara ſunt, atque à Saracenis impoſita.

Cur ita dicta.

Indoles Regionis.

Majorica urbs, inquit *Bernardinus Comeſius* lib. VII. in medio fere inſulæ poſita eſt, mari ſeſe inter caput Figueranum & Capendoracatum, quæ XV. milliaribus inter ſe diſtant, totidem ad urbem uſque inſinuante. Qui ſinus alioqui permagnus, portus fit celeberrimus, tantumque non à Libonoto vento tutus; ſed quo interior, eo fit longe tutior, ob conſtructam & manu factam molem, quæ in mare ex urbe prominet, eique è regione reſpondet promontorium *Portopini*, inde dictum, quod ab altera promontorii parte verſus Occaſum, maris ſinus exiguus ſeſe terræ ingerat ac parvum portum efficiat, Portonipeum nuncupatum. Id ergo promontorium cum manu facta mole tranquillum atque ab omni prorſus vento tutum urbis portum reddit. Vrbs partim in excelſo colle, qui mari ac portui imminet, & præruptus eſt, expugnationis tempore arx ſola, ſita erat; poſtea vero templum maximum & Epiſcopalis domus cum ſpeculatorio deambulacro (unde proſpectus maris amœnus) juſſu regis exædificata fuere. Fluvius etiam non longe à fontibus dimanans, qui ſeſe illico in mare præcipitat, mediam interluit, magnoque illi eſt uſui, non modo ad ejus ſalubrem purgationem & hortorum, quibus maxime decoratur ipſa, irrigationem; verum ad navium etiam aquationem & portus commoditatem.

Promontorium portopini.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111 2, [368] - -

Denique urbis ambitus qui muro ſatis amplo munitur, ac collem cum ipſa plánitie comprehendit, tam latus eſt, ut præter hortos, domiciliorum ſex millia contineat, quæ cum aliis operibus tum magnificentiſſimè exſtructa ſunt, tum urbem, quæ decem nunc patet portis, omnium Europæ pulcherrimã & conſpiciendã efficiunt.

Minor Balearis vulgo *Minorica*, Orientalior eſt, quam *Majorica*, diſtatque ab illa quinque aut ſex leucis. Vnam habet urbem, quæ hodie ab inſulæ nomine *Minorica* appellatur & plures pagos. Duos itidem portus, quorum alter *Maon* alter *Formelle* dicitur. Inſula ambitu patet 150 millia paſſuum, altis montibus & nemoroſis undiq; cincta. Mediterraneæ partes ubertate ſoli & paſcuorum bonitate *Majoricæ* minimè cedunt. Mulos autem alit præſtantiſſimos & qui maximopere commendantur.

Propinquæ Balearibus ſunt *Pityuſæ* inſulæ, quæ duæ itidem ſunt: major dicitur *Ivica* hodie, olim *Ebuſa*, centum circiter millia paſſuum ambitu complectens & decem aut undecim leucis à continente ſeparata. Hæc inſula oppidum habet ejuſdem nominis, ager illius fertilis frumenti & fructuum omnis generis ferax. Hodie à copia Salis commendatur, quem hinc in Italiam & alias Europæ partes evectare ſolent.

Minor dicitur Veteribus *Ophiuſa* aut Colubraria, hodie *Formentere*, à priori ad Auſtrum ſita & paulo longius à continente diſjuncta, circiter 70 millia paſſuum ambiens; pene deſerta ob multitudinem ſerpentum, quibus abundare fertur; cum *Ivica* nullum animal venenatum toleret, ac ne noxium quidem ullum, præter cuniculos, qui ſegeti ſubinde infeſti ſunt & conſitos recens agros ſubruunt.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [369] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX
ET
ORDO TABULARUM
SECUNDÆ PARTIS.

BELGIVM.

Belgii veteris descriptio. a
Belgii descriptio nova. c
Brabantia e
Brabantiæ pars septentrionalis, continens.
Marchionatus, { *SR. Imp. &* / *Bergozomanum.* } f
Comitatus, { *Hoochstratensem,* / *Cantacrucianum,* / *Oelanum, &c.* }
Baroniam Bredæ, cum Territ, Ryense & Herentaliæ.
Castella ad Sanctietam. g
Bergæ ad Zomam cum Steenberga, &c. h
Brabantiæ pars meridionalis, exhibens Bruxellam & Lovanium, cum suis ditionibus.
Comitatus { Rivirensem, / Walhemiensem, / Gemblacensem, & / Grimbergensem. } i
Mechlinia Dominium & Arschot Ducatus. k
Brabantiæ pars orientalis ostendit præter alia.
Comitatus, { Hornanum & / Meganum. } l
Dominia, { Ravesteyni. / Kuyckiani, / Kessely. }
Territorium Silvæducensis. m
Limburgum. n
Lutzenburgum cum Ducatu Buillioneo. o
Geldria. p
Tractus Rheni, Mosæ, Vahalis, cum Comitatibus. Buren, Cuylenburgh & Leerdam. q
Fossa Eugeniana. r
Flandria, s
Duynkercka, t
Flandriæ Teutonicæ pars Occident. u
Flandriæ Teutonicæ Pars orientalis. x
Flandria Gallica. y
Flandria Imperialis & Flandria Proprietaria, Quatuor Ambacti, Wasia & trans Scaldia. z
Artesia. aa
Hannonia. bb
Cameracensis Archiepiscopatus. cc
Delflandia, Schielandia &, Insulæ Transmosanæ. ee
Hollandia Australis. ff
Rhenolandia, Kennemaria, Amstelandia. Goylandia, &c. gg
Hollandia septentrionalis quæ & Westfrisia dicitur. hh
Maria exsiccata Hollandiæ. ii
Zeelandia. kk
Namurcum. ll
Ultrajectinum Dominium. ll
Zutphania & Sherenbergæ. } Comit. mm
Transisalanum Dom. nn
Drentia Comitatus. oo
Frisia Occidentalis. pp
Groninga. Olde-Amptia & Westerwoldia. } Dominii. qq

GALLIA.

GALLIA I. CÆSARIS. rr
Gallia Strabonis. ss
Caroli Magni Imperium tt
Gallia moderna. xx
Bolonia, Guines & Oye. } Comitatus, zz
Picardia. aaa

Vero-

INDEX TABULARUM.

Veromandia. bbb
Capella. ccc
Retelenſe territorium. ddd
Sedanenſis & Raucorty Principatus, Donchery præfectura. eee
Lotharingiæ pars ſeptentrionalis. fff
Metenſe territorium, ggg
Lotharingiæ pars meridionalis. hhh iii
Campania. kkk
Rhemenſis Diœceſis. lll
Bria. mmm
Francia. nnn
Ager Pariſienſis. ooo
Valeſium. ppp
Gaſtinenſium & Senonum ditiones. qqq
Bellovacum. rrr
Normandia. sss
Cauxenſis, territorium. ttt
Belſia. uuu
Perchenſis Comitatus. xxx
Cenomannia. yyy
Britannia. zzz
Andegavenſis Ducatus. aaaa
Turonenſis Ducatus. bbbb
Bleſenſis Comitatus. cccc
Biturigum. dddd
Nivernia. eeee
Burgundia Ducatus. ffff
Caroleſium. gggg
Burgundia Comitatus. hhhh
Breſsia. iiij
Dombes. kkkk
Lugdunenſe territorium. Foreſium. Beauioleſium & Matiſcona.
Borbonium. llll
Lemovicium. mmmm
Pictavia. nnnn
Ludonenſis ager & Mirebalais. oooo
Sanctonia. pppp
S. Martini & Vliarus Inſulæ. qqqq
Burdegalenſe territorium, cum Medoc & Born. rrrr
Bearnia. ssss
Cadurcium. tttt
Sarlatenſis Diœceſis. uuuu
Languedokiæ pars ſeptentrion. yyyy
——— pars meridionalis. xxxx
Delphinatus. zzzz
Arauſionenſis Principatus, & Veniſſa Comitatus. aaaaa
Provincia cum Comitatibus Sault & Nizza. bbbbb
Sabaudia. ccccc
Helvetia. ddddd
Pagus Tigurinus vel Zurichgow. eeeee
Pagus Aventicus ſive Wiflifpurgergow. fffff
Lacus Lemannus cum Genevenſi territor. ggggg
Argovia. hhhhh
Rhætia fœderata, Clavenna & Vallis Tellina. iiiii

HISPANIA.

HISPANIÆ veteris deſcriptio. kkkkk
Hiſpaniæ Deſcriptio nova. mmmmm
Navarra. nnnnn
Biſcaia & Guipiſcoa. ooooo
Legio & Aſturiæ. ppppp
Gallæcia. qqqqq
Portugallia & Algarvæ Regna. rrrrr
Caſtella vetus & nova & Extremadura. sssss
Andaluſia, ttttt
Valentia. uuuuu
Granata & Murcia xxxxx
Arragonia. yyyyy
Catalonia. zzzzz
Inſulæ Balearides & Pitiuſæ. aaaaaa

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

SERIES CHARTARUM.

a b & c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.

aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll ll2. mm nn oo pp qq rr ss ss2. tt tt2. uu xx yy zz.

aaa bbb ccc ddd eee fff ggg hhh iii kkk lll mmm nnn ooo ppp qqq rrr sss ttt uuu xxx yyy zzz.

aaaa bbbb cccc dddd eeee ffff gggg hhhh iiii kkkk llll mmmm nnnn oooo pppp qqqq rrrr ssss tttt uuuu xxxx yyyy zzzz.

aaaaa bbbbb ccccc ddddd eeeee fffff ggggg hhhhh iiiii kkkkk kkkkk2. lllll mmmmm nnnnn ooooo ppppp qqqqq rrrrr sssss ttttt uuuuu xxxxx yyyyy zzzzz aaaaaa.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [372] - -
PUBLIC DOMAIN


BIBLIOTECA REALE HANNOVERIANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [373] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [374] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [375] - -
PUBLIC DOMAIN

VI A 9. II

2°

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [376] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [377] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [378] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: CIM 7 8111:2, [379] - -

PUBLIC DOMAIN